This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**


Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/




THE GIFT OF
Polonia Literary Circle

Digitized by Google

Braun David umarł r. 1737. był przez ciąg swego życia burgrabią malborskim, kommisarzem wojennym artyleryi koronnej za Augusta II.; przeszedł potém w służbę pruską, nakoniec w prywatnym stanie życie swe zakończył pod Elblągiem. -
Drugie przedrukowanie tego dzieła (de scriptorum Poloniae etc.) wyszło w Gdańsku r. 1739. pod napisem: „Catthalogus Bibliothecae Braunianae“ 4º. Dla zbytniej surowości sądu, który podaje o pisarzach pruskich, nazwany Arystarchem, lub Zoilem pruskim. -

O życiu i pismach Brauna obacz D. H. Arnolds Geschichte d. Königsberg. Universit. Königsberg. 1746. B. II. pag. 486. —
Gelahrtes Preussen T. III. pag. 141-245. - Bentk. Hist. lit. pol. T. I. str. 21. -

---

Dzieło to właściwie wyszło w Elblągu u Bannekra. -

Digitized by Google

Z
2526
.B82

Digitized by Google

# DE SCRIPTORUM POLONIÆ ET PRUSSIÆ

Hiſtoricorum, Politicorum & JCtorum typis impreſſorum ac Manuſcriptorum

IN

BIBLIOTHECA BRAUNIANA

COLLECTORUM,

VIRTUTIBUS ET VITIIS,

CATALOGUS, ET JUDICIUM,

Poſt evolutionem exactam, ſine odio aut ſtudio, limatiſſimum.

---

COLONIÆ,
ANNO M D CC XXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

# AD BENOVOLUM LECTOREM
# PRÆFATIO.

HIſtoria non omnibus quidem numeris perfecta, ſicut omnes artes & diſciplinæ mortalium, tamen in multis & magnis rebus, providentiâ DEI O. M. ad memoriam poſterorum (ut bonas imitarentur malas vitarent, & de gubernatione omnium hominum certi gratiam ejus quærerent, judicium timerent) derivare voluit, fidem indubitatam tot ſeculis conſervavit: ut motæ mentis ſit, qui longiſſimo tempore probabiliter credita, & univerſali gentium traditione confirmata, in dubium vocare, aut penitùs negare velit.

Sapientes certè ſubtile Atheiſmi ſemen in talibus novarum opinionum cupidis ingeniis latere agnoſcunt, proptereà ab hoſte generis humani ſenſu reprobis inditum, ut de omnibus perſonis rebusve antiquitùs deſcriptis dubitantes, gentium, ſecundùm merita ſua, ex juſto DEI judicio, præ aliis opibus gloriâ & commodis multis evectarum, rurſusque punitarum, exinanitarum, denique â facie terræ penitus perditarum & exci-



Digitized by Google

excisſarum, notitiam evertant; Sanæ rationi, quæ DEUM ex naturæ inſtinctu reveretur, vim inferant, ſeque ultrò vertigini & gyro incredulitatis, ne usque ad lumen revelatum pertingant, tradant; actorum generis humani, & omnis temporis præteriti atque futuri protervè incurioſi. Qui literarum oſtraciſmus, primò dubios Aporeticos, mox indifferentes, denique atheos facit; Mundi principia, gubernationem, finem, juſtitiam, & DEUM ipſum, ſcelera æternis ſuppliciis vindicantem, pietatem veram bonis ſuis compenſantem, negantes, quibus genus humanum lapidibus & lignis, caſu creſcentibus virentibus & cadentibus, imò beluis ſimile eſt. Magno dæmonum gaudio, quod creaturam rationalem à dignitate ſuâ infra beſtias inſtinctu ſuo projicere poſſint.

Proindè homo, mente & moribus ſanus, non quidem omnia promiſcuè, ſed ſcripta, quæ teſtimonium antiquitatis absque controverſiâ prudentium multorum habent, in genere de perſonis & rebus geſtis talibus omni dubio procul olim exiſtentibus, vera tradidiſſe credit. Salvo judicio veritatis in ſpecialioribus circumſtantiis, quas, ſi quid contra honorem & eloquia DEI, bonosque mores, aut ſanam rationem, experientiâ fimatam in naturalibus, narratur, ad normam Scripturæ ſacræ omnium antiquiſſimæ exigit & dijudicat.

Enimverò Hiſtoria antediluviana ab longævis patribus facilè ad ſeros nepotes traditione propagata, poſtea ob abbreviatum vitæ humanæ terminum, ante & poſt Moyſen, jam apud Ægyptios, Phœnices, Chaldæos, Indos quoque, Sinenſes, & alios barbaros, paulatim à Sacerdotibus h. e. literis eruditis, publicâ Magiſtratus Authoritate ſcribi cœpit. Græci Olympiadum demùm ævo h. e. ſeculo Mundi XXXII. ad eam induſtriam pervenere, ut publicis tabulis res geſtas inciderent.

Nam

Digitized by Google

Nam ante & paulo poſt Homerum, qui tertio poſt excidium Trojæ ſeculo vixit, carminibus tantùm, fabularum illo artificio, memoriter acta majorum, in conventibus feſtivis decantata, & juventus propoſito capro vel alio brabeo, ad ediſcendum ea allecta fuit. Aſt Romani paulò poſt initia ſua, hiſtoriæ curioſi in templis fuere conſervatores.

Ex hujusmodi igitur tabulis publicis, poſtea literarum eruditione gliſcente, Hiſtorici, viri ante omnes alios famâ & moribus inſignes, vetera excerpta, ſimul cum recentioribus ſedulò collectis, tradiderunt. Quos rudiores populi, ſimulac à vicinis ad vitam cultiorem & literas converſi eſſent, (quod plerisque non ante agnitionem Chriſti Mundi Servatoris, contigit) pedetentim imitati ſunt. Sed & propptereà longiſſimorum Seculorum ignorantiâ, in rebus majorum ſuorum laborant.

Nihilominùs quia Hiſtorici homines ſunt, & errare, imò ſubindè odio vel ſtudio abrepti fallere poſſunt, præſertim ubi jam dudum præclarus ille mos, ut vel authoritate Magiſtratus hiſtoriæ ſcriberentur, vel ab hiſtoricis in conventu graviſſimorum virorum prælegerentur, & ante editionem cenſerentut, evanuit. Denique ſeculis poſterioribus non omnes, qui hiſtoriam (ab optimis & honeſtiſſimis viris, ut Tranquillus ait, tantùm ſcribi ſolitam) aggredi auſi ſunt, eruditione & morum probitate conſpicui, ſed etiam obſcuri idiotæ, ad credendum fabulis proclives, judicio imbecilles fuere; Quorum ſordibus omnium poſt Romanos populorum origines, migrationes, res geſtæ, incrementa & decrementa, tanquam ab impuris manibus infecta ſunt. Idcircò ſelectu & judicio de Hiſtoricis & Chronicis gentium, ad præmonitionem, ſeſe ad hiſtoriam patriam accingentium, omninò opus eſt.



Digitized by Google

Utinam ſanè multi antiquitati & hiſtoriæ, gentis præprimis ſuæ, ſtuderent, multo enim viri rempublicam tractantes meliùs de juribus patriæ (ne damnum vel injuriam per ignorantiam cuiquam faciant, & de negotiis omnibus cum fundamentis jurium publicorum conſultent) edocerentur. Hujusmodi autem ignorantiæ, magnam partem gravaminum & præjudiciorum, contra voluntatem & conſcientiam regnantium, miſero populo inflictorum, unde ſtatûs ab antiquis orbitis everſio ſequi ſolet, imputari poſſe, ſatis evidens eſt.

De Polonis Scriptoribus rei noſtræ publicæ cognitu adeò neceſſariis, Varſevicii, Starovolſcii, & nuper Hoppii ſchediaſmata, meros catalogos, judicium nullum aut mutilum, & laudibus perſonarum, non rerum cenſurâ, corruptum habemus. De Prutenis idem defectus adeſt: nam de Chronicis antiquioribus, præſertim Seculis XV. & XVI. ſcriptis, pleriſque anonymis, non niſi ex Henneberg eri & Schützii catalogo quicquam liquet. Hartknoch, ſedulus hiſtoriæ patriæ inquiſitor & cenſor, pauca habuit, pauciſſima ſed benè ſatis examinavit. Struvius in Bibliothecâ Hiſtoricorum, uti extraneus perexiguum noſtrorum numerum recenſet, & in ſelectu ipſorum, aliorum non ſuum judicium ſequutus.

Proindè Scriptorum Poloniæ & Pruſſiæ (quorum pleraque volumina longo labore & impenſis collegi & ſedulò legi) Indagatores, primùm quidem filios, de ſelectu optimorum, atque de inſignioribus omnium virtutibus & vitiis inſtruendi ſuſcepi curam, absque ullius gratiâ vel odio perſonali, calamo veritati, qualem humanâ induſtriâ aſſequi potui, non affectibus mancipato. Sed quoniam ultrà priorem intentionem meam, etiam aliis viris doctis & bonis opuſculum hoc legendum propono, ſicubi

ſicubi vitia Scriptorum acerbius perſtrinxiſſe videar, hoc ut confidentiæ domeſticæ, quâ vera ſcribere propoſui, & animo in omnibus negotiis aperto rectoque, cujus flumen ſermo eſt, connivere; nec maledicentiæ, ſed reverentiali veritatis zelo meo imputare velit, Benevolum Lectorem, ipſa humanitatis fragilitas, mendis ubique etiam involuntariè obnoxia, petit imò poſtulat.

Nolim omninò ideò â me hæc ſcripta quisquam exiſtimet, ut ex aliorum vituperio gloriam ſectarer: Nam ab hujusmodi vanitate, ex doctrinâ Domini Noſtri alienus, imò & multis vitæ malis, de triſtibus probitatis præmiis ſatis edoctus, etiam vitia hominum tacere malim, niſi me amor juvandi ſtudioſos hiſtoriæ & jurium patriæ, quæ cum Polonicis arctiſſimè implexa ſunt, perſtimulaſſet, ut eos de bonis & malis Scriptorum admonere, & ab erroribus vulgaribus revocare; in fidelium autem Convitiis cœcum quorundam impetum verioribus argumentis retundere, ſic demùm inexpertos juvenes ad legendum præmunire, neceſſitate conſequente cogerer.

Eorum, imo optimorum Scriptorum exemplo, qui ut certam de re quâvis ſentiendi regulam ſtatuerent ac normam, de ſummis Authoribus ſententiam tulerunt. Ut nihil minus quam invidiam hic mihi placandam vel exorandam exiſtimem.

Prætereà ex eâ facultate naturali, quâ omnes in communi illo univerſitatis Theatro ſedentes inſtructi ſumus, ut proximum monere, & ſi ſapere velit, corrigere debeamus, vocationem meam ad hoc Scriptum, olim ad filios tantùm directum, ſatis approbaſſe bonis & ſapientibus credo. Sed mordacibus, cum rerum veritate etiam perſonarum illam ſeriò profitentium oſoribus, Dei mandatum de corrigendo & ab erroribus, rationibus non vi reducendo in viam fratre; Porrò aliorum in Galliâ, in Belgio, in Germania (quod pejus eſt, lucri cauſa) uſitatam

cen-

Digitized by Google

cenſendi libros omnes libertatem, denique hos ipſos Poloniæ & Pruſſiæ Scriptores, qui alios ante ſe approbarunt vel reprobarunt, oppono.

Maximi ſanè Criticorum arbitrati ſunt, longè meliùs de ſtudiis non hujus tantum ævi, ſed univerſæ poſteritatis mereri, qui antiquitatis ſcripta cum Judicio examinant, quæ laude digna, quæ in illis fugienda ſunt, obſervant, quàm qui infinitos locos in Scriptore antiquo feliciſſimè emendant.

Utinam majori zelo & ſtudio veritatis, omnium artium & diſciplinarum libri, â Magiſtratu ipſo, aut illo tacente, â viris probis, doctrinâ & experientiâ inſignibus, moribusque piis & inculpatis, ſic exactè cenſerentur, ut harum artium ſtudioſi, viri vel adoleſcentes, maturè ſcirent & intelligerent, quid in quovis libro quærere vel vitare; quidque ad ædificationem & eruditionem ſuam expectare poſſint? Non ſanè tot inutilibus quisquiliis, de minutiis multa, de utilibus & dignis rebus perpauca, & ineptè ſcripturientibus, item tot ad ſcandalum & corruptionem morum, cum inſigni ſanctiſſimi nominis Chriſtianorum vituperio, cervices ſtudentium premerenrur. Qui ſi quà bono Judicio valent, ſerâ demùm ætate & propriâ experientiâ vix eluctati, quàm multa ex cœnoſis biberint rivulis, dolent. Cæteri verò intellectu langvidi, perpetuâ caligine falſarum opinionum in omnigena hominum ſcientiâ, totius vitæ ſuæ pretioſo tempore fruſtrà conſumpto, obruti, ineptiis & mendaciis paſcuntur. Vale. Dabam rure meo, parcè, ſed in otio literario, procul â negotiis publicis pie & jucundè ſenectam nutriente, die 15. Junii. Anno MDCCXXIII.

DAVID BRAUN,
S. R. P. C.

Cata-

Digitized by Google

# CATALOGUS

## Scriptorum Poloniæ & Pruſſiæ, in Bibliotheca Brauniana reconditorum.

### Poloni in Folio

### JURIDICI.

1 Johannis Laski Statuta Regni Poloniæ, â Regibus Caſimiro M, Ludovico, Vladislao Jagellone, Vladislao III. Caſimiro III. Johanne Alberto, & Alexandro condita, Cracoviæ Anno 1506.

2 Statutum Sigiſmundi I. Regis ab Anno 1507. usque ad Annum 1539.

— Item Conſtitutiones Regni ſub Sigiſmundo Auguſto & ſequentibus Regibus ab Anno 1550. usque ad Annum 1619.

3 Conſtitutionum Regni Volumen ab Anno 1620. ad Annum 1652.

4 Conſtitutionum Regni Volumen ab Anno 1653. ad Annum 1699.

5 Conſtitutionum Regni Volumen ab Anno 1700. ad

 An-

Digitized by Google

Annum 1718. completa omnia & actis ultimi belli cum Svecis aucta.

6 Statutum Lituanicum, Vilnæ Anno 1693.

7 Jacobi Przyluſii Statutorum Collectio, Cracoviæ Anno 1553. cum indice locuplete MSpto.

8 Johannis Herburti Statutum Zamoſcy Anno 1573.

— Item Ejusdem Editio Gedanenſis, Anno 1620.

9 Ejusdem Herburti Statut. Polski, w Krakowię Anno 1570.

10 Stanisława Sarnickiego Metryka Statutow y Przywileiow Koronnych w Krakowie Anno 1594.

11 Jana Januſzowskiego Statuta Prawa y Conſtitutie K. w Krakowie, Anno 1600.

12 Pauli Szczerbic Promptuarium Statutorum & Conſtitutionum Regni, Brunsbergæ Anno 1615.

13 Theodora Zawadskiego Statuta y Conſtitutie praw Koronnych, w Krakowie Anno 1614.

14 Woyczęcha Magdalinskiego Inventarz Conſtitutyi K. Varſaviæ 1661.

15 Macieia Marcyana Ladowskiego Conſtitutie K. y W. X. Lit. w Warſawię Anno 1685.

16 Auguſtina Koludskiego Promptuarium Praw y Conſtit. Koronnych y W. X. Lit. w Poſnaniu 1697.

17 Nicolai Zalaſzowski Jus Regni Pol. Tomi II. Poſnaniæ Anno 1699. & 1702.

## HISTORICI & POLITICI.

18 Joannis Dlugoſſi Hiſtoria Poloniæ Tom. I. Dobromili Anno 1615.

19. & 20 Ejusdem Hiſtoria Poloniæ Tomus I. & II. Lipſiæ An-

Anno 1710. & 1712. Additi Kadlubko, Orichovius, Sarnicii Annales & Karnkovii Epiſtolæ.
21 Matthæi de Mechoviâ Chronicon Poloniæ, Cracov. 1521.
22 Andreæ Fricii de Republ. emendandâ Libri V. Baſil. 1553
23 Martini Cromeri Hiſtoria Poloniæ.
— Item de Republica Polonica, Coloniæ Anno 1589. addita Vapovii fragmenta.
— Item Callimachi Hiſtor. Vladislai III. Jagellonidis.
— Item Heidenſtein, de bello Moſcovitico cum Rege Stephano.
24 Marcina Bielskiego Kronika Polska, w Krakovvie 1597.
25 Matthiæ Oſſoſtovicy Strykovvskiego Kronika Polska, Litevvska, Ruska, Pruska, Moskievvska, Tatarska, Regiomonti 1582.
26 Alexandri Gvagnini Sarmatia Europæa, Spiræ 1581.
27 Ejusdem Kronika Sarmatyi Europskiey, w Krakovvie 1611.
28 Stanislai Sarnicii Annales Poloniæ, Cracoviæ 1587.
— Item Ejusdem Deſcriptio Poloniæ Geographica.
29 Johannis Piſtorii Corpus Hiſtoricorum Poloniæ Tomis III. Baſileæ Anno 1582. videlicet Æneæ Sylvii Relatio de Poloniâ. Eraſmi Stellæ de Antiquitatibus Pruſſiæ. Alexandri Gvagnini Deſcriptio Sarmatiæ Europenſis. Martini Cromeri de Republica Polonica. Mechoviæ de Sarmatiâ Europæâ & Aſiatica Libri II. Sigiſmundi ab Herberſtein Deſcriptio Lituaniæ. Joachimi Vadiani in Pomponii Melæ Deſcript Sarmatiæ Commentarius. Hartmanni Schedelii de Sarmatiâ Comment. Carmina Corvini Celtis & Schröteri de Poloniæ Salifodinis &c. Jacobi Priluſii Lituaniæ &c. Deſcriptio. Mechovii Chronicon. Joh. Ludovici



Digitized by Google

Decii de Vetuſtatibus Polonorum. Clementis Janitii Epigrammata Ducum. Martini Cromeri Hiſtoria Poloniæ. Laſitii, Gorecii, & aliorum Relationes de bellis Regum Sigismundi I. & II. Tabulæ Genealogicæ 13. dynaſtiarum Ducum & Regum Poloniæ usque ad Stephanum.

30 Bartoſza Paprockiego Herby Rycerſtvva Polskiego, w Krakovvie 1584.

31 Ejusdem Gniazdo Cnoty z kand herby rycerſtvva Pol. poczantek ſvvoy maion, w Krakovvie 1578.

32 Reinholdi Heidenſtein Hiſtoria rerum Poloniæ, ab exceſſu Sigismundi Auguſti Regis usque ad Annum 1603. Francofurti 1672.

33 Unia albo Confœderatia Wilenska miedzy Evangelickie y Ruskie Koſcioli Anno 1599. MSptum.

34 Chriſtophori Varſevicii Cæſarum, Regum & Principum Vitæ parallelæ, Cracoviæ Anno 1603.

— Item Ejusdem Orationes Turcicæ XIV.

— Item Liber de Concilio & Conſiliariis.

— Item de Legatione & Legato, Cracoviæ 1595.

35 Nicolai Ducis Radzivilii Peregrinatio in Terram Sanctam, editio Treteti, Brunsb. Anno 1601.

36 Pauli Piaſecki Epiſcopi Præmisl. Chronicon ab Anno 1577 ad 1644. Cracoviæ Anno 1645.

37 Stanislai Lubienski, Epiſcopi Plocenſis Opera, Antverpiæ 1643. nimirum Narratio profectionis Sigismundi III. Regis in Sveciam Anno 1593.

— Item de motu civili in Poloniâ contra Regem eundem, Anno 1606.

— Item Zolkevii epiſtola valedictoria ad Regem.

Item

Digitized by Google

— Item Monita de rectè gerendo Epiſcopatu.
— Item Vitæ Epiſcoporum Plocenſium.
— Item Vita Pſtrokonskii, Epiſcopi Vladiſlavienſis; denique Epiſtolæ Authoris ad varios; & minora alia opuſcula.
38 Johannis Innocentii Petricii Belli cum Turcis Anno 1620. & 1621. malâ fortuna coepti, ſed meliori confecti Hiſtoria, Cracov. 1637.
39 Simonis Starovolſcii Monumenta Sarmatarum ſepulchralia, Cracoviæ Anno 1655.
40 Ejusdem Inſtitutorum rei militaris in Poloniâ Libri octo, Cracoviæ Anno 1639.
41 Gregorii Cnapii Soc. I. Lexicon Polono-Latino-Græcum, Cracoviæ Anno 1621.
42 Andreæ Liſiecki de Majeſtate Tribunalis Regni Poloniæ, ſeptem Splendoribus illuſtratâ, Cracoviæ 1638.
43 Simonis Okolski Orbis Polonus, ſive Inſignia Nobilitatis Poloniæ Tomi III. Cracoviæ Annis 1641. 43. & 44.
44 Waclawa Potockiego poczet herbow Polskich y Litewskich, w Krakovvie Anno 1696.
45 Satyry albo Przeſtrogi do napravvy rzandu y obyczaiovv w Polſcze nalezance. Chriſt. Opalinskii Palat. Poſnan. Anno 1650.
46 Veſpaſiani Kochovvski Climacterici III. Hiſtoriæ Polonæ, ſub imperio Johannis Caſimiri Regis, completi, Cracoviæ Annis 1683. 85. & 98.
47 Andreæ Chryſoſtomi Zaluski, Epiſcopi Varmienſis, Epiſtolæ hiſtoricæ, ſive acta publica in Regno Polon. ab Anno 1665. ad Annum 1710. Tomi III. Brunsbergæ 1709. 1710. & 1711.
48 Kazimierza Woyſznarovvicza Orator politiczny weſelnym



Digitized by Google

y pogrzebnym aktom Sluzancy, w Krakovvie 1648.

49 Lukana Pharſalia Xa. Bardzynskiego, w Oliwie 1691.

50 Simonis Starovolſcii Vitæ Antiſtitum Cracovienſium; Cracoviæ Anno 1658.

51 Proceſſus judiciarius in cauſâ Illuſtris Georgii Lubomirſcii, Regni Marſchalli & Campiducis Exercitus Anno 1664. Varſaviæ.

— Item publicæ innocentiæ manifeſtum DEO, Mundo & Patriæ per eundem Lubomirſcium Anno 1666.

— Item Tubus Opticus ad perſpiciendam innocentiam Illuſtris D. Lubomirſcii orbi porrectus.

— Item Reſponſio ad figmenta Informationis in eâdem cauſâ Anno 1666.

— Item Diſcurſus Equitis Poloni, exhibens innocentiam Illuſtris D. Lubomirſcii, Patriæ oblatus, Anno 1665.

52 Apologia pro libertate Reipublicæ & legibus Regni Poloniæ, quâ deducitur, proſapiem Regiam & Ducalem nullo prætextu poſſe bona hereditaria acquirere. MSptum.

53 Samuela z Krzypny Twardowskiego Woyna domowa, w Kaliſzu, Anno 1681.

54 Matthæi Prætorii Orbis Gothicus.

— Item Mars Gothicus ad Regem Polonum Johannem III. Olivæ Annis 1688. & 1691.

# SCRIPTA

## Quorum Examen in hoc Volumine deducere ſupervacaneum judicavi.

1 INdigenat Pruski Jana Werdy w Toruniu 1645. Quoniam de re eadem multum inter libros quaſdam Prutenos dictum eſt.

2 Con-

Digitized by Google

2 Confrontatio Privilegiorum Pruſſiæ ſuper Indigenatu & teloniis, in comitiis Coronat. Regi Johanni Anno 1676. exhibita. MSptum.

3 Quinquaginta Singularia Juris patronatus Regum Poloniæ ad Johannem III. Regem typis expreſſa.

4 Epiſtolæ Stanislai Chochlowski Gwardiani Vilnenſis, de Epiſcopo litigioſo, Conſtant. Brzoſtowskio, Concitatore in Ecclesiâ & in Republicâ.

— Item Informatio pro domo Sapiehanâ contra eundem Epiſcopum Vilnenſem Anno 1695. typis edita.

5 Diſcurs o Stanie Zub Krakowskich, ab Anonymo circa Annum 1640. typis editus.

— Item Reſpons na ow Diſcurs Szlachcyca Polskiego.

6 Præjudicia Reipublicæ contra Regem Michaelem.

— Item Manifeſt o rozerwanym Seymie.

— Item Wywod niewinnoſci Xa. Prazmowskiego Arcybiskupa Gniezynskiego Anno 1672. typis edita.

7 Collectio Manifeſtorum & Panegyricorum multorum, Poloniæ & Pruſſiæ regentibus, belli pacisve tempore, olim & recentius typis editorum.

8 Legationis ad tractatum Pacis Poloniæ cum Turcis Carlovicii in Hungariâ acta, & à Legato relata Anno 1699. typis edita.

9 Quatuor Volumina Diariorum Comitialium & aliorum in Poloniâ Annis 1663. 71. 73. 74. 83. 88. actorum publicorum. MSpta.

10 Libellus ſupplex Diſſidentium â Religione Romanâ, Regi in Comitiis Grodnenſibus oblatus Anno 1718.

— Item Caſus inauditus Unrugianus, reſponſo Sorbonæ Pariſienſis contra violentum Tribunalis Regni decretum Anno 1718.

Item

Digitized by Google

— Item Supplement praw y wolnoſci Diſſidentow, 1718.
11 Expoſitio gravaminum Pruſſiæ in teloneis Regi & Reipubl. Polonæ â Rege Pruſſiæ facta, Anno 1719.
12 Acta pleraque publica in Sciſſione Reipublicæ & bello Svetico ultimo ab Anno 1701. ad Annum 1718.

# IN QUARTO.

1 Helmoldi & Arnoldi Chronicon Slavorum, Lubecæ 1659.
2 Lukaſza Gornickiego Staroſty Tykocinskiego y Waſilkowskiego Dzieie w Koronie Polskiey ab Anno 1538. ad Annum 1572. w Krakowie Anno 1637.
3 Ejusdem Dworzanin Polski, w Krakowie Anno 1639.
4 Jana Kochanowskiego poëmata Latina & Polonica Annis 1583. 84. 1585. & Anno 1639. 1641. typis Cracovienſibus edita.
5 Stanislai Okſzy Orzechowski ſubditus fidelis Anno 1698. recuſus.
6 Johannis Demetrii Sulicovii Archiepiſcopi Leopol. Commentarius rerum in Poloniâ ab exceſſu Sigiſmundi Auguſti ad Annum 1590. geſtarum, Gedani An. 1647.
7 Eraſmi Gliczneri Chronicon Regum Poloniæ, Torunii 1597.
8 Chriſtophori Varſevicii Paradoxa Cracoviæ Anno 1598.
9 Ejusdem memorabilium hominum & rerum ab Orbe condito Deſcriptio, Cracoviæ Anno 1585.
10 Ejusdem de optimo libertatis Statu.
— Item de Origine generis & nominis Poloni, Dialogi Anno 1580. & 1589. Cracoviæ & Vilnæ.
11 Vitæ Epiſcoporum Poſnanienſium Dlugoſſi, â Tretero Brunsbergæ Anno 1604. editæ.

12 Roz-

Digitized by Google

12 Rozmowa Polaka z Wlochem o wolnoſciach y prawach Polskich Anno 1587.

13 Johannis Herburti de Fulſztyn Caſtellani Sanocenſis Chronica, ſ. Hiſtoriæ Polonicæ compendium, Gedani 1609.

14 W ſprawach celnych Odpis Stanislawa Cikowskiego Podkom. Krak. Adminiſtratora cel K. w Krakowie 1602.

15 Salomonis Neugebauer à Cadano Hiſtoria rerum Polonicarum usque ad Annum 1586. Hanoviæ 1618.

16 Ejusdem Icones & vitæ Principum ac Regum Poloniæ usque ad Sigismundum III. Francofurti Anno 1620.

17 Jacobi Sobieski Commentarius belli Chotzimenſis cum Turcis Annorum 1620. & 21. Gedani Anno 1646.

18 Kronika ziemie y Miſtrzow Pruskich Marcina Muriniuſza, w Krakowie Anno 1606.

19 Andreæ Lipsky à Lipe Centuria una & ſemiſſis Obſervationum practicarum in judiciis poſtcurialibus Poloniæ.

— Item Ejusdem Decas quæſtionum de immunitatibus Eccleſiaſticis in Regno Poloniæ, Pariſiis & Poſnaniæ, Annis 1626. & 1627.

20 Georgii Cnapii theſauri Polono-Latino-Græci, Tomus II. Cracoviæ 1626.

21 Johannis Innocentii Petricii Comitia Sapientum, Cracoviæ 1628.

22 Petri Mieskowsky Polonus Jure politus, Caliſſy 1637.

23 Rozmowa Plebana z Zemianinem o poſtanowieniu teraznieyſzey Rzpltey, y o ſpoſobie zawierania Seymow, Anno 1641.

24 Simonis Starovolſcii Centum Illuſtrium Scriptorum Poloniæ elogia & vitæ, Francofurti Anno 1625.

25 Przeſtroga o Titulach y Dignitarſtwach cudzozemskich



Digitized by Google

w Polskim Kroleſtwie Matthæi Dargodski Anno 1637.
— Item Obrona Titulow Kſianzencichod Rzplitey uchwala ſeymowa pozwolonych, Hieremyi Bieleiowskiego, 1641.
26 Stanislai Lochowski Proceſſus judiciarius granicialis Regni Poloniæ, Cracov. Anno 1641.
27 Georgii Oſſolinski Cancellarii R. Pol. Orationes VI. in legationibus Annis 1621. 33. 37. 45. & 46. peroratæ Gedani Anno 1647.
28 Daſypodii Catholici dictionarium Latino - Germanico-Polonicum, Gedani Anno 1642.
29 Stephani Damalewicz vitæ Epiſcop. Vladislav. Crac. 1642.
30 Ejusdem Series & res geſtæ Archiepiſcoporum Gneſnenſium, Varſaviæ Anno 1649.
31 Everhardi Waſſenbergii Geſta Vladislai IV. Principis deindè & Regis Poloniæ, Gedani 1643.
— Ejusdem Carcer Gallicus Johannis Caſimiri Principis Poloniæ, Gedani Anno 1644.
32 Polonia defenſa contra Johannem Baclajum, Lucæ Opalinskii, Gedani Anno 1648.
33 Aaronis Alexandri Olizarovii, de politicâ hominum ſocietate, Gedani Anno 1651.
34 Andreæ de Pilca Koriczynski Perſpectiva politica Regni Poloniæ, Gedani Anno 1652.
35 Joachimi Paſtorii bellum Scythico-Coſaticum, Ged. 1652.
36 Rerum in Lituaniâ per tempus rebellionis Ruſſicæ geſtarum Commentarius, Elbingæ Anno 1655.
37 Adriani Regenvolſcii Syſtema Hiſtorico-Chronologicum Eccleſiarum Slavonicarum, Ultrajecti ad Rhenum Anno 1652.

38 Al-

Digitized by Google

38 Alberti Wijuk Koialowicz Hiſtoriæ Lituanæ Pars prior & ſecunda, Gedani 1650. & Antverpiæ 1669.

39 Stanislai Kobierzycki Caſtell. Ged. Hiſtoria Vladislai Poloniæ principis, Gedani Anno 1655.

40 Alberti Ines Lechias, ſeu Ducum & Regum Poloniæ elogia panegyrica, Cracoviæ Anno 1655.

41 Hiſtoria abo Opiſanie wielu powaznych rzeci, ktore ſie dziali pod czas woiny Szwedskiey w Kroleſtwie Polkim od Roku 1655. az do 1660. Cujus Author fuit Johannes Stephanus Wydzga tunc Epiſc. Luceorienſis.

42 Samuela z Krzypny Twardowskiego Legacya Xncia Zbaraskiego du Turek w Wilnie 1706.

— Item Ejusdem Miſcellanea w Kalyſzu 1681.

43 Caſimiri Zawadski Hiſtoria arcana, ſive diaria actorum publicorum ſub Rege Michaele, Anno 1699.

— Item Ejusdem Gloria orbi Sarmatico conſenſu monſtrata, Anno 1670.

44 Ejusdem Caſimiri Zawadski Exilis Tractatus ſuper advertentiam defectuum in capitibus Imperii Sarmatici, Cracoviæ Anno 1676. Idem Anno 1690 Varſaviæ recuſus.

45 Nicolai Chwalkowski Jus publicum Regni Poloniæ, Regiomonti Anno 1684.

— Item Exercitatio Hartknochii ad illud Jus publicum, Regiomonti Anno 1685.

46 Gaſpari Cichocki Anatomia conſilii de pellendis Regno Jeſuitis, Cracoviæ Anno 1611.

— Item Ejusdem Alloquia Oſiecenſia, Cracoviæ Anno 1615.

47 Johannis Markiewicz Canonici Cracov. & Varmi. Scandalum expurgatum, Gedani 1654.

— Ejusdem Carcer Romanus, Pariſiis 1666.



Digitized by Google

— Ejuſdem Veritas bonæ vitæ, 1671.
— Ejuſdem Summus Pontifex de duplici inſtituto Soc. Jeſu, ejusque Conſtit. & Declaration. optimè informatus, Anno 1672.
48 Pamientnik albo Kronika Pruska, Inflantska y Kurlandska przez Nikolaia Chwalkowskiego, w Poznaniu 1712.

# SCRIPTA POLONICA
## IN QUARTO,
### Quorum Examen in hoc volumine non operæ fuit pretium deducere.

1 Varſevicii in obitum Stephani Regis Oratio, Cracoviæ Anno 1587.
2 Ordinum Regni Poloniæ acta circa electionnm Sigismundi III. & cum Archi-Duce Maximiliano ejus rivali, Cracoviæ 1587.
3 Accuſationum Sveticarum Refutatio, Crac. 1611.
4 Apologia Civitatis Rigenſis, quod Svecis ſuccubuerit, Anno 1622.
5 Paſtorii Oratio coram Legatis ad Tractatum Olivenſem, Anno 1660.
6 Olſzovii vindiciæ contra Svecos, 1657.
7 Hartman de antiquâ Pomeranorum gente, 1675.
8 Salomon Neugebauer de Moſcoviâ, Gedani 1612.
9 Pauli Potocki Moſcovia, Gedani 1670.
10 Chvvalkovvski Effata Regum poloniæ, Varſaviæ 1694.

11 Po-

Digitized by Google

11 Polonia nunquam tributaria Schultzii, Gedani 1694.
12 Memorabilia Reip. Polonæ Hartman. Regiom. 1675.
13 De Senatu Regni Poloniæ Hartknoch. Regiom. 1676.
14 Veſpaſiani Kochovvski Hypomnema Reginarum Poloniæ, Anno 1672.
15 Elogia & panegyres lyricæ in omnes Epiſcopos Cracovienſes Benedicti â S. Joſeph, Varſaviæ 1686.
16 Samuelis Wenslawski Fata Gonſievvsky Vilnæ 1691.
17 Mowca Polski Pars I. & II. Caliſſy 1676. & 1683.
18 Janidlowy Proceſſus fori ſpiritualis in Regno Poloniæ Cracowiæ 1606.
19 Noskiewitz Judex Eccleſiaſticus, ſeu de Poteſtate clavium 1650.
20 Tilkovvski Philoſophia curioſa univerſa 1669.
21 Apologia Hieron. Radziejewski Pro-C. R. P. ſuper oppreſſione Regis.
22 Goslavus de Nadarice de Judiciis & Moribus Polonorum corrigendis ad Regem Stephanum Poſnaniæ 1577.
23 Georgii Chakor de morbo, & culpâ Medicorum maturatâ morte Regis Stephani Claudiopoli 1586.
24 Actus abdicationis Johannis Caſimiri Regis in Comitiis R. 1668.
25 Similium Juris Poloni cum Jure Romano Dreſneri 1602.
26 Actio & Proceſſus contra Chriſt. Zborowskium Inſtigatoris Reg. 1585.
27 Conſtitutiones Synodi Provincialis R. Pol. Pragæ 1590.
28 Directorium electionum Prælatorum Ordin. Prædicatorum Jaſinsky 1641.
29 Glos Ewangelika do Krola y Stanow Rzplтey na Seymie 1631.



Digitized by Google

— Item Declaratia Confœderatii Anni 1573. w Krak. 1607.

— Item Ogien z Woda ſive Refutatio Socinianiſmi cum Evangelicis in Regno Polon. irreconciliabilis Thor. 1619.

30 Præcuſtoditio & proteſtatio Legatorum Brandenb. Varſaviâ ob renovationis pactorum moram diſcedentium 1670. Cum reproteſtatione Olſzowy Pro Cancellarii Regni eodem 1670.

31 Claſſicum nieſmiertelney slawy Wodzovv Polskich pod Chocimem 1703.

32 Joachimi Hoppii de Scriptoribus Poloniæ Schediaſma Ged. 1707.

33 Epiſtola equitis Poloni, de poteſtate Pontificis in Senatores Epiſcopos non extendendâ 1705.

34 Comitia Varſovica pro eligendo Poloniæ Rege (Gallo Principe) 1696.

35 Ecclypſis Poloniæ Orbi monſtrata. Quo libro acta & Tractatus Alt-Ranſtadenſis, item Varſavienſis Svecorum cum Stanislao Rege trutinantur 1709.

36 Szala abo Oglos konvokujoncy Oyczyzny ſynow do jednoſci Anno 1713.

37 Epiſtola Nobilis Poloni, qua lingvâ vernacula calumnias Calendarii Poſnanienſis Anni 1711. omnia mala Rempublicam Polonam, â tempore diſſidii in Religione Evangelicorum â Romanâ invaſiſſe, ex omnigena hiſtoriâ, præſertim Poloniæ, & rationibus antiquæ Eccleſiæ contra paganos, maſcule refutavit anonymus.

## IN OCTAVO ET MINORI FORMA.

1 VIncentii Kadlubek Epiſc. Cracov. Hiſtoria Poloniæ Dobromili 1612.

2 Sta-

Digitized by Google

2 Stanislai Orichovii Annales, item vita Petri Kmitæ Palatini Cracovienſis Dobromili Anno 1611.

3 Epiſtolæ, Legationes, Reſponſa & Orationes Regum Poloniæ Sigiſmundi Auguſti, Stephani, & Acta circa electionem Sigiſmundi Tertii, Lipſiæ Anno 1703.

4 Andreæ Fricii Modrevy Orationes quatuor, ad Regem & & Ordines Regni contra Legem pecuniariam homicidii. Item de legatis ad Concilium Tridentinum mittendis, una. Cracoviæ Anno 1543. & 1546.

5 Chriſtophori Hartknoch de Republicâ Poloniæ, & annexarum Regno provinciarum Libri II. Lipſiæ Anno 1698.

6 Johannis Herbinii Kiovia ſubterranea, ſive religioſæ Kyovienſes Cryptæ Jenæ 1675.

7 Jodoci Willichii de Salinis Cracovianis Gedani 1645.

8 Idea apocalyptica Stanislai Orichovii Varſaviæ 1696.

9 Joachimi Paſtorii Florus Polonicus Gedani 1679.

10 Ejusdem Paſtorii Hiſtoriæ Polonicæ plenioris Pars I. & II. Gedani Anno 1680. & 1685.

11 Johannis Laſity Nobilis Poloni, de eccleſiaſtica diſciplinâ, moribus & inſtitutis Fratrum Bohæmorum, cura J. A. Comenii Amſtelodami 1660.

12 Hiſtoria perſecutionum Eccleſiæ Bohæmorum, ab initio converſionis à gentiliſmo, usque ad Annum 1632. Anonymi 1648.

13 Stanissai Lubieniecki Hiſtoria reformationis in Poloniâ 1685. Freiſtadii.

14 Leonhardi Gorecki deſcriptio belli Ivoniæ Palatini Walachiæ cum Turcis, 1574. portentoſe geſti.

— Item Johannis Laſitii rerum in Wallachiâ ante Ivoniam Anno 1572. à Bogdano contra Turcas geſtarum Hiſtor.

Ejus-

Digitized by Google

— Ejusdem Clades Gedanenſium, Francof. 1578.
15 Maximiliani Fredro Caſtel. Leop. Opuſcula Gedani 1660. & 1664.
16 Franciſci Marinii Poloni, de ſcopo Reipublicæ Polonæ contra Conringium Vratislaviæ 1665.
17 Cenſura Candidatorum Sceptri Poloniæ Olſzowii Epiſc. Culm. & Pro-C. Regni 1669.
18 Chriſtoph. Varſevicii Reges, Sancti, Bellatores & Script. poloniæ Poſnaniæ 1629.
19 Rozmowa Artaxeſſa z Ewandrem Stanisl. Lubomierſcii Mar. Regni, ſine ejus Nomine editus liber Varſaviæ Anno 1694.
— Ejusdem de Vanitate Conſiliorum liber. Varſaviæ 1700.
— Item ejusdem Opuſcula varia ſacra & moralia Varſ. 1701.
20 Hiſtoria o rewolutyi Kroleſtw. Szwedskiego y Dunskiego Anno 1701.

# SCRIPTA

## In eâdem formâ ad Cenſuram non revocata.

1 NIcolai Chwalkowski ſingularia Poloniæ, Varſaviæ Anno 1696.
2 Les Anecdotes de pologne ſ. Arcana Imperii Johannis III. Anno 1689.
3 La Pologne Monarchique, 1702.
4 Memoires ſur la derniere revolution de Pologne Przebendovii, 1710.
5 Anthonii Poſſevini negotiatio nomine Pontificis in Moſcoviâ, 1586.

6 Ni-

Digitized by Google

6 Nicolai Bergii de Statu Religionis & Eccleſiarum Moſcovit. Lub. 1709.
7 Wymowny Polityk, Thorunii 1699.
8 Das verwirrete Pohlen / Leipzig 1710.
9 Pohlniſche Bibliotheck / und Cenſur der Pohlniſchen Scribenten / D. Lengnich VI. Theile / 1718.
10 De Republicâ Poloniæ, Lituaniæ &c. Krzyſtanowii, Cromeri, Michalonis &c. Lugd. 1627.
11 Simonis Starovolſcii Polonia, Amſtel. 1652.
12 Cellarii Poloniæ deſcriptio geographica, Amſtel. 1659.
13 Iwanicki doctrina politica verbis Taciti, Lugd. 1641.
14 Paſtorii Poëmata varia, Gedani 1653.
15 Alberti Ines Epigrammata & Lyrica, Ged. 1655. & 1686.
16 Sarbievii Lyrica & Epigrammata, Coloniæ 1682.
17 Pauli Neocelli h. e. Lucæ Opalinski de Officiis, Amſtelod. 1668.
18 Kwiatkiewicz Svada civilis & Phoenix Rhetorum, 1675.
19 Hiſtoire de la Sciſſion en Pologne, Anno 1697.
20 Hiſtorie des dietes de Pologne, Anno 1697.
21 Der Pohlniſchen Nation Staats-Maximen 1670.
22 Leben Königs Johann. Caſimir, Anno 1680.
23 Gabrielis Rzaczynski Gemmæ h. e. ſententiæ ex 60. Poëtis antiquis collectæ, in uſum orationum &c. accommodatæ, Poſnan. 1702.

# CATALOGUS
## Scriptorum Pruſſiæ in Bibliothecâ Braunianâ.
## IN FOLIO.

1 CHronicon Magiſtrorum Ordinis Teutonici, vulgò Die Hoemeiſter-Chronica Manuſcriptum.

2 Liber Ordinis MSptus, in quo Regula, Leges, Conſvetudines, Conſtitutiones & Veniæ Ordinis Teutonici exhibentur.

3 Johannis Lindenblat, Officialis Riſeburgenſis, Chronicon ſive Annales Pruſſici, Germanicum MSptum.

4 Simonis Grunau Chronicon hiſtoriarum Pruſſiæ germanicè MSptum.

5 Eraſmi Stellæ Libanotani, de antiquitatibus Pruſſiæ Libri II. Anno 1510. In Corp. Hiſt. Pol. Piſtorii, Baſil. 1582.

6 Kirchen-Ordnung im Hertzogthum Preuſſen / 1558.

— Item Repetitio Corporis doctrinæ Eccleſiaſticæ, Reg. 1567.

— Item Confeſſio Auguſtana cum Apologiâ de Anno 1530.

7 Kirchen-Ordnung in Preuſſen / Anno 1568.

— Item Edictum Ducis ſuper manutenendâ Formulâ Concordiæ, Regiom. 1579.

— Item Hertzogs Albrechts Verordnung / von Erwählung und Amte der Biſchöffe in Preuſſen / Königsb. 1568.

8 Das alte Cöllmiſche Recht / Thorn 1584.

9 Gaſpari Schütze, Secret. Ged. Preuſcher Hiſtorien Libri XI. bis Anno 1525. von D. David Chytræo continuiret bis 1598. Leipzig und Eißleben 1599.

10 Gaſpari Henneberger Explicatio mappæ Geographicæ hiſtorico-topographica. Erklährung der Preuſchen groſſen Land-Taffel / Regiom. 1595.

11 Thomæ Treteri, Canon. Varm. de Epiſcopatu & Epiſcopis Eccleſiæ Varmienſis Anno 1595. compoſita hiſtoria, edita Cracoviæ 1685.

12 Privilegia der Stände des Hertzogthums Preuſſen / darauff das Land fundiret iſt / Brunsb. 1616.

Item

Digitized by Google

— Item Primum beneficium ſimultaneae inveſtiturae ſ. Diplomata Regum Sigiſmundi Auguſti, Henrici, Stephani & Sigiſmundi III.

— Item Inſtrumentum Pacis Velavio-Bydgoſtienſis de Anno 1657.

— Item Inſtrumentum Pacis Olivenſis de Anno 1660.

— Item Pacta retradita Elbingae Varſavienſia de Anno 1699.

13 Jus Provinciale Prutenicum Latinum, Roſtochii 1623.

14 Iſraelis Hoppe, Proc. Elbingenſis, Fatum decennale Pruſſiae. Deſcriptio germanica belli Svetici & induciarum ſexennalium ab Anno 1626. usque 1636. MSptum.

15 Ordinatio Provincialis Pruſſiae Ducalis. Die Landes-Ordnung ſub Electore Georgio Wilhelmo publicata 1640.

16 Jus Provinciale Prutenicum reviſum. Revidirtes Preuſches Land-Recht / Regiom. 1685.

17 Johannis Chriſtophori Hartknoch Alt und Neues Preuſſen / Francof. & Lipſiae 1684.

18 Reinholdi Kurike Beſchreibung der Stadt Dantzig / 1687.

19 Jus Culmenſe correctum, una cum Proceſſu Juris in Dioeceſi Warmienſi uſitato.

— Item Conſtitutiones Mauritii Epiſcopi.

— Item Ordinatio Provincialis Sigiſmundi Primi, Regis, & Alberti Ducis Pruſſiae, Brunsb. 1711.

20 Samuelis de Puffendorff res geſtae Friderici Wilhelmi Electoris Brandenburg. & Ducis ſupremi Pruſſiae, Berolini 1695.

21 Excerpta ex receſſibus conventualibus Pruſſiae Occidentalis ab Anno 1422. ad Annum 1652. Anonymi MSpta.

— Item Excerpta hujuſmodi ab Anno 1414. ad Annum 1606. Gregorii Heſii MSptum.



Digitized by Google

— Item Lauda terrarum Pruſſiæ Occidentalis ab Anno 1601. ad Annum 1714. MSptum.

22 Johannis Hevelii Conſ. Civit. Vet. Ged. Selenographia, 1647.

23 Ejusdem Hevelii Cometographia, 1665.

24 Godofredi Lengnich, Doct. Geſchichte der Preuſſchen Lande Königl. Pohln. Antheils von 1526. bis an den Tod Sigiſmundi I. h. e. Acta Publica Pruſſiæ Occidentalis ab Anno 1526. quo Schützius deſiit, ad An. 1548. incluſive tum expreſſione documentorum omnium, ex Archivo Gedanenſi collecta, typis edita, Gedani Anno 1722.

# SCRIPTA PRUTENICA,

## quorum examen in hoc volumine perſequi inſuper habui.

1 PRivilegia omnia Civitatum, Elbingenſis & Mariæburgenſis MSpta.

— Item Privilegium generale minorum Civitatum Pruſſiæ, Sigiſmundi Tertii Regis de Anno 1593. tanquàm renovatio antiquorum earum Jurium, videlicet Juris braxandi & propinandi cerevifiam aliorumque potabilium liquorum. Item mercaturæ, menſurarum, electionis liberæ Magiſtratuum, Jurisdictionis à Capitaneis non impediendæ, Appellationis ad aulam Regiam nunquàm ad Tribunalia Regni, Executionum decretorum ſuorum criminalium, Libertatis ab omnibus laboribus rusticis & angariis, à mulctis quoque & foralibus, de Opificum & Artificum contuberniis, brachii denique Regii promiſſione contrà Capitaneorum injurias, MSptum

MSptum. Quæ jura quomodò civitatibus minoribus ſervata ſint, ipſæ dicant.

— Item Conſtitutio der Lande Preuſſen Sigismundi I. Regis, Gedani Anno 1526. data, ſed à ſua Majeſtate Anno 1538. correcta MSpta.

— Item Conſtitutio Statuum & Ordinum terrarum Pruſſiæ vom Bierbrauen und Bierſchanck / von Bönhaſen in Vorſtädten / und in denen Adelichen auch Geiſtlichen Güttern. Ex Conventu Graudentinenſi die 6. Octobris Anno 1537. data. MSpta.

— Item Donatio diſtrictus Scharffau, à Rege Alexandro Epiſcopo & Eccleſiæ Varmienſi Anno 1505. in vigiliâ Feſti Corporis Chriſti Radomiæ data. MSpta.

— Item Contractus venditionis ejusdem diſtrictus per Epiſcopum & Capitulum Varmienſe, cum approbatione Regis Sigismundi I. Civitati Gedanenſi factæ. Heilsbergæ die 16. Auguſti Anno 1530.

2 Privilegia, Commiſſiones & Decreta Regia, Ordinationes & plebiſcita ſive Willkühren / ad Inſulas Mariæburgenſes pertinentia ab Anno 1533. & ſequentibus MSpta.

3 Landtags-Acten des Hertzogthums Preuſſen in Annis 1640. & 1641. MSpta.

4 Immunitas Civitatum Pruſſiæ à Jurisdictione Judiciorum Tribunalitiorum Regni, & aliorum quorumvis præterquam Regiorum, ex publicis inſtrumentis deducta. Gedani typis edita Anno 1718.

5 Succincta delineatio Juris indubitati, quo R. M. Pruſſiæ teloniorum per Poloniam, Lituaniam & Pruſſiam Occidentalem verſus Regnum Pruſſiæ, noviter intro-



Digitized by Google

ductorum aut auctorum plenariam abrogationem poſtulat, typis edita Anno 1718.

6 Expoſitio brevis gravaminum in Commerciis ſubditorum S. R. M. Pruſſiæ, quorum abrogatio à Rege & Rep. Poloniæ amiciſſimè petitur, typis edita Anno 1719.

7 Caſpari Henneberger Tabula Magna Pruſſiæ Geographica, exſculpta iterùm Regiomonti Anno 1656.

8 Manifeſtationes Ordinum Civit. Gedan. contra illegitimas violentasque invaſiones, cædes, rapinas & devaſtationes, à copiis exercitus Regni Poloniæ in territorio Gedanenſi patratas Anno 1719.

## Scriptores Prutenici
## IN QUARTO.

1 PEtri de Dusburg, Ord. Teutonici Sacerdotis Chronicon Pruſſiæ Latinum, ab origine Ordinis, nempè Anno 1190. usque ad Annum 1326. Inde continuatum ad Annum 1433. cum animadverſionibus Hartknochii typis Francof. & Lipſiæ 1679. editum.

2 Chronicon Prutenorum Germanicum antiquum Samilianum, MSptum.

3 Johannis Mæletii, de idololatriâ & ſacrificiis veterum Pruſſorum, Livonum & vicinorum populorum, Anno 1563. Regiomonti typis editus libellus.

4 Wolffgang Dietmars kurzer Auszug der Ordens-Geſchichte in Preuſſen. Elbingæ Anno 1564.

5 Johann Daubmans kurtzer Auszug der Preuſchen Chroniken/ Regiom. Anno 1567.

6 Chriſtoph Falcken Lobſpruch und Beſchreibung der Stadt Elbing ſampt ihrer Landſchafft Anno 1565.

7. Jo-

Digitized by Google

7 Johann Haſentöters Chronica der fürnehmſten Hiſtorien vom Anfang der Welt bis hieher/ in artliche deutſche Reimen gebracht/ Regiom. Anno 1569.

8 Landes-Ordnung des Hertzogthums Preuſſen Anno 1577. typis edita.

9 Dionyſii Runau Hiſtoria des groſſen dreyzehnjährigen Krieges in Preuſſen von 1454. biß 1466. ꝛc. Wittenb. 1582.

10 Balthaſar Ruſſauen. Chronica der Provintz Liefland von Anno 1158. bis Anno 1577. in Pommeriſcher Sprache/ Roſtock 1578.

11 Declaratio vera, quibus de cauſis Ordines Civitatis Gedanenſis cum Rege Stephano in controverſiam pertracti ſint, Anno 1577. Cum diario geſti illius belli usque ad Annum 1579.

12. Caſpari Heñeberger kurtze Beſchreib. des Landes zu Preuſſen. — Item Beſchreibung aller Hoemeiſter des deutſchen Ordens/ Regiom. Anno 1584.

13 Matthæi Waiſſelii Chronica Alter Preuſcher/ Liefflandiſcher und Curiſcher Hiſtorien, Regiom. 1599.

14 Jus Culmenſe polonicè traditum à Paulo Kuszewicz, Poſnaniæ Anno 1623.

15 Tractatus varii de telonio maritimo Gedanenſi in Annis 1637. 38. & 39. typis editi.

16 Friderici Zamelii, Cos. Elb. Epigrammatum, Carminum & Odarum manipuli, in decendio ab Anno 1635. editi & collecti.

17 Acta Conventus charitativi Thorunenſis Evangelicorum & Romano-Catholicorum An. 1645. geſti, Varſaviæ 1646.

18 Jus terreſtre Nobilitatis Pruſſiæ, Anno 1598. correctum, Gedani Anno 1657.

19 Tra-

Digitized by Google

19 Tractatus varii de Jure indigenatûs Pruſſorum, Latinè & Polonicè editi in Annis 1647. 1669. 1685. & 1696.

20 De re monetariâ Regni Poloniæ tractatus & diſcurſus aliquot Annis 1640, 1661. & 1665. typis editi.

21 Reinholdi Kurike Secret. Ged. Jus maritimum Hanſeaticum, Hamburgi Anno 1667.

22 Johannis Caſpari Venatoris Hiſtoriſcher Bericht vom Marianiſchen deutſchen Ritter-Orden / Noribergæ 1680.

23 Johannis Chriſtophori Hartknoch Preuſche Kirchen-Hiſtorie / Thorunii Anno 1686.

24 Johannis Gotſclied Flora Pruſſica, Regiom. Anno 1703.

— Item Helvingii atque D. Breynii Flora quaſimodogenita, Ged. 1712.

25 Jacobi Henrici Zernike Chronicon Thorunenſe, Anno 1711.

— Item das verpeſtete Thoren / Anno 1710.

— Item das bey denen Schwediſchen Kriegen in Annis 1629. 1655. 1658. und 1703. bekriegte Thoren. Cum appendice ad Chronicon, ibidem typis 1712. editum.

26 Nicolai Copernici Thorunienſis, Canon. Varm. Aſtronomia inſtaurata, Amſtelodami Anno 1617.

27 Johannis Regiomontani Tabulæ directionum & profectionum primi motus cœleſtis.

— Item aſcenſionum obliquarum, ſinuumque, Witteb. 1606.

28 Eraſmi Reinholdi, Salfeldenſis Boruſſi, Prutenicæ tabulæ motuum cœleſtium, Wittebergæ Anno 1585.

# SCRIPTA.

## Quæ examinare ſuperfluum judicavi.

1 Commiſſionis Karnkowianæ ad Civitates Pruſſiæ Occidentalis

Digitized by Google

talis Relatio coram Ordinibus Regni in Comitiis, Anno 1570.

2 Chriſtophori Falconii Rechenbuch auff Preuſche Müntze / Maaß und Gewicht / Königsb. 1552.

5 Catechiſmus Lutheri deutſch und alt Preußiſch. In uſum reliquiarum populi antiqui Prutenici ad fidem Chriſti converſi. Ex mandato pii Ducis Alberti I. Anno 1545. Et iterùm 1561. impreſſus. Ut gentis hujus, olim ſub poteſtate Satanæ adverſus nomen Chriſtianorum in Europâ poſtremò imperantis, jamjàm in exiguâ plebe agreſti vix non penitùs intereuntis, veſtigia lingvæ cum Lituanis, Curonibus, Finnis ſolâ dialecto diverſæ conſerventur; In documentum providentiæ & judicii divini, quo integri populi ob ſcelera ſua, ſicut Cananæi usque ad radicem exſtirpati ſunt, Libellus hic meritò inter monumenta antiquitatis reconditur.

6 Oratio de Statu Eccleſiarum Pruſſiæ, & Confeſſione Ducis Alberti I. calumniis Pauli Scalichii oppoſita Anno 1572.

— Item Oratio Epiſcopi Pomeſan. Wigandi valedictoria 1575.

— Ejusdem ut Rectoris Acad. Regiom. Intimatio obitus Johannis Lutheri, filii B. D. Martini Lutheri, 1575.

— Oratio de Conſtitutione & Reformatione Scholarum in Academiâ Regiomontanâ Andreæ Crebs Profeſſoris 1607.

— Ejusdem de Statu Pruſſiæ vetere & novo, 1614. Ex quâ avidus lector, tanquàm ab Oratore, præter communia vera vel falſa ex aliis exſcripta, nihil diſcere poteſt.

7 Alberti Pölmann / Not. publici, von Amtstragender Perſonen in den Preuſchen Städten Beruff und Verrichtungen.



Digitized by Google

— Item Beſchreibung des gantzen Proceſſes in denen Unter-Gerichten / 1600.

8 Collectio Scriptorum Nuptialium, funebrium &c. in honorem Div. Ducum Boruſſiæ Brandenburgicorum Sam. Fuchſii, 1628.

9 Epiſcopo - Presbyterologia Pruſſico - Regiomontana ab Anno 1520. usque ad Annum 1656. perducta Georgii Colbii, 1657.

10 Calendarium perpetuum, literis antiquis Gothicis aureis, picturis ornatum MSptum Seculo XIII. vel XIV. in Pruſſiâ cum Officiis Sanctorum. Pulchrum antiquitatis documentum.

11 Theatrum Diabolorum Johannis Borawski, Eccleſiæ Strasburgenſis Paſtoris, Gedani 1621. In quo ſcopus ejus fuit, per patheticum tribus actibus Scenicis compoſitum carmen, diabolorum felicitatem, lapſum, impoſturam hominis, infernum & damnationem, tormenta, item ſpectra & univerſum Regnum Plutonis, ad horrorem & correctiones hominum qui peccando illis ſerviunt, deſcribere: Præmiſſis paræneticis ſententiis ex patribus & hiſtoriis variis. Sed quotusquisque hanc epanorthoſin leget, & quotus legentium per hujusmodi ſcribendi genus reſipiſcet? Væ illi qui non tritâ viâ verbi Chriſti â viâ inferni ad pietatem reduci poteſt, & talia demùm humana artificia ad ſuam correctionem expectat!

12 Pacta Stumdorffenſia induciarum 26. annorum cum Svecis Anno 1635. in ipſo exitu ſexennalium antea 1629. confecta.

13 Relatio de Nobili Polono Johanne Poblockio, propter homi-

Digitized by Google

homicidium plebeji in agro Gedanenſi, gladio luente pœnam Gedani, menſe Aprili, Anno 1675. cum rationibus, judicium hoc Magiſtratus etiam in Nobiles criminum reos juſtificantibus.

14 Conradi Samuelis Schurzfleiſch Diſſertatio de Rebus Pruſſorum, Wittebergæ 1672. Arctus hic & certè tam celebri Profeſſori inglorius labor, lectoribus famelicis, ne indicis quidem uſum præſtare; ei, qui Hartknochium legerunt, nullum profectum ſed tædium abruptæ narrationis gignere poteſt.

15 Michaelis Behm à Behmfelden Coſ. Gedanenſis, Vom Müntz-Weſen in Pohlen und Preuſſen MSptum, 1672. Quod propter magnam utilitatem, quâ ad fundamentalem hujus illuſtris materiæ publicæ,ante omnia alia quæ usquàm vidi & legi, manuducit, ſummoperè meretur, ut gemino Judicio & diligentiâ notis ampliſſimis ex actis publicis & hiſtoricis illuſtretur, & ad hæc usque noſtra tempora continuetur.

16 M. Matthæus Prætorius Memelenſis, Evangelicæ in territorio Inſterburgenſi Eccleſiæ Paſtor, cujus Scriptum de lingvâ Pruſſorum veterum, Hartknochius de Vet. Pruſſ. Cap. IV. pag. 92. ab ipſo Authore impetratum laudat, Syllabum hunc materiarum in opere magno, quod ſub titulo Deliciarum Antiquitatum Pruſſicarum meditatus pertractandarum, Regiomonti typis editum præmiſit. Sed Anno 1684. ad caſtra Romano-Catholicorum ſpe pingvioris fortunæ, tranſiit, & eodem Anno carmen Regi Poloniæ Johanni III. titulo Scuti Regii typis excuſum obtulit: Indè Strasburgi parochiam nactus Anno 1688. Olivæ Orbem



Digitized by Google

Gothicum, quo Polonis de origine ipſorum quaſi Gothicâ, adblanditus, edidit. Tandem Præpoſitus oppiduli Weyersfrey, Volumen grande, libris decem diviſum, ſculpturis multis refertum, titulo Hiſtoriæ Prutenicæ abſolutiſſimæ Anno 1703. per miniſtrum Regium Boruſſiæ, Gedani reſidentem, D. Adamum Boguslaum Rubach (apud quem illud pervolvi) impenſis Regiis, cum liberali laboris ſui redhoſtimento, typis edendum, tradidit. Quod Berolinum evectum, mortuo mox authore, in archivo Regiô promotorem editionis expectat. Nihilominus idem Prætorius Collectanea ſua, ex quibus Opus illud hiſtoricum compoſuerat, ſub titulis huic Schediaſmati non abſimilibus, proximè ante obitum, inopia preſſus Gedani oppignoravit: Quæ nuper mihi à Creditore oblata, æreque ſoluta Generoſo Alberto Roſenbergio Coſ. Gedanenſi, viro docto, rerum Pruſſicarum apprimè gnaro, mihique amiciſſimo, ad uſus futuros voluntariâ ceſſione remiſi. Hartknochio ſanè & aliis, multam cognitionem Prætorii, in moribus, lingvâ & genio populi veteris Prutenici, tum laborioſam ejus inquiſitionem rerum multarum patriæ ſcientibus, magnum deſiderium Opus hoc videndi dudùm inceſſit, quod ſceleton Schematis hujus exacuit. Sed mihi Schediaſmata illa pervolventi, infirmo judicio, & minutiis occupato ſcripta viſa ſunt. Nunc poſt editam ab eruditis Scriptoribus Regiomontanis des Erleuterten Preuſſens / accuſationem Hartknochii, etiam plagii damnanda.

17 Orientaliſche Reiſe-Beſchreibung Otto Friedrich von der Gröben Marienwerder 1694.

18 Ge-

18 Georgii Grube J. U. D. & judicii aulici Regiomontani Conſiliarii, de Proceſſu fori, ſecundùm Ordinationem Stylum & Conſvetudinem in Pruſſiâ Ducali. Gedani 1696.

19 Theatridium Livonicum h. e. Deſcriptio politica & geographica Livoniæ, appenſis omnibus provinciæ illius Privilegiis veteribus. Cujus author Anonymus fuit Gaſparus von Zeymern (vid. p. 23.) 1690. typis editum.

20 Auszug der die neue Preuſche Crone betreffender Sachen 1701.

— Item Vertheidigtes Preuſſen wider die prætenſion des Ritter-Ordens 1703.

— Item Päbſtlicher Unfug wider die Preuſche Crone / 1703.

21 Inclyta Reſp. Poloniæ Civitati Gedanenſi æquior 1703. Quo Scripto per plurima allegata documenta publica probatur, civitatem Gedanenſem, ſuam ipſius defenſionem propriis ſumptibus, difficili illo tempore contra Suecos procurantem, tributa in Conventibus laudata aliorſum perſolvere, exemplo antiquiorum ejusmodi temporum non teneri, & bona Eccleſiaſtica ſub munimentis ſuis comprehenſa, ad diſpoſitiones bellicas atque modicum ſubſidium Civitatis cogi potuiſſe.

— Item Triga quæſtionum, prætenſum in villis & pagis Nobilium & Eccleſiaſticorum mercaturæ, opificiorum, braxationis & propinationis cereviſiæ exercitium, ex ipſis Privilegiorum & Jurium Pruſſiæ verbis enervatum, concernentium, 1704.

— Item Gratiani Lipinskii Sicilimenta in Zaluskii Epiſc. Varm. Epiſtolarum loca hiſtorica Civitati Gedanenſi præjudicioſa, 1711.

— Item Reſponſio Civit. Gedanenſis ad Manifeſtum. Quâ

 Lo-

Digitized by Google

Locatio militis Poloni in bonis Civitatis patrimonialibus, legibus vetita probatur.

22 Conſpectus Magiſtrorum Ordinis Teutonici generalium, Thorunii â M. Martino Behm Profeſſore Publ. 1712. editus. Syllabus tantum imis digitis non hiſtoriam ſed nomina Magiſtrorum, cum breviſſimis annotationibus ex vulgaribus Chronicis exhibens, rerum planè ſterilis eſt.

23. Succincta Delineatio. Juris Civitatis Mariæburgenſis ad pontem & pontale ſuum, 1718.

24 Diſſertationes curioſæ de rebus Pruſſiæ, videlicet Regiomontanæ.

— De uſu & authoritate Juris Romani in foris Pruſſiæ 1698. Heſſe.

— De variâ fortunâ & authoritate ejusdem Juris in R. Pr. 1713. Idem.

— De ſuccino electricorum principe von Sanden 1714.

— De Inſulâ natante Gerdavienſi ſive Schwimbruch / Anno 1707. Maſecovius.

— De Vitâ S. Adalberti martyris I. & II. Helvichius 1693.

— De Columnâ Oſtrocolenſi termino R. Pruſſiæ â Lituaniâ, 1712. Blæſing.

— De feudis Pruſſorum, Heſſe, 1712.

— De picturis in feneſtris pagorum agri Inſterburgenſis, Anno 1704. viſis & ad miraculum tractis, Anno 1715. von Sanden.

— De ſuccini in medicinâ efficaciâ Doct. Philippus Hartmann Lugdani, 1710.

— De prodigioſe transfigurato Calice Euchariſtico in Sangvinem verum, in pago Rudovienſi propè Regiomontum 1615. Nunc ſub rationes Phyſicas & Theologicas revo-

Digitized by Google

revocato, ab Godofredo Alberto Pauli, S. Theologiæ Doctore 1717.

25 Theophili Sigfridi Bayeri de numis Romanis in agris Pruſſiæ repertis Lipſiæ 1722. In quo commentario conjecturis hiſtoricis deduxit, quomodò & quando tales nummi Romani in Pruſſiam penetrarint, denique ex collatione operoſiſſimâ Voluminum quæ de numiſmatibus antiquis ſcripta ſunt, numos repertos examinavit, & quod non ex mercatorum commercio, ſed ab hoſpitibus advenis veteribus Pruſſiæ incolis in memoriam hoſpitalitatis relicti fuerint, evicit.

26 De normâ regiminis Pruſſiæ Occidentalis ſecundum Juris publici & Privilegiorum fundamenta D. Godofredi Lengnich, Ged. 1722.

27 De muneris Theſaurarii in Pruſſiâ Occid. Juribus Diſſertatio Johan. Conſt. Ferberi Ged. 1722.

# IN OCTAVO ET MINORI FORMA examinatorum.

1 Pauli Scalichii Satyra Philoſophica.

— Item Ejusdem Apologia, Regiom. 1563.

2 Cœleſtini Mislentæ Manuale Prutenicum, 1626.

3 M. Philippi Jacobi Hartmanni, de ſuccino Pruſſiæ, phyſica ac civilis hiſtoria, Francof. 1677.

4 Næniæ Pontificis de Jure Reges appellandi, Auctore Johanne Franciſco Albani, 1706.

5 Preuſche und Brandeburgiſche Staats-Hiſtoria und Geographie/ Caſpar Abels/ Leipzig 1710. & 1711.

6 Reinholdi Curikę Secret. Gedan. de Privilegiis Commentarius, Ged. 1652.

7 No-

Digitized by Google

7 Notitiæ Ducatus Pruſſiæ delineatio Jacobi Lydicii, 1677.
8 Beſchreibung des Landes Preuſſen Germann Adlerholds / Anno 1704.

# SCRIPTA
## non examinata.
## IN OCTAVO ET DUODECIMO.

1 Alberti Polemanns lauffende Urthel / bey Gerichten in Preuſſen gebräuchlich / Elbing 1558.
2 Daniel Klein / Tilſitenſis Paſtoris, Grammatica Lituanica (ita propter affinem & vicinam dialectum, veterum Pruſſorum in Nadravienſi & Schalavonienſi Provinciis reliqua lingva vulgo appellatur) ex mandato Electorali, ad uſus Scholarum concinnata, Regiomonti Anno 1653. typis edita.
3 Bernhardi von Sanden / S. Theologiæ Doct. & Prof. Catechiſatio lingvâ antiquâ Pruſſorum è Germanicâ expoſita Regiomonti 1701.
4 Schediaſma Lilienthalianum de præcipuis rerum Pruſſicarum Scriptoribus, Regiom. 1718.

NB. Monendus es B. L. me nullius ſcripti, quotquot hic Catalogus exhibet, ſcrutinium & cenſuram omiſſurum fuiſſe, niſi is qui ſumptus typographicos expendit, parciſſimas prænumerationes cauſatus, metu incurioſorum, prout hæc dura tempora literis iniqua ferunt, emptorum, manum cohibuiſſet, ne volumen prolixius damnum augeret. Qui defectus imposterum, ſi venditio hujus operis, præter ſpem diſpenſatoris, ſuccedet, facilè impleri poterit.

De

Digitized by Google

De

# Scriptoribus Polonicis atque Pruſſicis,

## quotquot Bibliotheca Brauniana recondit, ſcrutinium & Judicium Authoris.

### I.

JOHANNES DE LASKO, Præpoſitus Poſnanienſis (poſtea demum, ſub Sigiſmundo I. Rege, factus Archi-epiſcopus Gneſnenſis) Regni Cancellarius, juſſu Regis Alexandri, ab ordinibus regni in Conventu Radomienſi An. 1505. exorati; An. 1506. die 27. Januarii, Cracoviæ ex Officinâ Joannis Haller, typis rudibus Gothicis, ſub Titulo: *Commune inclyti Poloniæ Regni Privilegium Conſtitutionum & Indultuum, publicitus decretorum approbatorumque &c.* edidit primus Statuta, Leges & Privilegia publica, a Regibus Caſimiro M. (primo Legum Collectore Poloniæ, inſertis nonnullis etiam antiquioribus Boleslai Pudici Privilegiis Judæorum) Ludovico Hungaro, vulgo Lovis dicto, Vladislao Jagello, Vladislao Jagellonide, Caſimiro III. Joanne Alberto, & Alexandro, ſancita & indulta Reipublicæ Eademque, vigore diplomatis Regii, ante & poſt annexi, conſenſu Senatorum, Baronum, & Nunciorum terrarum, atque Civitatum, ex qui-



bus

Digitized by Google

bus corpus univerſum Regni conſtabat, accedente, ex ærario & theſauro Regni protracta, & diligenter collata, tanquam Originalia ipſa, ad notitiam omnium Regni incolarum Regio nomine publicavit. Quæ quidem leges adeò tunc ignoratæ fuere, ut duo vel tres Barones, aut Patritii Poloni, omnino non fuerint, tot conditas Regni leges ſcientes: neminem autem, inquit Rex Alexander in Diplomate ſuo, & Laskius in præfatione, offendi, inſimul collectas habentem.

Approbante autem eodem Diplomate Regio, Laskius adjunxit Juris Magdeburgenſis & Saxonici quidem Libros duos, Feudalis verò unum. Quæ ſedulò perluſtrans reperio: Primum Librum convenire cum Jure Culmenſi antiquiſſimæ editionis typographicæ, Torunii An. 1584. Capitibus tamen aliter diviſus, & in fine, ex Speculo Saxonico nonnullis Juris Germanici publicis Quæſtionibus de Imperatore & Electoribus aūctus. Secundus Liber, Saxonici Provincialis Juris Laskio dictus; Item ejusdem Liber Feudalis, procul dubio translatio è Weichbildo Magdeburgenſi eſt. Nam & Weichbild promiſcuè Ottonis M. & Ottonis Ruffi meminit: Laskius vero etiam in principio Libri primi ait; *Cæſar Otto Ruffus fundavit templum in Maideburg, & dedit civibus municipale jus.* Quæ tamen contra hiſtoriæ fidem dicta: Otto ſiquidem Magnus Imp. fundator Magdeburgicæ eccleſiæ fuit, & filius ejus Otto II. paucis Hiſtoricis Ruffus appellatus. Prætereà adjecit Laskius Raimundi ſummam, quâ Polonos in cognitione Juris Romani erudire voluit.

Cæterùm ex lectione hujus Voluminis, Laskium virum pium & ſimplicibus moribus fuiſſe, qui Majeſtatem Regis omni humilitate proſecutus, ſcribam ſe Regis pro illâ ætate profeſſus, & omnia ex mandato Regio exſequutus. Et quoniam ex tabulis originalibus ærarii Regni leges ab ipſo deſcriptæ ſunt,

ple-

Digitized by Google

plena fides ipſis, præ cæteris exemplaribus ſequentibus habenda, Volumen autem Laskii propter raritatem magni faciendum eſt.

II. STATUTA DECRETA ET CONSTITUTIONES SIGISMUNDI I. Regis, qui poſt obitum Alexandri fratris An. 1507. regni habenas accepit, ex Mandato Regio operi præfixo, ſimul cum Proceſſus judiciarii formulis, typis Hieronymi Vietoris, Cracoviæ An. 1524. adhucdum rudibus Gothicis publicata, unà cum legum harum indice. Poſtea, literis jam latinioribus acceſſerunt ſancita ejusdem Regis, in Conventibus Annorum 1527. 32. 38. & 1539. Sancita autem ſub hoc Rege adhuc Statutorum nomine (i. e. quaſi quæ à Rege cum Senatu ſtatuebantur) honorantur; Licet jam inde à Johanne Alberto Rege, Nuntii ſive Deputati Nobilitatis, ad leges ferendas concurrerint. Jam inde ab hoc Sigismundo I. cœperunt ſubindè, poſtea verò ſub Sigismundo Auguſto, penitus non aliter quam Conſtitutionum (quaſi ſimul cum equeſtri Ordine ſtatutarum) nomine, Sancita Comitialia appellari. Ridicula eſt inſcriptio editoris formularis forenſis hujus Regis. *Sumite nunc*, inquit, *laqueum rabulæ, jam ſcribere dicas, & cauſas poterit dicere quisque ſuas*. Adeò completæ ipſi viſæ ſunt hæ leges judiciariæ! quæ tamen licet ſæpius auctæ vel correctæ, adhuc non ſufficiunt rabulis.

Notavi ex hoc Statutorum volumine, Sigismundum Primum, nimiâ bonitate ſua, iniqua & præjudicioſa varia, ad importunam inſtantiam Nobilitatis, jam tum fervente libertate Regi oneroſam, permiſiſſe. Quæ ipſemet in lege homicidii, item de Plebeis ab eccleſiis Cathedralibus & Abbatiis amovendis; Item in ſtatuto Thorunienſi, de captivatione Nobilis in flagranti crimine â Magiſtratibus Civitatum, & paſſim alibi non diſſimulavit, ita præfatus: *Nos nuntiorum terreſtrium precibus*



Digitized by Google

*victi, quando hoc illis æquum viſum eſt &c. Item frequentibus petitionibus & clamoribus ſubditorum noſtrorum permoti. Item ad tollendas murmurationes univerſæ nobilitatis, quæ plerumque fiunt propter plebejos &c.* Ab hoc potiſſimùm Rege nimis indulgente Licentia nobilitatis incrementa contra jura Majeſtatis, cum injuriâ ſuccedentium Regum, & Reip. decremento, ſumere & prævalere cœpit: ut ſapientes in Poloniâ Scriptores, ab eo jam tempore de periculoſa libertate eâ, paſſim dolores & queſtus ſuos exprimerent.

Porrò in Herburto Statuta quædam hujus Sigismundi I. recitantur, quæ in hoc Volumine meo non apparent, e. g. ab An. 1539. de quo Anno, ſub titulo Conſtitutionis, nihil præter Contributionum directorium video. Item ab Annis 1540. & 1543. Herburtus titulo de teloneis & paſſim alibi, multas leges exhibet: Sed & Sigismundi Auguſti Conſtitutio Anni 1550. illorum annorum leges allegat. In hoc meo autem Volumine Anni 1539. Conſtitutio ultima eſt: proindè hìc defectum ſtatuti Sigiſmundi I. agnoſcere cogor.

Et hactenus ſtatuta & leges Polonorum Latino ſermone publicata fuere. SIGISMUNDUS AUGUSTUS, defuncto patre, An. 1550. regnum plenè capeſſens, An. 1562. legem tulit, quâ leges Polonorum Polonico idiomate ſcribi juſſerat. Ac proindè Conſtitutiones Regni & magni Ducatus Lituaniæ, jam non aliâ quam Polonicâ lingva promulgatæ, quas ab An. 1550. usque ad Annum 1619. collectas, Andreas Petricovius, Typographus Cracovienſis, impetrato Privilegio Regis Sigiſmundi Tertii, Anno 1615. operi præfixo, ſimul continua ſerie edidit. Harum igitur Conſtitutionum Volumen eatenus eſt primum.

III. CONSTITUTIONUM Regni & M. D. L. ab Anno 1620. usque ad Annum 1652. cum privilegio Regio, ab Andreâ Petri-

Digitized by Google

Petricovio & heredibus ejus, Cracoviæ, nec non ab Ellertó Varſaviæ impreſſarum *Volumen II.*

IV. CONSTITUTIONUM Regni & M. D. L. Cracoviæ aut Varſaviæ, conſenſu Regio, typis impreſſarum, ab Annó 1653. ad An. 1699. adjectis univerſalibus literis & aliis actis publicis Sciſſionis Reip. ab An. 1697. & ſeq. *Volumen III.*

V. CONSTITUTIONUM & omnium actorum Comitialium ac aliorum publicorum Regni & M. D. L. durante bello civili, ab An. 1700. usque ad An. 1718. *Volumen IV.*

Generaliter ad hæc Conſtitutionum Volumina notandum: Quodſi lauda, declarationes & directoria contributionum, diſpoſitiones theſauri & militiæ, Commiſſiones, Aggratiationes condemnatorum, donationes benè meritorum, (quæ omnia ſunt ſancita ſuper rebus præſentibus, ad futura tempora non pertinentia) Si porrò fundationes Monaſteriorum & Templorum, Conſenſus ſuper coëmendis fundis eccleſiaſticis, nobilitatis quoque & indigenatus Privilegia, multis indulta, Libertationes denique & Privilegia privatorum, atque hoc genus alia, reſecentur, vaſta hæc Volumina Conſtitutionum, ad pauciſſimas leges publicas & privatas perpetuas reduci poſſe: Usque adeò, ut nullum regnum Chriſtianum paucioribus legibus gubernetur quàm Polonia; et modò ſub certis titulis perpetuæ leges colligantur, contrariis aut antiquatis omiſſis, paucitate quàm multitudine magis laboret. Unde nullibi magis arbitrio judicum & advocatorum permiſſum eſt, idque ob paucitatem legum, quas illi extendunt, & præjudicatis ſententias ſuas plus firmant quàm legibus.

Nihilominus executio legum in nullâ etiam liberâ Rep. magis quam hìc deſideratur. Sed qui Venetorum Remp. maximè pro-



Digitized by Google

propterea ſummis laudibus efferunt, quod ante de executione rigidâ & perpetua legis, quàm de lege ipſa promulgandâ deliberare ſoleant, ii ſanè rem, fere omnibus Rebus publicis inſolitam, acu tangunt. Inde potiſſimùm ſalutis publicæ longa ætas pendet, ſi poſt pietatis eximium cultum, ſapienter & providè inſtitutæ leges, per viros probatiſſimos præmiis & pœnis ſtrictiſſimâ executione fulciantur. Et quod Machiavellus in Diſcurſu ad Livium Lib. I. c. 17. inquit: *Quemadmodum boni mores, ut conſerventur in Rep. legibus, ita leges, ne violentur, bonis moribus opus habent. Hoc ſanè legum & morum contubernium nullo humano remedio magis conſervari poteſt, quam tali, quod ad inexorabilem acremque executionem legum promulgatarum excogitari poſſet.* Porrò major veneratio legibus ex earum perpetuitate accedit. Sed in Poloniâ ſæpius præter neceſſitatem publicam, privatis rationibus prævalentibus bonas leges reſolvunt, antiquas revocant, recentes abrogant: unde in abundantiâ illâ libertatis, facilè omnis reverentia legum inconſtantium exuitur.

Denique notandum: In Voluminibus illis Magni Ducatus Lituaniæ Conſtitutiones promiſcuè Conſtitutionibus Regni eſſe interſparſas (niſi quod An. 1590. 1611. & An. 1613. 1621. Lituanicas poſt Polonicas ſeorſim expreſſerint) Demùm An. 1649. cum Anno præterito, ex decreto Vladislai IV. Regis, Statutum Lituaniæ Varſaviæ impreſſum eſſet, ab eo tempore Conſtitutiones Lituaniæ ſemper in appendice Conſtitutionum Regni, ſeorſim imprimi typis cœpere, quod adhuc ita ſervatur.

VI. STATUTUM LITUANICUM Vilnæ An. 1693. in Officina Collegii Jeſuitarum, cum privilegio Regis Johannis III. recuſum, additis parallelis aut contrariis Conſtitutionibus ab An. 1550. usque ad An. 1690. Primi Statuti hujus editio typo-

Digitized by Google

typographica, ex decreto Sigiſmundi Tertii Cracoviæ Anno 1588. Altera Vilnæ Anno 1619. Et tertia ex Decreto Vladislai IV. Regis Varſaviæ, Anno 1648. prodiit. Quarta igitur hæc recentiſſima & plenior eſt.

Quantum ad leges in hoc ſtatuto deſcriptas pertinet, tenendum eſt: Lituanos ſicut ante Vladislaum Jagellonem, Ducem ſuum & Poloniæ Regem, in tenebris idololatriæ, ita & in literarum ignorantia cœcutiviſſe, legesque nullas ſcriptas habuiſſe, ſed à Ducibus ſuis abſolutâ poteſtate, pro ipſorum arbitrio & ſecundum conſvetudines, judicatos fuiſſe. Hinc quæcunque leges in ſtatuto enarrantur, à Jagellonica familia ejusque poſteritate originem habent, & An. 1530. demum juſſu Sigismundi Auguſti, Ducis tunc Lituaniæ, collectas, tamen non typis ſed manu tantum ſcriptas, lingvâ ſcilicet Ruthenica aſſervatas fuiſſe (vid. Koialowicz Hiſt. Lituan. P. II. l. 8. pag. 391.) Quicquid enim Lituani in ſcriptis olim habuere, annales videlicet & leges denique, ob vicinitatem Ruſſiæ, ex quâ plebs pleraque in Lituaniam crebris bellis translata fuit, eâ linguâ ſcriptum fuit. Et ex Strykovio probatur, adhuc toto fere Seculo XVIto non aliam Scripturam quam Ruſſicam, in Lituaniæ foris & ſcholis notam fuiſſe. Hæc itaque collectio MSca. legum, usque ad primam editionem typographicam An. 1588. duravit, quam Rex Sigiſmundus Tertius, ex MSto Ruthenico exemplari in Polonicam lingvam transponi juſſerat, quod in hujus Statuti fine pag. 422. editor diſertè teſtatur.

Deinde notandum, Corpus hoc Statutorum ex conſvetudinibus, privilegiis, & legibus Regum & Ducum Jagellonicæ ſtirpis, authoritate Regis, ſummâ diligentia per deputatos Optimates & Nobiles collectum, correctum, & utraque lingvâ Ruthenicâ atque Polonica tunc editum fuiſſe. Conſtitutiones verò

in

Digitized by Google

in Comitiis Regni ab Anno 1569. unione videlicet plenariâ cum Regno, pro Lituanis ſancitas, demùm tertiæ & quartæ editioni privatâ induſtriâ adjectas eſſe.

Certè Lituani hoc uno digeſto, multo plures & ſpecialiores leges ac deciſiones cauſarum habent, quàm Poloni in vaſtis iſtis ſuis Voluminibus. Et quoniam Regiis diplomatibus, ad rogationem Statuum Lituaniæ confirmatum Statutum, conſtansque ac perpetuum eſt, id circò in parte illâ Reipublicæ Lituani feliciores ſunt Polonis, qui à duobus ſeculis, tale Corpus legum, abrogatis contrariis, & temporariis ac inutilibus reſectis, deſiderarunt; ſed nondum conficere, & authoritate Regiâ confirmatum obtinere potuerunt.

VII. JACOBUS PRZYLUSKI, Caſtrenſis Cracovienſis Notarius, vir nobilis & eruditus, ſvaſu multorum, & mandato Regis Sigiſmundi Auguſti (cui prototypum operis biennio ante jam obtulerat) operi præfixo, primus laborem ſuſcepit, Statuta & Conſtitutiones Poloniæ, ex Laskio & aliundè, usque ad ſua tempora colligendi, & quod Ordines Regni tantoperè deſideraverant, methodo bonâ digerendi, denique opus hoc Cracoviæ typis Anno 1553. publicandi. Nihilominus approbationem publicam operi huic Rex ab Ordinibus impetrare non potuit: Quod Eccleſiaſtici offenſi eſſent intempeſtivo zelo Prilufii, qui Reformatæ religioni addictus, perpetuis notis in hoc opere Clerum Romanum liberrimè perſtrinxerat. Ideò Januſzovius in Præfatione Statutorum ſuorum notavit: *Priluſium magis religionem quam jura regni docere voluiſſe; et propterea librum ejus Regio decreto eſſe damnatum.* Quod tamen nemo unquam probavit, nec decretum tale exhibuit.

Interim Priluſii induſtriâ Herburtus & cœteri Concinnatores legum Poloniæ, ſuppreſſo ex odio religionis nomine ipſius, benè

Digitized by Google

benè uſi ſunt. In eo negligens Priluſius, quod generaliſſimo librorum titulo inſerto, nullum indicem ſpecialem tot variarum legum & privilegiorum adjecerit. Eſt tamen index copioſus ab alio quopiam congeſtus, ſed manu tantum ſcriptus & rariſſimus, quem mihi quoque deſcribere & Operi appendere contigit.

VIII. & IX. JOHANNES HERBURTUS DE FULSTIN, Succamerarius Præmislienſis, poſt Caſtellanus Sanocenſis, cum toties in Comitiis Regni Regem Sigiſmundum Auguſtum à Statibus rogari videret, ut opus conciliandarum legum & jurium Regni, à parente ejus Sigismundo Primo jam Anno 1520. & 1543. promiſſum, à Priluſio quidem benè digeſtum, Statibus tamen Romanæ eccleſiæ inviſum, tandem promoveret, & ad approbationem Comitiorum offerri curaret; primùm privato ſtudio latinè Statuta & Conſtitutiones, ex Laskio & Priluſio congeſſerat, generali quidem Priluſii de Perſonis, Rebus & Actionibus methodo retentâ, capitibus tamen immutatis, & multis legibus omiſſis: Quem librum Zamoſcii typis excudi juſſit Anno 1557. Sed cum Anno 1562. Rex, ad petitionem Statuum legem tuliſſet, ut ſtatuta atque jura Polonorum omnia Polonica lingvâ ſcriberentur, atque ſequenti Anno 1563. Conſtitutione, nominatim ad hunc laborem perficiendum Caſtellanum Lublinenſem Zebrzydovium, item Canonicum Kiovienſem, & tertium hunc Herburtum, delegaſſet; nihilominus trimeſtri fruſtrà conſumpto, primi illi duo pertæſi totum opus deſeruiſſent: tandem ſolus hic Herburtus, in ſuum uſum privatum, latinorum quidèm Statutorum & legum faciliorem diſpoſitionem, ſecundùm literas Alphabeti excogitavit; quod opus eodem Anno 1563. ad perſvaſionem Cancellarii Regni, Johannis Ocieſſii, cum præfatione ad Regem, rure patrio Bunovicio



Digitized by Google

vicio ſubſcriptâ, typis Cracovienſibus imprimi curavit. Ubi idem liber poſtea Annis 1567. 1570. & 1600. recuſus eſt, Anno 1597. verò Zamoſcy. Demùm Anno 1620. Dantiſci hoc idem opus, ex collatione juxta Regis mandatum (de quo gloriatùr in fine libri) Stanislai Skrzyszovy, decem legibus antea omiſſis auctum, & iterum Gedani Anno 1697. prodiit. Sed etiam Polonicum ejusdem Herburti Statutum, quod Anno 1570. Cracoviæ typis edidit, hic ſimul exhibeo.

Ex collatione harum editionum notavi: Latinam primam Anno 1557. Zamoſcy impreſſam, eandem eſſe, quam poſtea in Polonicam lingvam tranſtulit, Methodo à Priluſio acceptâ, ſub titulis perſonarum, rerum & actionum. Ita enim Polonica compoſita eſt: plura quoque Statuta & Privilegia continet, quàm poſterior editio Latina Anni 1563. In cujus præfatione ad Regem & Lectorem expreſſe ait: *Quod ad obtinendam perſpicuitatem ac facilitatem evolvendi leges patrias, nunc demùm in hunc Ordinem Alphabeticum eas congeſſerit.* Et in titulo ac præfatione Polonici Statuti idem ſcribit: *Opus hoc ex Latino in Polonicum verſum & congeſtum eſſe.* Editio vero Latina poſterior, Alphabeticâ diſpoſitione digeſta & multum brevior eſt Polonicâ, legibus & privilegiis plurimis in illâ omiſſis.

Porrò cum Herburtus poſt Priluſii jam Anno 1553. typis publicatum opus, nihil in primâ Latinâ & poſtea Polonicâ, in poſteriori autem Latinâ editione, tantum Ordinem Alphabeticum adjecerit, culpandus eſt, quod non Priluſii, imò nec Laſcii nomen, ex quibus tantum profecerat, exprimere dignatus ſit, ut ut ad marginem hujus folia adcitaret. In quo verò Priluſius lapſus, Herburtus fortiter imitando erravit, e.g. in adjectione vocis DEI, in lege quamvis &c. de homicidio. In aſſignando An. 1368. Comitiis famoſis illis Wislicenſibus, in quibus Caſimirus

M.

Digitized by Google

M. primas leges condidit, qui tamen verus Annus 1347. eſt, ſicut hoc alibi demonſtravi. In nonnullis locis craſſiores Herburti quàm Prilufii deprehendo nævos, e. g. In Latina pag. 470. allegat legem Alexandri Regis, Anno 1508. latam, cum Rex ille Anno 1506. mortuus ſit. Et ne errorem hunc typographi putes, eundem in Polonicâ editione p. 96. erravit errorem. Sic in pluribus locis à Laskio, quem allegat, diverſa habet. Neque diſſimulare licet, omiſſis iis, quæ de religione Prilufius intempeſtivè & nullâ ſpe fructûs diſſeruit, opus ejus & doctius & copioſius multo quam Herburti eſſe. Ex quo plurima quidem Privilegia Polonicæ editioni addidit, quæ in Latinâ ultimâ, omiſerat: multa tamen in Prilufio deſcripta adhuc omiſit.

Intemperans quoque adulatio Herburti notanda, quod in præfatione ſua ad Regem Statuti Polonici ita ſcribere ſuſtinuerit: *De ſubditorum V. M. obedientiâ & amore in Rempublicam plura non dicam, niſi quod omnes Monarchæ & Reges ſibi à Deo tanquàm ſummum theſaurum peroptent, ut tales habeant ſubditos, quales ſunt Poloni, apud quos hoc eſt ſupremum gaudium; ut propter Reges ſuos & Rempublicam ſanguinem & bona ſua profundant, hancq; perpetuò intemeratam & integram gloriam conſervantes; quod adverſus Reges ſuos & charam patriam, non facto, ſed nec cogitatu unquam damnoſi inventi fuerint. Et ut præter ambages verbo rem expediam: Hoc eſt nobilis Polonus eſſe, quod in aliis regnis eſt Supremus Dominus: Et econtrario, eſſe nobilis in aliis regnis, eſt eſſe ſubditus Poloni nobilis.* Miror, quod in ſomnio hoc dulci non addiderit: Quantum accedit potentiæ Nobilitati Polonicæ in adminiſtratione Reipublicæ, tantum decedit Majeſtati Regum; Nam hoc verius eſt illo.

Denique & hoc apprimè notandum eſt: Licet Herburtus Latinam poſtea quoque Polonicam Statutorum editionem, juſſu

 Re-

Digitized by Google

Regis & Conſtitutionis Comitiorum Petricovienſium Anni 1565. p. 91. typis edi procuraverit, tamen approbationem avthenticam omnium Ordinum Regni eum nunquam obtinuiſſe, ſed perindè uti Priluſii opus, tot Conſtitutionibus, quæ reviſionem jubebant irritis, non reviſas nec confirmatas manſiſſe. Nihilominus, quia jam ab eo tempore, in Comitiis & Judiciis ſemper ad hæc Volumina, Latinum & Polonicum, provocatur, ita ut Polonis abſolutè Statuti nomine veniat Herburtus: Ideò pro avthenticis, ipſa longiſſimâ conſvetudine habenda eſſe, nemo ambigit.

X. STANISLAUS SARNICIUS, Tribunus Krasnoſtavienſis, Anno 1594. Craçoviæ typis vulgavit Volumen Polonicum titulo tali: *Statuta y Metrika Przywileiow Koronnych.* In quo artificiosâ magis quàm facili methodo, ſecundum dignitates & ordines incolarum Regni, Statuta, Privilegia & Leges, ex Priluſio & Herburto Latino atque Polonico, tùm ex Conſtitutionibus illius ætatis, pulchrè cum effigiebus Dignitariorum & Officialium Regni expreſſit. Laskium inſpexiſſe non video, ut ut folia ex Laskio ſubnotaverit: nam Herburtum Polonicum & Latinum ex oppoſito allegatos, preſsè ſequutus, eosdem cum illis errores, in tempore Wislicenſis Conventus, & in textu paſſim erravit. Ducatus Maſoviæ conſvetudines præterea adjecit; Pruſſiæ verò non pauca jura & privilegia omiſit, quod in cæterarum quoque Provinciarum juribus & privilegiis de ipſo Januſzovius notavit: Formulare Proceſſus judiciarii verò amplum exhibet. Et ſi quis uno intuitu, ea jura, quæ ad quodvis officium vel genus incolarum Poloniæ pertinent, videre amat, huic Volumen hoc non inutile nec ingratum erit, quod in uſum faciliorem indice locuplete ab Auctore inſtructum eſt. Enimverò nec iſte liber Statutorum à Rege & Ordinibus Regni, aucto-

auctoritatem & Confirmationem publicam, quam in aliquot Comitiis author ſedulò petiit, impetravit.

Fuit ſanè hic Sarnicius vir induſtrius & patriæ amans, ille ipſe, qui etiam Annales Poloniæ novis conjecturis in laudem gentis ſuæ inſtruxit: ſed opere hoc non ſatisfecit illis, qui omnia jura & Privilegia Polonorum, atque Provinciarum ei connexarum, absque remiſſionibus in uno Volumine, latinè propter Germanos in Pruſſia, Curonia & Livoniâ, authoritate denique publicâ deſcripta peroptabant. Quemadmodum nec Annalium laborioſo & ànxio opere, gratiam quæſitam lucratus eſt.

XI. JOANNES JANUSZOVIUS, defectum in antecedentibus Statutorum & Legum Poloniæ congeſtoribus, correcturus, pleniſſimum opus Juris publici & privati, tandem Anno 1600. Cracoviæ, idiomate Latino & Polonico edidit. In quo ex Laskio, Priluſio & Herburto, atque ex Conſtitutionibus, ad illum usque Annum ſancitis, nec non aliundè, omnia Privilegia & jura ab aliis omiſſa collegit, abrogata diligens notavit, & ordinem, quem tenuit, non ſolùm in principio generali ſchemate delineavit, ſed pleniſſimo quoque indice, in fine adjecto, legentibus facilem uſum præbuit. Nec immeritò diligentiſſimi omnium laudem retulit, niſi quod nec ipſe ſemper originalia inſpexit, ſed tædio evolvendi aliis nimiùm credidit. Exemplum manifeſtum in Lege, Quamvis, de homicidio, eam Lib. V. Part. VII. Tit. XVII. p. 607. fide Priluſii & Herburti, quem in margine citat, verbis ipſorum Latinè & Polonicè recitat, non inſpecto Originali Laskii, nec animadvertens, textus à ſe exſcriptos, in Latinâ & Polonica lingvâ planè non congruere. Quodſi eâ diligentia uſus fuiſſet, facilè corruptum

 tex-

Digitized by Google

textum Latinum in Priluſio & Herburto corrigere, legemque ab impietate vindicare potuiſſet. Cæterùm Januſzovius, præter generalia Regni Privilegia, toto Libr. VII. provinciarum Regno connexarum propria, plura quam cæteri Collectores omnes exhibet. Nihilominus multa & ipſe omiſit, de quibus aut non potuit ſcire, aut quæ neglexit e. g. in Pruſſiæ Privilegiis & juribus ſingularibus. Porrò neque hic Author publicam Regis & Ordinum Regni Confirmationem operis ſui obtinuit, obſtantibus præ cæteris Civitatum Pruſſiæ internuntiis, ob præjudicia quædam, juribus Pruſſiæ ab eo ignorante vel malevolo intruſa.

Hactenus recenſui ordine ſuo Laskium, Priluſium, Herburtum: Sarnicium & Januſzovium, qui omnes textus legum & Privilegiorum integros recitant, & magna Volumina cumularunt; Quorum ſequentes omnes ſunt Compendiatores, adjectis ſummariter Conſtitutionibus usque ad ſua quisque tempora. Quod ſi omnibus aliis digeſtis & Compendiis neglectis, unum Januſzovium cœteris pleniorem, ordine ab illo cœpto retinerent, & Conſtitutiones perpetuitatem ſapientes, ſingulo vicennio ſancitas ſuperadderent, facilè omnibus cæteris Voluminibus Compilatorum illorum carerent Poloni; & jura atque leges ſuas, uno conſpectu & ordine, facili ſumptu, utroque idiomate, omnibus incolis Regni exhiberent, quas nunc præter hos quinque Congeſtores, in quatuor Conſtitutionum Voluminibus operoſe quærunt.

XII. PAULUS SCZERBITZ, Secretarius Regius, & Aſſeſſor Judiciorum Curialium, *Promptuarium Statutorum & Conſtitutionum Regni Poloniæ*, tanquam Repertorium Voluminum prædictorum, usque ad Annum 1603. quo Dedicationem Libri ſignavit, deduxit. Utut mea hæc editio demum Anno

1615.

Digitized by Google

1615. Brunsbergæ prodierit. Quodſi ſequentes Compendiatores, Ordinem Sczerbitii, viri induſtrii & perſpicacis retinentes, repertorium & indicem Conſtitutionum poſteriorum continuaſſent, melius viris forenſibus, vel cognitionis jurium horum curioſis conſultum eſſet. In eo Sczerbitzius ejusdem cum omnibus cæteris culpæ reus eſt, quod nec ipſe Originem Statutorum antiquorum indagaverit, ſed Herburti fide eosdem nævos attraxerit.

XIII. THEODORUS ZAWADSKI, Nobilis de gente Rogalla, Patre Conſule Cracovienſi & Prof. Medicinæ natus (vid. Starovolſcius de C. Script. Pol. p. 117.) Cracoviæ Anno 1614. edidit Polonicum Compendium Statutorum, Conſtitutionum, Privilegiorum & Legum Regni omnium, usque ad Annum editionis, ſex Capitibus ſive titulis generalibus comprehenſum, absque omni indice ſpeciali. Preſſe, quod in Præfatione ad Lectorem fatetur, in Polonico textu verſionem Herburti ſequutus, quæ verò hic omiſerat, ex Laskio & Januſzovio latinè recitat. Non indiligens ſanè fuit hic Author, qui Originales textus in Laskio & Conſtitutionibus ſedulò inſpexit: ideò poſt Januſzovium, errorem Prilufii & Herburti de Anno Conventus Vislicenſis correxit, & Annum 1347. rectè reſtituit. Præſertim in forenſibus formulis & proceſſu judiciario, quorum maximè fuit gnarus, multa utilia cumulavit. Nihilominùs utut utilitatem laboris hujus in Præfatione ad Lectorem verboſe commendet, ac pro eo à Republica magna redhoſtimenta ſibi polliceatur: tamen ex ſuprà jam dictis verius eſt, Rempublicam Polonam hoc labore facile carere potuiſſe.

XIV. ALBERTUS MAGDALINSKI, *Inventarium Conſtitutionum Regni* ab Anno 1550. usque Annum 1632. ſancitarum, Polonicè ediderat, quod opus Joannes Dziegolewski

usque

Digitized by Google

uſque ad Annum 1643. continuatum, Varſaviæ Anno 1644. typis iterùm publicavit. In quo ſecundùm Ordinem Alphabeticum materias omnes Polonicè diſpoſuit, & ſummariter Conſtitutiones, ad eas pertinentes, ſub Anno, paginâ, & titulo quasque ſuo, allegavit. Nunc poſt alios editores repertoriorum recentium, hic libellus nullum uſum habet.

XV. MATTHIAS MARCIANUS LADOWSKI, Secretarius Regius & Cancellariæ Regni metricans. i. e. Archivarius Anno 1685. typis Varſaviæ edidit, lingvâ Polonica, Conſtitutionum Regni & M. D. L. ab Anno 1550. incipiens, ordine Alphabetico digeſtum compendium. Eatenus forenſibus acceptum opus, quod repertorium hoc recentioribus Conſtitutionibus uſque ad Annum 1683. continuaverit. Qui utiliùs laboraſſet, ſi Paulum Sczerbitzium, primum Compendiatorem eousque deduxiſſet. Antiquiores Sigiſmundo Auguſto leges hic Author planè omiſit, Herburti Statuto contentus, quem remisſive adcitat. Habet præterea hic liber nævos typographi inexcuſabiles, foliis aliquot perverſe impreſſis.

XVI. AUGUSTINUS KOLUDSKI, Judex Terreſtris Inovladislavienſis, *Promptuarium Legum & Conſtitutionum Regni & M. Ducatus Lituaniæ*, ſecundum Status Politicos & Juſtitiæ Officia, libris quatuor Anno 1697. (non adjecto loco) typis publicavit. In quo ſtatuta & leges antiquiores brevitèr ex Herburto Latinè, cæteras ab Anno 1550. ex Voluminibus Conſtitutionum, & Statuto Lituanico poſtremæ editionis, prout ſcriptæ ſunt Polonicè, itidem abbreviatas allegat. Quæ tamen allegata torpore typographi vitioſiſſime expreſſa ſunt. Et hic operæ pretium utilius feciſſet, ſi Sczerbitzium, uſque ad ultimam Conſtitutionem Joannis Tertii Regis, videlicet Annum 1690. continuaſſet.

XVII.

Digitized by Google

XVII. NICOLAUS ZALASZOWSKI, J. U. D. & Archidiaconus Poſnanienſis, An. 1701. & ſequenti, Poſnaniæ typis vulgavit JUS REGNI POLONIÆ Tomis II. additionibus Juris Civilis Romani, Canonici & Saxonici, Hiſtoriisque illuſtratum. In Tomo I. quæ ad Jus publicum pertinent, in II. quæ ad Jus privatum, ferè ad ductum Inſtitutionum Imperialium, tractavit.

Mihi quidem videtur Author ſpecioſo titulo non ſatis feciſſe, & in vaſto Opere negligentiſſimè verſatus eſſe. Namque materias illuſtres quam plurimas e. g. de Jure Teloneorum, & Vectigalium, Tributorum, Indigenatus, Privilegiorum magnarum Regni Provinciarum, & tot alias planè omiſit. Origines Locorum Juris publici Poloni vix unquam attigit: Hiſtoriam vero gentis, quod in titulo promiſit, rarò admodum, & ferè ex recentioribus, inque paucis illis locis quos ex antiquitate eruit, cum errantibus ſecurè erravit; Denique Conciliationem legum Patriarum & loca dubia, ſicco ubique pede tranſiit. Jus Civile Romanum & Canonicum, non cum rationibus paritatis ex fontibus doctrinæ annexuit, ſed tantùm prima Juris Romani elementa quædam parallela ſubnotare ſatis habuit. Ad vaſtum autem Volumen, tot diverſiſſimis Titulis refertum, Indicem aliquem ſpecialem componere neglexit. Ideò vix aliquid ſupereſt, quàm Repertorium Legum Polonicarum, iterùm à Zalaſzowskio, ſub ampliſſimo titulo negligenter recoctum eſſe.

# HISTORICI.

XIIX. XIX. XX. JOANNES DLUGOSSUS DE NIEDZIELSKO, Canonicus Cracovienſis, tandem nominatus Archiepiſcopus Leopolienſis, Caſimiri III. Regis filiorum



Digitized by Google

Præceptor, primus plenam hiſtoriam gentis ſuæ, ab ipſis initiis ad ſuam ætatem deducere, non infeliciter tentavit. Sed ab obitu ejus, videlicet Anno 1480. Hiſtoria hæc MSta, in cœnobiis & domibus nonnullorum Magnatum latuit; usquedùm Anno 1615. à Fœlice Herburto, Joannis Filio, protracta, Dobromili ex Officinâ Joannis Szeligæ, licet integris quidem duodecim libris typis deſtinata fuiſſet, nihilominus ſex tantum prioribus libris abſolutis, cum dedicatione panegyricâ ejusdem Herburti ad Senatum Venetiarum edita eſt. Sic denuò poſteriores ſex libri manu tantum ſcripti latuerunt: donec Anno 1711. (ingratis Polonicis Typographis principem ſuum Hiſtoricum adeò negligentibus) Bibliopolæ Lipſienſes, nactum à Barone ab Huyſſen exemplar integrum Dlugoſſi, & duodecim libris videlicet usque ad Annum 1444. deductam hiſtoriam, pulcherrimis Typis excuderent. Cæterùm Librum XIII. Dlugoſſi, quo hiſtoriam usque ad ultimum vitæ ſuæ Annum videlicet 1480. exegit, idem Huyſſen in Poloniâ â Viro Nobili acceptum, iisdem Bibliopolis tradidit, qui Tomum II. Hiſtoriæ Polonicæ, per expreſſionem Vincentii Kadlubkonis, Stanislai Sarnicii, Stanislai Orichovii Annalium, atque Epiſtolarum Karncovii, carius vendituri hunc Librum XIII. Dlugoſſi, eidem Tomo præpoſuerunt, atque ſic nitidiſſimè Anno 1712. ediderunt.

Dubitarunt non pauci, num decimus tertius hic Dlugoſſi Liber, nunc demum in lucem protractus, genuinus ipſius fuerit fœtus? Enimverò Johannes Gerhardus Voſſius Tract. de Hiſtoricis Latinis pag. 565. diſertè teſtatur: Hiſtoriam Dlugoſſi, in MSto Romæ in Bibliothecâ S. Mariæ in Vallicellâ aſſervato Chronico, usque ad Annum 1480. quo ipſe deceſſit, deductam eſſe. Sed & ex Vitis Epiſcoporum Poſnanienſium Dlugoſſi,

goſſi, à Treterò Anno 1604. editis, præmiſsâ Epiſtolâ ejusdem conſtat, ipſum Anno 1475. has vitas collegiſſe. Unde magis credendum venit, Dlugoſſum Opus grande Hiſtoricum, ex quo ipſe vitas Epiſcoporum collegit, ad finem vitæ ſuæ, Annum videlicet 1480. continuaſſe. Quod & Cromerus apertè ſatis innuit, Lib. 29. in Anno 1480. ita ſcribens: *Joannes Dlugoſſus, deſignatus Archiepiſcopus Leopolienſis, vivere pariter & annales Polonicos ſcribere deſiit.* Quæ verba cum Mechovii Lib. IV. Cap. 72. conveniunt.

Porrò diuturnæ Suppreſſionis Libri hujus adeò utilis ratio, in lectione Partis primæ facilè occurrit: quod nempe Dlugoſſi candida & incauta Simplicitas, quâ nec ſcelera Eccleſiaſticorum Virorum, neque Pontificum ipſorum, Clero tantoperè inviſa, occultavit, impedimenta editionis in publicum pepererit. Hanc cauſam jàm diu Staravolſcius quoque, Libro de C. Poloniæ Scriptoribus Cap. 14. utut calamo diſſimulante & tremulo prodidit: *Joanni Dlugoſſo*, inquit, *primas Hiſtoricorum Poloniæ merito damus, ut qui & circumjacentium populorum fortia aut ſecus facta, veraci calamo depinxerit; quare & in lucem prodire haud permittitur, quod pleraque ſine reſpectu ſcripſerit.* Atqui verò in Dlugoſſo nihil prorſus adeò ſinè reſpectu relatum legitur, quàm horrenda crimina Pontificum & Præſulum aliquot, quæ in lumen calamo Viri Inſulati, & famâ veracis Scriptoris in Eccleſiâ ſua celebris, prodire non permiſerunt, & Herburto plenam editionem Dlugoſſi impediverunt.

Accedit ſupinus quoque in Polonia Librorum neglectus, ex quo Scripta egregia Majorum, præſertim vetera, paſſim à tineis corrodi & ſic deperdita dolemus, ut propterea Starovolſcius, in Præfatione Libri de centum illuſtribus Scriptoribus, non falsò queſtus ſit: *Cum quisque, ait, Megiſtanum noſtrorum malit*



Digitized by Google

*malit ſumptus in canes, equos, veſtes, ſervos, vina aut aromata diſpendere, quàm in ea, quæ æternum per gentes & ætates nomen ſuum propagarent.* Quâ epanorthoſi, ante omnes ampliſſimorum bonorum eccleſiaſticorum poſſeſſores, partem legitimam ſtudiis & literis à fundatoribus deputatam, ſubtrahentes perſtrinxit. Ratio autem, quam Varſevicius Orat. Turcicâ VIII. pag. 111. prodidit, videlicet: *Cum hoſtibus viarum tranſitus & fluviorum fontes maximè ſint occultandi, ideò*, inquit, *Hiſtoriæ Dlugoſſi, qui fluminum fontes accuratiſſimè explicavit, non vulgandæ typis veteribus Polonis inter alias fuit Ratio*, mihi quidem abſona & ridicula videtur.

In Dlugoſſo, pro ætate illâ, ſtylus ſubindè offendit lectorem, nihilominus majori certè laude dignus, quàm quæ illi à Sarnicio in Annalium proœmio tribuitur: *Quaſi materiam tantùm hiſtoriæ, rudi indigeſtaque mole tradiderit:* Et quâ Cromerus ipſum in Præfatione Hiſtoriæ Poloniæ mactat, cum hujus Dlugoſſi vitulo potiſſima exaraverit. Neque Herburtus in Epiſtolâ, Chronico ſuo præmiſſa, Dlugoſſi ſatis æquus cenſor eſt: *Eum*, inquiens, *non eo Ordine ſententiarumque gravitate uſum, ut ad exterorum optimis literis exculta ingenia purgataſque & teretes aures, Scripta ejus penetrare poſſent.* Non enim usque adeò barbarus eſt Stylus Dlugoſſi, ut lectione Doctorum indignus ſit; imò multos ante ſe & poſt ætatem ſuam, Hiſtoricos antecellit, utut æqualitatem Styli usque adeò non ſervaverit, ſed ex aſſvetâ Seculi ruſticitate quædam ſecum traxerit.

Obſervo potiùs in Dlugoſſo, Viro licet ſevero & veritatis amante, nimium ſtudium laudandi gentem ſuam, ſed communi hominum fragilitate, quâ omnes Hiſtorici etiam optimi in partes ſuæ gentis inclinant, & talia, modò non ſint apertè falſa, excuſantur; Multa Dlugoſſi errata quoque, liberâ ejusdem

Cen-

Digitized by Google

Cenſurâ ſequius geſtorum in gente ſuâ, compenſantur ; Quapropter iniquè à Cromero corripitur. Certè in narratione bellorum cum Cruciferis Prutenicis geſtorum, evidenti odio abreptus Dlugoſſus fallit, quod ex collatione Chronicorum Prutenicorum patet. Et à Schützio, Viro gravi & fide digniſſimo, aliquoties per reductionem ad abſurdum refutatus, e. g. fol. 17. 66. & 104. Nihilominus Cromerus & alii, in talibus favorabilibus gentis ſuæ, Dlugoſſum tanquam Oraculum ſequuntur.

Denique & Superſtitio immanis hujus Dlugoſſi notanda, quod Opus ſuum hiſtoricum ſolenni Epiſtolâ operi præfixâ, Zbigneo Cardinali & Epiſcopo Cracovienſi, jam mortuo dedicaverit. Benè gentiles imitatus, qui Carmina ſua Muſis dedicarunt, aut in fine Conviviorum Herculi cæteræque proli Jovis libantes. Vid. Plutarchus in libris Sympoſiacis paſſim. De Kadlubkone, Sarnicio, & Orichovio infra ſuis locis dicetur.

De KARNKOVII collectarum Epiſtolarum Virorum illuſtrium, Libris tribus, quos ipſe jam Anno 1578 in 4to. Cracoviæ ediderat, ipſiusmet Authoris Judicium in Præfatione evidentiſſimum eſt, & Lectorem docet, quid utilitatis inde ſperare poſſit: *Videlicet ut variis Catholicorum conatus & labores pro tuendâ fide Romanâ & exſtirpandâ hæreſi, lecturi, qui optimè de Eccleſiâ & Republica mereri vellent, magnum adjumentum conſequerentur.*

Hæc eſt Karnkovii Sententia, argumentis epiſtolarum, quas collegit, conſonans, licet verba præfationis paulò temperarit. Certè in Paparum, Cardinalium, Hoſii, Karnkovii, Cromeri & aliorum hic collectis epiſtolis, quid contra gregem fidelium, nomine infami hæreſeos iniquè contra Canones Juris

 Pon-

Pontificii, 28. & 30. Cauſ. 24. Qu. 3. damnatorum, niſi triſtia bella, iræque inſidiæquè & crimina noxia ſonant? Utut ex Epiſtolâ Koſſobucii ad Karnkovium LXXII. Libri 3. evidenter pateat: Multos egregios Viros ſeculares Catholicos, rigorem tantum in Evangelii Chriſti participes (quod ita ferè pronunciat) contra Præceptum Dei, inhumanâ crudelitate accenſum, & ad Pacem Eccleſiæ inanem, damnaſſe. Et hæc ferè epiſtola in toto opere eſt lectu digniſſima. Eæ verò, quæ de Rep. tractant, paucæ ſunt, & ab Hiſtoricis illius ævi fuſius explicatæ alibi.

XXI. MATTHIAS DE MECHOVIA, Medicinæ Doctor & Canonicus Cracovienſis, *Chronicon Poloniæ*, à primo Duce Lecho, usque ad Annum 1506. quo Alexander Rex mortuus eſt, deduxit. Sed Jodocus Ludovicus Decius, Weiſſenburgenſis Germanus, Regis Sigismundi Primi primum rei monetariæ Præfectus, poſtea titulo Secretarii honoratus, mox & Coſ. Cracovienſis, cum nuncupatoriâ ſuâ ad Regem, librum hunc à Mechovio acceptum, ſuo ære quod ait, Cracoviæ typis Vietoris, Anno 1521. vulgavit. Ipſe verò Decius in fine Mechovii tres libros ſuos, de Vetuſtatibus Polonorum, de Jagellonum familia, & de Sigismundi I. geſtis, usque ad Annum 1516. adjecit.

De hoc Mechovio (ita ab oppidulo Miechow, in Palatinatu Cracovienſi, unde prodiit appellato) non ſatis mirari poſſum, quod cum Libro 4. Cap. 72. Dlugoſſi Vitam & Scripta luculenter deducat, ejusdem Chronicon, ex teſtimonio Æneæ Sylvii, tanquam opus clarum & prolixum, laudet, & ſe exſequiis ejus interfuiſſe jactet, tamen, quod ex ipſo aliquatenùs profecerit, nullibi ne minimam quidem mentionem faciat, imò potiùs in præfatione ad Lectorem, diſerte inficiari auſus ſit: *Ante ſe hiſtoriam juſtam apparere ullam, paucos aliquicquam de geſtis*

*Po-*

Digitized by Google

*Polonicæ nationis in commune dediſſe legendum, ideoque ſe, talem negligentiam dolentem, ſuum hoc qualecunque rude fundamentum Hiſtoriæ Polonicæ exegiſſe. His Decius in nuncupatoriâ accinit: Eousque Scriptorum penuriâ, res Polonorum in occulto delituiſſe, quousque excellens ille vir, Mechovius, ex multis quidem fragmentis, majorum res geſtas expoſuerit; Et tanto majorem ſuſceperit laborem, quo minus quos tutè ſequeretur, copia daretur.*

Atqui verò conſtat, Dlugoſſi Hiſtoriam tunc jam triginta plus minùs annis ſcriptam, in Polonia, ipſique adeò Mechovio ſatis notam, & multo pleniorem atque exactiorem fuiſſe hoc Mechovii Chronico, quod nihil præter Compendium Dlugoſſi usque ad Annum 1444. perpetuum exhibet. Unde meritò arguendus Mechovius, quod Dlugoſſi laborem erudito plagio ſuum faciens, nomen optimè de patria meriti civis diſſimulaverit. Magis ingenuus Dlugoſſus, qui ſe ætatis ſuperioris tempora, aliorum Scriptorum adminiculis per varias Eccleſias & Bibliothecas ſparſis, à ſe collectis & in Opus ſuum deductis, ſcripſiſſe fatetur. In Epiſtola ſuâ ad Cricium Mechovius, magna nova de origine gentis ſuæ promittit, ſed vix non àd verbum Dlugoſſum recoxit. Præterea Vandalorum cùm Venedorum appellatione, vulgari illi ætati errore, perpetuò confundit, Lechitas & Cechitas in terras incultas Poloniæ & Bohemiæ, à nullis antea unquam habitatas, intraſſe, Æolos, Macedonas & ipſum Regem eorum Philippum, atque filium ejus Alexandrum M. origine Slavos h. e. Polonos fuiſſe, absque rubore aſſerit. Denique ſtylo tam inculto ſcripſit, ut non modeſtiæ verba, ſed veriſſima ipſe de ſe præfatus ſit: *Hiſtoria*, inquit, *hæc in ſe tenuis eſt, ac ſterilis avenæ calamo ſcripta.* Item hoc, quo Cricius, Præpoſitus Poſnanienſis, operi Mechovii applauſit.

*Ve-*

Digitized by Google

*Verum non Criſpus ſcripſit, non Livius iſtud,*
*Lector, opus, Medicus ſcripſit & Aſtrologus.*
*Quare age Grajorum valeat ſententia; Veri*
*Quod ſermo eſt ſimplex, ſic puto gratus erit.*

Vera quidem, nec ipſe Mechovius fingere potuit, ſed ea ex Dlugoſſo hauſit. Qui ſi Piſtorio innotuiſſet, non præpoſuiſſet in præfatione Corporis Hiſt. Poloniæ, Mechovium hunc Cromero, immodico falſoque encomio.

Appendix Jodoci Ludovici Decii dignior lectu eſt, tum propter deductam Genealogiam Domûs Jagellonicæ, tum & acta primis temporibus Sigiſmundi I. Regis: neque Stylus ejus adeò aſper eſt, ut nauſeam lectori moveat. Sed quia Decius extraneus fuit, non abſtinuit ab adulatione, quâ Regis ac Polonorum aucuparetur favorem.

XXII. ANDREÆ FRICII MODREVII, Secretarii Regis Sigiſmundi Auguſti (quod munus tunc fuit in Republ. honoratiſſimum) *de Republicâ emendanda Libri V.* Baſileæ Anno 1553. editi. Cauſam & ſcopum ſcriptionis ſuæ author, in epiſtola ad Regem operi præfixa, ita reddit. *Quia*, inquit, *Polonia leges habet, quæ pridem multam emendationem expoſcant, & judicia talia, ut major in eis ſeveritas deſideretur, & moribus permultis diſſolutio, levitas & vanitas magna appareat.* Et in Epiſtolâ ad Senatum, Vocationis ſuæ ad ſcribendum rationem reddens: *Obverſatur mihi animo jusjurandum, quod cum in eorum Collegium qui ſunt Regi à Secretis, cooptarer, dedi: Me Regem & eos, qui ſint cum poteſtate, cum de noxiis tum de utilibus & honeſtis rebus Reip. neceſſariis, quæ mihi quidem cognitæ forent, nequaquam celaturum eſſe. Facio igitur pro virili, quod ſanctè facturum me recepi, & morum & legum & Judiciorum vitia oſtendo, ordinum diverſorum & actionum abuſus demonſtro, ac rationem in viam redeundi patefacio.*

Hinc

Digitized by Google

Hinc Argumentum illud, quo Reipublicæ ſuæ tanquam in unâ tabulâ proponeret, quæ illi emendanda viderentur, & ut domi bonis moribus legibusque gubernetur, foris armis, arte, & juſtitiâ tributorum, benè ordinatis, ab hoſte defendatur; videlicet de Officiis omnium Reipubl. membrorum, ab ipſo Rege usque ad humillimos ſubditos, per omnes eorum partes, ad obtinendum finem Societatis civilis, vitam nempè tranquillam, ſecuram, homines Chriſtianos decentem; tantâ gravitate ſtyli, argumentis veriſſimis, libertate Conſcientiæ veritatem profeſſæ invictâ, modeſtiâ & prudentiâ ſummâ, præceptis Sapientiæ, non ex aliorum Commentariis, ad ignorantiam Scriptorum plerorumque tegendam congeſtis, ſed præcipuè ex fonte omnis veritatis eloquiorum DEI, paucis veterum Sapientum Sententiis, ex dictamine rectæ rationis, ad majorem demonſtrationem adjectis, atque perpetuò ad exempla Patriæ accommodatis, uno verbo ita exegit; ut in tribus Libris prioribus *de Moribus, de Legibus & de Bello*, cum omnibus ad hos titulos pertinentibus articulis, juſtâ brevitate, omnem doctrinam civilem compendioſe Lectoribus ſapientibus propoſuerit. Qui ex hoc Libello Doctrinæ, Sapientiæ, Sermonis, non verbis inanibus, ſed rebus, ad regulam Chriſtianæ veritatis exactis, onuſti, inſignis denique pietatis dotes, in hoc Authore cognoſcere, & omnibus ad imitationem ſecurè commendare queunt Politicis.

Cum verò Chriſtianum Regem, tanquam in communi navi Rectorem, docere arbitratus ſit, ut non minus in Eccleſiâ quàm in civili parte Reipublicæ pacem, ſine quâ ratis illa magnis motibus quaſſatur & mergitur, curet & promoveat; ideò occaſione Concilii Tridentini, tunc, poſt duos irritos Conventus, tertio reaſſumendi, quodcunque ipſi, nihil



Digitized by Google

penitùs novi molienti, ſed ſecundùm Oracula Dei & Primitivæ Eccleſiæ praxin, in eâ quoque parte ſalubre Patriæ & toti Orbi Chriſtiano videretur, ad Regem, Senatum, Subditosque univerſos, animo veritatis lumine illuſtrato, duobus Libris de Eccleſiâ, propoſuit; Nævos, & ab antiquâ veritate nimiùm aberrantes in Doctrinâ & moribus exorbitantias Eccleſiæ, per potiſſimos Articulos fidei, item Diſciplinæ, Legum & Rituum Eccleſiaſticorum, liberè & cordatè, pietate & modeſtiâ tamen ad calumnias, pro commodis & honoribus Seculi, veritatem, ſcilicet Dei Verbum, ſalutemque gregis ac ſuam impie prodentium, immotâ, diſſeruit. Atque à Concilio legitimo h. e. Communi Regum, Principum, omnisque Statûs Virorum Chriſtianorum voto & conſenſu convocato, in unitate Spiritus Sancti à Viris piis doctisque eccleſiaſticis & ſecularibus, ſolius Verbi Divini, nullius humani reſpectus neu poteſtatis vinculis obligatis, celebrando, definitionem Controverſiarum omnium, & Pacem Eccleſiæ Catholicæ, Regnorumque Europæ expectavit, authoritatique tali ſacroſanctæ ſubmiſit.

Sed Vir ille bonus & pius, cum multis hujusmodi Veritatis Zelatoribus, in omnibus Regnis Chriſtianis, tunc agnoſcentibus, quod cauſæ motuum in Eccleſiis Chriſti, à diſciplinæ ac morum extremâ corruptione, legum ſanctarum ſolutione, Verbi Dei, Chriſtianorum unici firmamenti, ſuper quod Eccleſiam ſuam fundavit, contumelioſâ abjectione, & Vocis Chriſti apud Paſtores juxtà ac greges oblivione, doctrinæ itaque ac rituum omnium in errores infinitos perverſione, provenerint; Proindè à Concilio univerſali, ex omnibus Eccleſiarum membris legitimè, ac in timore Jehovæ, qui ſolus eſt via, veritas & vita, non in ſpiritu mundi, congregato, remedia tanti exitialis mali expectantibus, votaque ſua ſcriptis ſuis

po-

Digitized by Google

poſteritati legenda relinquentibus, ſummoperè ſpe ſuâ fruſtratus eſt. Nihilominus ut Librum hunc fideles, & in erroribus obfirmati, perindè legant optandum eſt, modò rariſſimus denuò Typis recuſus exhiberetur. Nam & illi cum admiratione Bonitatis Divinæ perſpicerent, quanta chariſmata miſericors ille Dominus, cum Lumine Evangelii, in hac ultima ætate mundi relucente, paſſim per omnia Regna Chriſtianorum, in multos viros pietatis & veritatis amantes effuderit. Et hi, niſi giganteo furore cœlum ipſum aſſultare, & Religionem veram absque ullo humanitatis ſenſu lacerare, ovileque Chriſti, prætextu ſolius veritate vacui nominis Chriſtianorum perdere, infernalibus poteſtatibus ſeſe obſtrinxerint, ab hocce Viro, fratre & ſocio ejusdem ſuæ Eccleſiæ, meliora edoceri, & ad veritatis viam è tenebris ſuis educi.

Cæterùm in Libro de Scholâ hoc Modrevius egit, ut earum ſummam in Republicâ præſertim Chriſtianâ neceſſitatem, & ad faciendum populum in fide, moribus & doctrinâ perfectum, utilitatem demonſtraret. Hinc Doctoribus & Præceptoribus in Eccleſiâ priſtinam dignitatem, & commoda in id à Majoribus liberaliter conceſſa, reſtituenda eſſe, Rectores & Gubernatores, argumentis & exemplis expergefecit, ſerioque admonuit.

Starovolſcius quidem Libro de centum Illuſtribus Scriptoribus Poloniæ, No. 60. pag. 81. hunc Modrevium, Lutheri nefariis Dogmatibus imbutum, & Eccleſiæ Portis infeſtum, dicendo quæ non oportuit, ſcribendo quæ non licuit, & agendo quæ non decuit, calumniatur. Simul inſigni ſuperſtitione ſuis ſimilibus perſuadet, libros hos, quia erroribus reſperſi eſſent, â piis contemptos cum Sonitu periiſſe. Sed à pluribus magnis & doctis Viris Romanæ Eccleſiæ, hic Modre-

 vius,

vius, ab Eruditione, Pietate, Concordiæ & Moderationis Studio, ſummopere laudatus; & in additionibus ad Bibliothecam Sixti Senenſis Lib. IV. ad Lit. A. de ipſo ſcriptum, quod vixerit & mortuus ſit catholicè. Proindè ſi qui Romano-Catholici ei ſuccenſent, ſe ſolam libertatem veritatis, & cenſuræ vitiorum errorumque ſuorum in Modrevio odiſſe, produnt. Neque obſtant, quo minus inter teſtes veritatis, è gremio Romanæ Eccleſiæ, juſtum locum in Confeſſione illâ Catholicâ Magni Gerhardi teneat.

Enimverò vis ingenii & ingens facundia, quam Modrevio eodem loco Starovolſcius aſſerit, tanta & tam rara Seculis illis ſequioribus fuit, & adhuc eſt, ut non propter Verborum exquiſitum lenocinium, ac multiformes Senſus, aut profluentes Orationis magis impetus quam ſententias veras, quibus plerique Scriptores vanam laudem ſuam ſectantur; Sed ob illam vix imitabilem firmitatem, quâ Sermo ejus graviſſimis rebus par, æqualis & ſemper ſibi ſimilis, greſſus ſuos juſtis Periodis & Sententiis, fortiter proſequitur, & Lectori vim Argumentorum imprimit, hic Author etiam ab infenſo hoſte laudandus. Ut cæteri clariſſimi Oratores Poloniæ; Varſevicii certè vaga & malè diſpoſita Oratio, Verborumque Inæqualitas; imò nec Orichovii acerbus ſtylus, & majora rebus vocabula, præferendi; omnes denique poſteriores, in eo gravi & ſevero genere Scriptionis, Modrevio nec comparandi ſint. Quemadmodum Lubieniecius illum non vanè, *Virum undequaque præſtantiſſimum* appellavit, *qui, cum per eruditionem ad magnos honores pervenire potuerit, mediocri fortuna, cum veritatis cognitione, magnis hujus Seculi Viris adeò inviſa, contentus vixerit.* Lib. I. Hiſt. Ref. Pol. Cap. 5.

No-

Digitized by Google

Nobilem autem Virum fuiſſe Modrevium, & de gente Modrzewskianâ, quam in Palatinatu Sendomirienſi clariſſimam Paprockius refert, de Symbolo Oſtoia prognatum (qui tamen ex humiliatione Chriſtiana, nusquam de genere ſuo gloriatur) vel præcipuè ille locus docet, ubi in Præfatione ad Legatos, à Rege & Republica ad Concilium Tridentinum deſtinatos, ita fatur: *Qui à Nobis publicè delecti eſtis.* *Item: Mittimus vos de medio Noſtri, Viros lectiſſimos.* Unde Nuntii terreſtris munere Comitiis interfuiſſe Modrevium patet. Et adhortationem ſuam ad Legatos illos his Verbis concludit: *Si igitur libertatem Concilii appetitis, ſi magnos in Eccleſiâ abuſus eſſe cernitis, qui emendationis indigeant, defendite Nos, ſtudiis Noſtris favete.* Et in fine Libri de Eccleſiâ: *Fieri non poteſt, quin cui Religio ſit cordi, ſuſpiret in tantâ rerum ſacrarum profanatione, ac etiam congemiſcat, liberationem expectans ab hâc ſervitute corruptionis, in libertatem gloriæ Filiorum DEI.*

XXIII. MARTINUS CROMERUS, Epiſcopus Varmienſis in Pruſſiâ, *de Origine & Rebus geſtis Polonorum ſcripſit Libros XXX.* Cujus Hiſtoriæ optima eſt editio Colonienſis Anno 1589. adhuc vivente, ſed eodem Anno mortuo Authore, reviſa, & variis acceſſionibus aucta. Cæterùm Opus hoc ſtylo æquali, ſtudio & judicio bono, & ſi verum eſt quod gloriatur Author, ex originalibus documentis Archivi Regni, cui revidendo à Rege Sigismundo Auguſto Præpoſitus fuit, conſcriptum (quod tamen de exiguâ hiſtoriæ hujus parte, nimirùm quæ Privilegia & alia Jura Regni tangit, accipiendum eſt) laudem ſummi Sarmatiæ Hiſtorici Cromero iu Orbe literato peperit. Quum Chriſtophorus Varſevicius Lib. de Origine Generis & Nominis Poloni, ſub Perſonâ Comitis Tencinii, non ſine injuriâ Dlugoſſi & Vapovii, egregiorum



Digitized by Google

Hiſtoricorum (allegante Hartknochio in Exercitatione ad Chwalkovii Jus publicum pag. 20.) proclamat: *Kadlubkos, ait, Dlugoſſos, Mechovitas, Baskos, Vapovium, & alios, bonos quidem Viros, ſed ineptos Magiſtros Latinitatis, & fortaſſis etiam veritatis eſſe. Sed Cromerum bono loco ponendum, atque etiam inter Noſtros Hiſtoricos ſummo.* Imò ſubjungit, *neſcire ſe, utrum Natio altera, ſi Æmilium Gallicæ Hiſtoriæ Scriptorem excipias, Cromero habuerit meliorem.* De quo loco, quod in allegato libello Varſevicii, vix quoad initialia Verba legatur, prolixè vide infrà in Cenſurâ ejusdem Libelli; De Origine Generis & Nominis Poloni.

Certè maximam partem Hiſtoriæ Cromerus ex Dlugoſſo hauſit, cui primi & boni Hiſtorici laudem, nævis Hiſtoriæ vulgaribus æquanimiter excuſatis, nemo præripit, & Cromerus ipſe, in Præfatione priori ad Sigismundum Auguſtum Regem, fatetur.

Cæterùm neque Cromerus, quemadmodùm nihil ſub Sole, absque luculentis nævis eſt. Amore enim gentis ſuæ abreptus, etiam aliter ab aliis narrata, liberè deſtruit, ut gloriam Sarmatarum non interruptam ullo diſpendio, obtineat. Hinc fabulam de Wiſſimiro, qui à Dlugoſſo & Mechovio ſaniùs omittitur, Vapovium ſecutus inſeruit, ut gloriam gentis ſuæ; usque ad victam & ſubjectam Poloniæ Daniam extenderet. Quod figmentum Bielskius, & alii Authoritate Cromeri decepti, ſeriò proſequuti ſunt. Sed præter alios, Gaſparus Schützius, Secretarius Gedanenſis, in Chronico Pruſſiæ Lib. I. pag. 8. ex ipſis Saxone & Krantzio, à Cromero falsò allegatis, originem fabulæ luculenter detexit. Scilicet Polonicis Scriptoribus hunc eſſe morem, ut quæcunque à Venedicis Principibus in Mechlenburgenſi & Pomeraniæ Ducatibus regnan-

Digitized by Google

regnantibus, geſta ſint, immenſum aucta Polonis ſuis adſcribere ſoleant. Utut enim Venedi, Schlavonicæ fuerint Originis, nihilominus ſub Polonorum Monarchis tunc fuiſſe, nunquam probatur, tamen à Scriptoribus Polonicis audacter præſupponitur.

Etiam in omnibus Rebus, quæ Germanos, præſertim Cruciferos Pruſſiæ attinent, Cromerus pro amplificandâ gentis ſuæ juſtitiâ & gloriâ armorum ſæpiſſimè fallitur, incertis vel planè irritis abductus Opinionibus. Quemadmodùm non ineptè Venator in Hiſt. Ordinis Teutonici; Schützius quoque & alii paſſim deduxerunt: nihilominus Poloni Scriptores narrationes Cromeri tales extrà omne dubium ponunt, iisque Hiſtoriam ſuam animoſè fulciunt.

Prætereà rectè Cromerum Varſevicius, in Libro de optimo Statu Libertatis pag. 165. arguit, quod multa inſignia olìm vel etiam ſuo tempore geſta, omiſerit per errorem, aut quod ea planè neſciverit. Quorum exempla ibi allegat; & plura hujusmodi ex aliis colligi poſſunt.

Porrò cum Cromerus de Oppidulo Biecz (in Palatinatu Cracovienſi, quinque milliaribus Sandeciâ ſitò) oppidani filius fuerit, ſolâ virtute, non jure patrio ad Senatoriam Dignitatem eluctatus, prout de ipſo Starovolſcius Lib. de Centum Poloniæ Scriptoribus refert, & Stanislai Stoslavii elogium allegat:

*Natus in obſcurâ Biecenſi plebe Cromerus:*
*Cur proprium vincat, quæris, honore genus?*

Nihilominus oppidi paterni, licet toties occaſio fuerit, nullam aut breviſſimam fecit mentionem e. g. pag. 87. & 186. ſed ingratus virtuti ac Deo ſenex (qui præ cæteris actionibus inter ho-

mi-

mines, amat de plebe erigere, quos inter Principes populi ponat, ita ut ſecundum Senecæ veram Sententiam, nemo Rex niſi ex Servis, nemo Servus niſi ex Regibus originem ducat, idque ad confundendam communem hominum conſanguinitatem) ante oculos omnium ſui temporis, originem diſſimulavit, ſeque de paterna & materna Stirpe Nobilem pag. 498. Lib. 1. de Republ. Poloniæ jactavit. Quod vel ex eo refellitur, quia ſibi ab Rege Sigiſmundo Auguſto, & ab Imperatore Ferdinando, Nobilitatis inſignia collata ipſe prædicat, quæ ſanè Vir antiquæ Nobilitatis nunquam acceptaſſet. Ideò Paprocki Stemma hoc pag. 586. recenſens, à Rege & Cæſare, ex Regni Poloniæ & Imperii Romani Symbolis conflatum refert. Sed & geminum Gamrato, olim Epiſcopo Gneſnenſi & Cracovienſi, appinxit Starovolſcius, in vitis Epp. Cracovienſium ſignum, quia Nobilitate Cromero æqualis, vitiis tantum avaritiæ & ſimoniæ, quibus Epiſcopatus à Reginâ Bona emit, multum ſuperior fuit. Certè omnes ejus coævi Scriptores, Nobilitatem Cromero nullam tribuunt, & virum non quidem genere, ſed doctrinâ & eruditione clariſſimum appellant. Ita loquitur de eo Varſevicius Lib. de legato & ſimiliter alii. Meminit Treterus Lib. de Epiſcopis Varmienſibus, pag. 121. ſcripſiſſe Cromerum Apologiam de Nobilitate ſuâ, qui ad Cognitionem hujus Rei utilis lectu foret, ſi extaret. Sed nec iſtud Scriptum Cromerum apud Status Pruſſiæ quicquam juvit, qui usque ad morum illi ſedem in Senatu tanquam alienigenæ recuſarunt.

Annexi ſunt editioni huic Cromeri, præter ejusdem de Republicâ ſeu de ſitu & gente Poloniæ, Libros duos, quibus juxta deſcriptionem Geographicam ea, quæ ad Rempublicam, ritus & mores privatos quoque ſuo tempore pertinebant, delineavit.

(1.) Bern-

Digitized by Google

(1.) BERNARDI VAPOVII *fragmentum Hiſtoriæ Polonæ*, quo Imperium Sigismundi Primi ab Anno 1507. ad Annum 1535. continetur. Scripſiſſe autem Vapovium integram à principio Chronicorum Polonicorum Hiſtoriam, Varſevicius teſtatur; & eandem Cromerum habuiſſe, patet ex hiſtoriâ de Viſſimiro, quam Lib. I. & II. pag. 17. 18. 19. teſtimonio Vapovii exſtruxit. Sed quod editioni Cromeri, ipſo adhuc vivente, curâ Thomæ de Plazza Parochi Cracovienſis, tantum fragmentum hocce adjectum ſit; licet ipſe Cromerus, in Præfatione ſecunda ad Regem Stephanum, fragmenti hujus tanquam à ſe additi mentionem faciat, ego rationem non divinabo. Niſi hæc fuerit, quam Plazza in Præfatione fragmenti ſuppeditare videtur: *Extitiſſe quidem tunc adhuc annales integros Vapovii, ſed ſparſim inter privatos, maleque conſcriptos delituiſſe, ita ut vix hoc fragmentum ad ſupplendam Cromeri Hiſtoriam, usque ad Annum* 1535. *de qua tantum Plazza ſollicitus fuit, eruere poſſet.*

Proindè magna negligentiæ nota Polonos doctos illius ævi viros urit, quod Hiſtorici boni & ſeduli Opus planè otioſi perdiderint. Ex hoc enim fragmento patet, Vapovium non adeò rudem vel fide indignum fuiſſe Hiſtoricum, ſicut eundem Varſevicius arguit; utut fatendum ſit, verboſum nec ſatis judicioſum eſſe, ceu nitidum & accuratum Hiſtoricum decet. Et cum Annales inſcripſiſſe dicatur, annos ſingulis geſtis non diligenter adnotaſſe, denique parvis rebus, quâ dicacitate Vir bonus naturâ imbutus fuit, cum faſtidio legentis immorari.

(2.) Addita eſt PHILIPPI CALLIMACHI Tuſci, Filiorum Caſimiri III. Regis Præceptoris, *Hiſtoria Imperii & Necis, ad Varnam cæſi, Vladiſlai Jagellonidis*, Caſimiri III. Fratris, Poloniæ & Hungariæ Regis, tribus Libris compoſita.

 Eru-

Digitized by Google

Eruditum Oratorem & Poëtam fuiſſe Callimachum, omnes prædicant: enimverò Hiſtoriam hanc nec Stylo neque Judicio tali ſcriptam eſſe fateor, qualia ab homine Italo & Doctore antea Romano expectanda, tantisque laudibus, quibus à Paulo Jovio mactatur, digna forent. Sed etiam propterea Jovius, quod hoc Opus adeò eleganter & exactè compoſitum, ut *omnes qui à Tacito, per tot Secula illud ſcribendi genus attigerint, ſuo Judicio ſuperarit*, buccinavit, meritò à maximo Criticorum, Gerardo Joanne Voſſio Lib. de Hiſtoricis Latinis pag. 620. tanquam qui multa à vulgo potius haurire, quam rerum gnaros conſulere ſoleat, corripitur. Quod Judicium de Jovio multi eruditi, in cæteris Author Præfationis hujus Callimachi Hiſtoriæ approbarunt: *Videlicet Jovii unam curam fuiſſe, multa ſcribere, quam rectè atque ex gravis alicujus Scriptoris fide ſcriberet, aut perexiguam aut nullam.*

Cæterùm inquietum & factioſum hominem fuiſſe Callimachum, qui Regem Joannem Albertum, ad convellendas patrias Leges, artibus Italicis impulit, geſta Regis illius & abrupta Conſilia, tum luculentum Cromeri Teſtimonium, quod Libro XXX. habet, ſatis evincunt.

(3.) Denique, præter *Orationes & Epiſtolas* aliquot *Crameri, Karnkovii, Sulikovii & Varſevicii*, adjecti ſunt REINHOLDI HEIDENSTEIN, Secretarii Regii, Commentariorum de bello Moſcovitico Libri ſex. Qui, cum ſub Rege Michaële Anno 1672. Francofurti, ampliori ejusdem Hiſtoriæ de Rebus Polonorum, ab exceſſu Sigismundi Auguſti Regis titulo, Libris duodecim, à Filio Joanne Heidenſtein, Caſtellano Gedanenſi editæ, inſerti ſint, infra commodius recenſebuntur.

XXIV.

Digitized by Google

XXIV. MARTINUS BIELSKI Chronicon Poloniæ, patrio ſermone, ab initiis hujus gentis ſcribere cœpit, quod Filius Joachimus, Secretarius Regius, à ſe continuatum, & usque ad Annum 1586. mortem nempe Stephani Regis perductum, Anno 1597. Cracoviæ typis publicavit: Stylo quidem Polonico ſecundum illam ætatem virili & ſimplici, non prout nunc eſt, affectato & ſententiis poëticis phalerato, judicio quoque bono, & brevitate concinnâ hoc Chronicon ſcriptum eſt, ita ut quicquid apud Dlugoſſum & Cromerum optimum notatuque dignum occurrit, brevi narratione in Bielskio exhibeatur.

Queritur Bielskius non immeritò de puſillanimitate Cromeri, quod cum geſta Regum, Sigismundi Primi, Sigismundi Auguſti, Henrici & Stephani, ſub oculis ejus, multa quoque negotia extranea per manus ejus contigerint, nihilominùs metu odii ab adhuc viventibus nonnullis potentibus, Hiſtoriam ſuam ante Sigismundi Primi tempora abrumpere, & incompletam derelinquere maluerit, quàm animoſe ſuperatis odiis, veritatem ævo ſuo actorum orbi liberè tradere. Quam ſpartam Bielskius glorioſe ſibi ſumpſit, veruntamen & ipſe multa odioſa ſicco pede tranſiliit.

Fuit enim Aula Regis Sigismundi Auguſti corruptiſſima, à quo tempore mores Polonorum ab antiquâ gravitate declinarunt, & ad extraneam levitatem prolapſi ſunt. Hoc Orichovius fortiter perſtrinxit, ſed Bielskius cum aliis diſſimulatione texit. In multis fidem Cromeri tanquam Oraculum ſequutus, pariter hallucinatur.

Laudanda quoque eſt Bielskii diligentia ſingularis, quâ Nobilitatis Polonicæ antiqua inſignia ſemper ad mentionem eorum, in margine exſculpſit, in quâ arte ſolus Paprocius eum antecelſerat.



Digitized by Google

XXV. MATTHIAS OSSOSTOVICIUS STRIYKOWSKI, Canonicus Miednicenſis in Samogitiâ, gente Polonus, peragratâ magnâ parte Europæ & Aſiæ, variarum Lingvarum & Nationum commercio, multis antiquitatum Monumentis perluſtratis, præter extraneos Hiſtoricos Græcos, Latinos & Germanos, Turcorumque annales evolutos, ex MSptis Chronicis Lituanicis No. 12. Prutenicis No. 5. Livonicis No. 4. Polonicis No. 5. Kioviensibus No. 4. Ruſſicis compluribus, denique Moſcoviticis, Bulgaricis & Slavonicis aliquot, integro ſeptennio, labore maximo, CHRONICON *Lituanicum, Polonicum, Ruſſicum, Pruſſicum, Livonicum, Samogiticum & Moſcoviticum*, Lingvâ Polonica compoſuit, typisque Regiomontanis Anno 1582. quousque Hiſtorias deduxit, cum Privilegio Regis Stephani publicavit.

Quo labore magnam laudem meruit, quia ante eum nemo, tot documentis antiquitatis (præſertim à Seculo X. quo fides Chriſti ſimul cum notitiâ ſcribendi Ruſſos illuſtravit) tàm amplam de gentibus illis aggredi auſus fuit Hiſtoriam, pauci verò & in his Baro ab Herberſtein attigerunt. Ideò digniſſimus hic Author, quem Albertus Wyjuk Kojaliwicz perpetuo compendio, quantum ad Hiſtoriam Lituanicam pertinet, nitidâ Latinitate vertit. Cæterarum gentium, videlicet Ruſſorum, Tartarorum & Moſcovitarum, non niſi Polonæ Lingvæ gnaris adhuc patent, quorum nulli meliores quam Herberſteinii breves Commentarii hactenus exteris innotuere. Et quia hoc Striykovii Chronicon nunquam poſt hanc primam editionem recuſum eſt, incuriâ Polonis ſvetâ, idcircò poſſeſſoribus ejus rariſſimum eſt & cariſſimum.

Promiſerat Strikovius in Præfatione, Latinam & Germanicam Verſionem Chronici hujus ipſe curare: ſed à morbis

&

Digitized by Google

& ſumptibus impeditus, aliis eam curam reliquit. Cæterùm in hoc Chronico nonnulli evidentes errores Chronologici occurrunt, quædam res geſtæ aliquot Seculis diſcrepant. Sed qui confuſum ex tot MSptis concinnandi operis laborem, & in migrationibus gentium præcipites hiatus perpendit, is lapſus memoriæ, aut inſufficientes deductiones antiquarum rerum, quas narrat, ob defectus annalium in Populis Ruſſicis vix ſeptem, Lituanicis verò tantùm tribus abhinc Seculis ad fidem, & ſimul ad literarum cognitionem converſis, æqui conſulet.

XXVI. ALEXANDRI GVAGNINI, Itali, & Præſidii Vitebſcenſis in Lituaniâ Præfecti, Nobilitate à Polonis donati, *Deſcriptio Sarmatiæ Europææ*, cum Chronico compendioſo Ducum ac Regum Poloniæ atque Lituaniæ, usque ad Henricum Valeſium, ſingulis â Clemente Janitio ſubſcriptis elogiis metricis, Anno 1581. Spiræ edita typis bonis, ſed à negligentiſſimo artifice mendoſiſſimè diſpoſitis.

De vero hujus Libri Authore indagando eruditi, præter Hartknochium, hactenùs incurioſi fuere: ideò exteri omnes Gvagninum pro vero agnoſcunt & ſequuntur, quia Striykovium polonicè tantum editum, non habent nec legunt. Polonos tamen Hiſtoricos miror, præſertim Starovolſcium, qui, cum in Libro ſuo de Centum Poloniæ Scriptoribus pag. 52. Striykovio hanc Sarmatiæ Europææ deſcriptionem diſertè adſcripſiſſet, nihilominus pag. 102. Gvagnino tribuit Chronicon Poloniæ, puro & nitido Sermone Latino ſcriptum, cum additione, in Polonicâ ejusdem Verſione, Paskovii Geographicæ Deſcriptionis Populorum ſeptentrionalium. Atqui verò hâc Starovolſcii circumlocutione, nihil aliud quàm hæc Deſcriptio Sarmatiæ Europææ intelligi poteſt, cujus pars erat Chronicon



Digitized by Google

à Gvagnino ſeorſim Cracoviæ Anno 1578. Latinè, poſteà verò Anno 1611. Polonicè à Paſcovio, (de quâ editione Numero ſequenti) utraque, nempe Chronicon & Deſcriptio Geographica populorum ſeptentrionalium, ſecundum anteriorem editionem Spirenſem Latinam, quam hic recenſemus, verſa & edita. Nam & Piſtorius in Corpore Hiſtoricorum Polonicorum, partes has duas diviſit, & ſingulas diverſis Tomis primo nempe & ſecundo interſeruit. Aut igitur incuriâ aut induſtria Starovolſcius Opus hoc ſub alio titulo Gvagnino tribuit, ut ipſum ab infamiâ plagii liberaret: Utpotè cujus obitum Anno 1614. honorifico elogio proſequitur his verbis:

*Miles, Dux, Comes, geſſit, coluit, celebravit,*
*Arma, Aulam, Muſas, Marte, Decore, Stylo.*

Enimverò major fides Strikovio habenda, qui in Chronicô ſuo aliquoties, hanc Sarmatiæ Europææ Deſcriptionem ſui ingenii fœtum eſſe, Deo & Conſcientiâ teſtibus advocatis proclamat; Gvagninum literarum rudem fuiſſe, & ſibi, cum Vitepſciæ ſub ipſius Præfectura militaret, laborem hunc (qui tanquam prototypoſis magni Chronici ſui â Striykovio collectus fuit) nefariò ſurripuiſſe, & quibusdam additis ad prælum maturaſſe, proteſtatur. Certè qui Deſcriptionem hanc Europæam cum Chronico Striykovii confert, unius Authoris collectanea eſſe animadvertit: Quæ ratio Hartknochium in Striykovii partem traxit. Addo autem Privilegium Regis Stephani, Anno 1580. Vilnæ ſignatum, Chronico Striykovii præfixum, quod expreſſis Verbis Sarmatiæ hanc Deſcriptionem juxta atque hocce Chronicon magnum, Opera Striykovii eſſe dicit, & Typographis invito Authore excudendi utriusque Operis facultatem pœnaliter vetat.

Ideò

Digitized by Google

Ideò effrœnem Audaciam Itali iſtius mirari ſubit, quod ante Edictum Regium hoc, Cracoviæ Anno 1578. iterùm Spiræ Anno 1581. antequam Striykovius Chronici ſui Opus Regiomonti typis perficere potuiſſet, cum Præfatione ſuâ ad eundem Regem, vivente Striykovio plagium hoc publicare auſus fuerit: & quod poſtea Striykovius eundem tractatum Sarmatiæ Europææ, tanquam jure vindicatum, in Poloniâ ſuo nomine excudi non curaverit. Cæterùm quia Chronicon Striykovii non niſi Polonicum extat, ex eodem verò multa ad Origines & alias Antiquitates gentium Sarmaticarum, fines, mores & imperia â Gvagnino excerpta ſunt, digna Deſcriptio Gvagnini exteris lectu cenſenda eſt.

XXVII. KRONIKA SARMATYI EUROPSKIEY, *to jeſt Polska, Litewska, Ruska, Pruska, Zmudska, Inflantska, Moskievvska y Tatarska, przez Alexandra Gvvagnina Anno* 1578. *a teraz przez Marcina Paſzkovvskiego, curâ Authoris na Polske przetlumaczona w Krakowiæ Anno* 1611. Hoc Polonicum Chronicon, de Verbo ex Sarmatiæ Europeæ Deſcriptione Gvagnini translatum eſt. Sed ab illis Regibus, in quibus Latina editio deſiit, continuatum: videlicet poſt Henricum Regem, in Latinâ ultimum, adjecta ſunt ſuccinctè acta Stephani, & Sigismundi III. usque ad Annum 1588. In Lituaniæ deſcriptione, poſt Alexandrum Ducem addita Hiſtoria Sigismundi I. In Moſcovitico Chronico Latinum finit cum Anno 1580. Hæc verò Polonica Editio progreditur usque ad Annum 1611. videlicet bellum illud famoſum Polonorum in Moſcoviâ pro Demetriis falſis ſive ſuppoſitiis.

Et hoc quidem Chronicon Gwagninus ope aliorum ex Striykovio excerptum, quia ipſe bellis Ruſſicis interfuit, facile continuare potuit ad ſuum ævum, prout id in Præfatione

hujus

Digitized by Google

hujus libri interprete Paſzkovio, jactat. Enimverò quæ pro ſuo res exterorum Polonicè enarrandi pruritu, vel Gvagninus vel Paſzkovius in hoc Volumine, de Sveciæ & aliis Regnis per Compendium refert, aliquicquam; quæ autem de Germaniâ, penitus legi non merentur, usque adeò in Hiſtoriâ extranea rudis, tamen de iis ſcribere auſus eſt.

XXVIII. STANISLAUS SARNICIUS, Tribunus Craſhoſtavienſis, (ille ipſe qui Statuta & Metricam Privilegiorum Regni, de quibus vid. ſupra No. X. edidit. Anno 1587. Cracoviæ typis imprimi curavit propriis Sumptibus, *Annales de Origine & rebus geſtis Polonorum ac Lituanorum.* In quibus rem antehac ignotam Orbi Sarmatico vindicaſſe gloriatur, nempe deductionem gentium Sarmatiæ ab Aſarmoth, ſextâ generatione nepote Nohæ, usque ad Lechum continuâ ſerie excogitatam; In quâ Dlugoſſus, Cromerus, Bielskius & alii inaniter laboraſſe ipſi viſi ſunt.

Sed ut rem æternis tenebris obvolutam erueret, omnes Nationes antiquas Sarmatiæ vicinas, Vandalos, Gothos, Getas, Pañonios, facit Sarmatas, eorumque geſta ex Hiſtoricorum fragmentis, Sarmatarum confœderato ſub nomine Slavorum populo, tribuit; ita progreſſus usque ad Lechum Primum; inde Chronicarios Polonicos preſſe ſequitur, ex quibus tamen quæ ipſi rariora aut ab illis omiſſa viſa ſunt, tantum delibat, usque ad finem Anni 1586. Stephani Regis nempe obitum.

Enimverò ante illum Matthias Striykowski Lib. 4. pag. 92. ſeqv. Chronici Origines Sauromatarum Slavorumque, multis adcitatis Hiſtoricis, ad Aſarmoth Nohæ atnepotem ex Filio Sem ſecundum Geneſ. Cap. X. deducere laboravit. Qui tamen in tenebris illis inconſtans & obliviosſus pag. 109. Sarmatis iterùm ex Japeti Filio Moſoch originem attribuit. Ita quoque

jam

Digitized by Google

jam Dlugoſſus, Mechovius, Decius, Cromerus & alii vani laborarunt, ex incertis vocabulorum ſonis certam hiſtoriam, ad gloriam Sarmatarum texentes. Qui ſi paulo tantum altius progreſſi fuiſſent, nempe ad ipſum Noah, procul dubio rem acu tetigiſſent; Quia ab ipſo omnes gentes & Populi, qui habitant ſuper faciem terræ, originem indubitatam deducunt.

Annexa huic operi eſt ejusdem Sarnicii *Deſcriptio veteris & novæ Poloniæ Chorographica*, quam promotore Johanne Sienienio, Caſtellano Leopolienſi, jam Anno 1585. ediderat, & ideò in editione nupera Lipſienſi Tomo II. Dlugoſſi annexâ, hic Sarnicii Tractatus ab ejusdem Annalibus rectè ſeparatim impreſſus eſt. In hâc deſcriptione topographicâ ſingulorum oppidorum & caſtrorum, inſigniores circa eadem res geſtas & perſonas breviter commemorat, quæ tamen in Locis Pruſſiæ & Livoniæ multis erroribus imò & fabulis referta, de ſuperficiariâ cognitione Chronicorum Prutenicorum Sarnicium arguunt.

Cæterùm induſtrium & lectionibus delectatum fuiſſe virum hunc, libenter credimus: ſed Judicio & memoriâ debilem, tot ejus ſphalmata hiſtorica quibus refertus eſt, & in Præfatione editionis nuperæ Lipſienſis à Viris doctis ſingulatim notata, aperte comprobant. *Et proindè, quod oculorum & ingenii ſui aciem, prout in præfatione ſuâ tantoperè ſuſpirat, ad hoc Siſyphium Saxum obtuderit*, commiſerationem, non laudem meruit. Quæ enim in Hiſtoriâ magis dubia quæſtio eſt, quàm ea de migrationibus & originibus gentium: Ut Bodino, in Methodo Hiſt. Cap. 9. egregiam ſententiam hanc expreſſerit: *Sic divinâ exiſtimo*, inquit, *ultione factum eſſe, ut Græci Latinis, quos Barbaros appellarunt; Latini denique Gothis & Scythis, à quibus velut à beſtiis abhorruerant, tandem ſervirent. Tum etiam colo-*



Digitized by Google

*niarum multitudine populi omnes confuſi, ſe invicem conſanguineos agnoſcerent.* Sanè eo collimavit inexorabilis fatorum Dei circa Regna & Imperia gentium Lex, quâ perindè ut omnia in hunc naſcendi pereundique gyrum abeunt: *Tu ſurge, Tu cade, Tu impera, Tu ſervi, Tu occultare, Tu emerge, & eat hic rerum & gentium migrantium orbis, donec ipſe orbis. Sic Græcia olim floruit, nunc jacet; Italia ſceptrum tenuit, nunc ſervit. Vos quoque Gothi, Vos Vandali, Vos fex Barbarorum, Vos denique pelliti Scythæ prodiiſtis è latebris, & gentibus imperaſtis per vices.* Lipſ. de Conſtant. L. I. c. 16.

Adrianus Regenvolſcius ſive Andreas Wengerſcius, in Syſtemate Hiſtor. Eccleſ. Slavonicarum Lib. 3. pag. 413. Sarnicium hunc Hiſtoricum, facit Miniſtrum Verbi Divini, in Eccleſiâ Reformatorum Niedzwedenſi in Diſtrictu Cracovienſi, & Anno 1563. Seniorem ſive Superintendentem Diſtrictus: Sed aut alius ejuſdem nominis fuiſſe credendus Miniſter ille, aut magnum errorem erravit Regenvolſcius, atque alii, qui eum ſequuti ſunt. Namque Sarnicius in Epiſtolâ ſua, Annalibus præmiſſa, ad Status Regni: *Laborem hunc literarium magis,* inquit *iis, qui in Academiis & Monaſteriis inter Muſas habitant, conveniſſe quam ſibi, cui ſi quid ingenioli eſt, in medio laborum Oeconomicorum exaruit: mox ſub finem queritur, ſupplicat, obteſtatur Ordines Regni, pro obtinendâ in remunerationem impenſarum & laboris, tam operoſæ Hiſtoriæ ſuæ, terrâ aliquâ, cum ſe planè exhauſtum ſervitio, quod Reipublicæ per annos decem impenderit, fateatur.* Deindè Joannes Sieninius, Caſtellanus Leopolienſ. Patronus Sarnicii, in Præfatione ſuâ Deſcriptioni Chorographicæ Sarnicii præmiſſa, cum his Verbis Regi Stephano eum commendat. *Uſus ſum*, inquit, *in eâ re, operâ eruditi & de literis bene meriti Viri, generoſi D. Stanislai Sarnicii, amici*

*mei*

Digitized by Google

*mei non vulgaris, qui etiam M. V. notus eſt: nam cum aliquoties libris in lucem editis, nomen & victorias M. V ut par erat, celebraſſet, M. V. eum pro cliente accepit, eique ſe benigniſſimum Patronum fore declaravit, promiſſa ei gratiâ Regiâ, ut ex diplomate ei tradito liquet.* Quæ omnia in Virum Eccleſiaſticum, & quidem Evangelii Miniſtrum penitùs non quadrant. Præterea vidi apud Dominum Adamum Franciſcum Rhodium, Præ-Conſulem Elbingenſem, jam nunc piè defunctum, librum Annalium horum, in quo propriâ manu Author ipſe Polonicè, librum D. Braclavienſi offerens, ſubſcripſit juxta nomen ſuum, titulum Woyski, i. e. Tribuni Craſnoſtavienſis, qualem ſe in Opere Statuti & Metrices Privilegiorum Regni prædicavit. Quinimò in paginâ prima tituli Codicis Rhodiani Dominus (h. e. Caſtellanus, more Polonorum ita abſolutè dictus) ille Braclavienſis ita ſuâ manu annotavit: *Mittitur mihi dono ab Autore die XI. Maj. Anno XC.* nimirùm triennio poſt Editionem typographicam; quæ ſanè, ob vetuſtum Scripturæ illius Characterem fingi non potuere. Et cum vel ex eo pateat, hunc Sarnicium eundem eſſe, qui Statutum edidit, ex ejusdem Statuti Præfationis ad Regem Sigismundum III. ſubſcriptione, locus habitationis quoque Sarnicii innoteſcit, jam ita Polonicè ſubſcripſit: *Datum Lipſiæ in Ruſſiâ pago paterno, Anno* 1592.

Nihilominus miror, primò quod Caſparus Cichocius, Canonicus & Parochus Sendomirienſis, initio Seculi XVII. ſcripturiens, in maledicis ſuis Alloquiis Oſiecenſibus Lib. I. Cap. 24. *Sarnicium ex Miniſtro Calviniano, cum faſtidiret ſe Miniſtrum vocari, repentè Equitem & Cataphractum Polonum factum eſſe aſſerat.* Quod ſi verum, neque per odium Cichocii, cætera Sarnicio ob religionem convitium facientis, fictum


eſt,

Digitized by Google

eſt, quare à Regenvolſcio, & antea ab Starovolſcio, Cichocii coætaneo ſilentio præteritum? Secundo, quod Sarnicius, adeo in enarratione laborum ſuorum anxius, in toto Opere Statuti ſui, Anno 1594. demùm excuſi, Annalium ſuorum mentionem faciat nullam. Denique, quod Sarnicius in Annalium horum pag. 261 ſub Vladislao Laſconogo, apertè ad Hiſtoriam ſuam Eccleſiaſticam provocet. Unde ſuſpicari licet, ipſum ante Annalium compoſitionem, in Miniſterio adhuc conſtitutum, de rebus Eccleſiaſticis reformatis, Opus aliquod elaboraſſe. Tertio huic Cichocii narrationi multum ſuffragatur Narratio Lubienicecii, in Hiſtor. Reformat. Polon. Lib. 2. pag. 131. & Lib. 3. Ubi meræ ambitionis vitio, Sarnicium Niedvedenſem eccleſiaſtem, multarum diſcordiarum, denique perſecutionis & oppreſſionis Reformatæ Eccleſiæ anſam præbuiſſe, latè perſequitur. Qui tamen ob zelum Sarnicii in Socinianos, Socios Lubieniecii, odio fortè quædam exaſperavit.

Cæterum hoc planè ex Annalium horum Libris patet, Sarnicium Evangelicæ Doctrinæ addictum, aut certe veritate fortiter convictum fuiſſe. Præ cæteris inſignis locus eſt, Lib. 6. pag. 213. in Miecislao Seniore: *Ubi egregiè ex ritu antiquorum Slavorum, quo circà Lectionem Evangelii in Templis gladies evaginare ſoliti, eosdem propterea Evangelicos appellat, ut qui tantum ardorem ſanguinem pro Evangelio fundendi, ritu illo teſtati ſint: Non ſicut hoc tempore,* inquit, *Catholici Evangelicos, tanquam hæreticos, capitalibus odiis perſequuntur, & invicem hi quoque Catholicum nomen abhorrent, quod tamen ſuum habet honorem, tanquam hæreticis oppoſitum, quemadmodum Evangelicorum contra eosdem efficax nomen, debet eſſe honorabile Catholicis, &c.* Simon Starovolſcius Lib. de Centum Scriptoribus Polonicis, pag. 65.

Sar-

Sarnicium ob agnitionem veritatis hanc, inconſtantem in Religione fuiſſe ſcribit.

Poſtremò Stylus quidem in Sarnicio non faſtidiendus eſt, niſi quod tanquam â manu excerpta ex Authoribus ſollicitè curante, interruptus & inæqualis ſit. Sed odium ejus in Cruciferos, Pruſſiæ Dominos, imò in univerſos Germanos adeò ubique emicat, ut hoſtem gentis hujus ſe palam profiteri videatur, propterea in talibus negotiis ipſe omnem fidem ſibi detraxit, & ex aliis Hiſtoricis corrigendus eſt.

XXIX. JOANNES PISTORIUS, Nidanus, Medicinæ Doctor & Archiater Badenſis (poſtea veritate Evangelicâ ejurata, Theologiæ Doctor & Canonicus Conſtant. & Vratisl.) Vir in re literaria juvanda, & conſervandis Scriptoribus veteribus ſedulus, ingenio & doctrinâ humana potens, Anno 1582. Baſileæ edidit *Corpus Hiſtoricorum Polonicorum*, quoscunque poſſedit.

In his, Tomo I. eſt ÆNEÆ SYLVII, poſtea Papæ Pii II. appellati, *Relatio de Poloniâ, Lituaniâ, Ruſſiâ, Livonia & Pruſſiâ*, quæ ex ipſius Deſcriptione Europæ deſumpta eſt. Breviuſcula hæc quidem, & antiquitatis parum, ſed ex aliorum relatione fabulas non paucas continet, ideò, & quod Polonis iniquior viſus author, non unquam magni æſtimata eſt.

2.) ERASMI STELLÆ, Libanotani Med. D. & Conſ. Zwickavienſis, *de Antiquitatibus Boruſſiæ* Libri duo, Mag. Cruciferorum, Friderico, Duci Saxoniæ Anno 1512. dedicati, de quibus inter Prutenicos Scriptores dicendum erit.

3.) ALEXANDRI GWAGNINI, *Deſcriptio Sarmatiæ Europeæ*, ſive potius, ex ejusdem libro, ſub hoc titulo Anno 1581. Spiræ edito, quæ ad Chorographiam Poloniæ, Lituaniæ, Pruſſiæ & Livoniæ pertinent, excerpta. Altera enim ejusdem

libri pars Chronologica Gwagnini, exhibetur â Piſtorio Tomo ſecundo: quæ de Gwagnino dicenda erant, ſuperius jam notavi.

4.) MARTINI CROMERI, *Deſcriptio Poloniæ*, Libri II. de quibus quoque jam ſuperius dictum eſt.

5.) MATTHIÆ DE MECHOVIA, *de Sarmatia Aſiatica & Europæâ*, Libri duo. Hic libellus cum Chronico Mechovii non eſt editus, nec jam reperitur, niſi in hoc Corpore Piſtorii. Et quia ante illum vix quiſquam de Tatarorum gente, initio Seculi XIV. Europæis demum per excurſiones horrendas cognitâ, ſcripſit, multa quoque de Ruſſorum Dynaſtiis admiſcuit, ideò lectu dignus eſt.

6.) DESCRIPTIO LITUANIÆ *ex Moſcoviâ Sigiſmundi L. B. ab Herberſtein, Legati Cæſarei in Moſcuam*, excerpta. Quæ nonnulla, ipſi Authori viſa, ab aliis neglecta explicat: de Pruſſiâ & Livonia pauciſſima tantum admiſcet.

7.) *In Pomponii Melæ*, brevem Deſcriptionem Sarmatiæ, JOACHIMI VADIANI Commentarius: Qui pariter ſicut & ſequens.

8.) HARTMANNI SCHEDELII DE SARMATIA Commentariolus, nihil novi, quod non latius alii jam tradidere, habent, & ob brevitatem parum erudiunt.

9. 10. 11. 12.) Sunt CARMINA CORVINI, CELTIS ET SCHROETERI, de Polonia, Salinariis Cracovienſibus, de Viſtula Amne, & ferarum, præſertim Veſontium venatione, poetico luſu reſonantia.

13.) JACOBI PRILUSII, *de Lituaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Oſwecimenſi & Zatorienſi Ducatibus, tum etiam de feudo Lemburg & Butau Pomeraniæ, atque Civitatibus Scepuſienſibus in Hungariâ, Privilegia antiqua*: Ex ejuſdem Libro Statutorum excerpta; adjectis breviſſimis illorum Ducatuum deſcriptionibus.

In

Digitized by Google

In Tomo II. Corporis Piſtoriani ſunt. 1.) MATTHIÆ MECHOVII Chronicon Poloniæ, de quo ſatis ſupra dictum eſt.

2.) JODOCI LUDOVICI DECII *de Vetuſtatibus Polonorum, de Familia Jagellonum, & Hiſtoria de Sigiſmundi I. temporibus.* De hiſce Decii tractatibus, præter jam ſuperius dicta, notamus: In vetuſtatibus Polonorum ipſum nimiùm torqueri, ut quæ promiſerat, nova de hujus gentis originibus afferret. Sed neque ipſe rem acu in illis tenebris tetigit, & penè ridiculus eſt, quod Sarmatas & Germanos cognatos faciat populos, illudque probet: *Quia Germani libenter ſub Polonis habitent, quod fieri inſtinctu naturali, ob originem communem utriusque populi putat.* In hiſtoria vero Sigiſmundi tantum ad Annum 1516. progreſſus, decennium imperii illius Regis abſolvit, qui usque ad Annum 1547. ſupervixit & regnavit.

3.) COMPENDIUM CHRONICUM ALEX. GVAGNINI, de quo ſatis ſupra.

4.) CLEMENTIS JANITII, *Epigrammata ſingulorum Ducum & Regum Poloniæ*, quæ in ſeorſiva editione Spirenſi Gvagnini, cuilibet Principi ſuperſcripta leguntur. Certè digna lectu, quæ ſingulorum illorum Ducum Regumque Poloniæ geſta, usque ad Sigiſmundum I. ſententioſis exprimunt diſtichis.

5.) MARTINI CROMERI de Origine & Rebus geſtis Polonorum Libri XXX. de quibus ſatis ſupra, in recenſione editionis ejus Colonienſis dictum eſt.

In Tomo III. Corporis hujus FRAGMENTA, EPISTOLÆ & ORATIONES VARIORUM, de victoriis bellisque Sigiſmundi Primi, Regis Poloniæ, cum Moſcovitis, Sigismundi Auguſti, atque Bogdani & Ivoniæ Palatinorum

Val-

Digitized by Google

Vallachiæ Armis Anno 1572. usque 1574. cum Turcis in Vallachiâ. De diſceſſu Henrici Regis è Poloniæ Regno; de clade Dantiſcanorum Anno 1577. propter Authorum, ORICHOVII præſertim LASICII & GORECII, difficulter ſeorſive cum hiſce ſcriptis reperiunda nomina, (niſi quod in Collectione Francofurtanâ Wechelii, hi Laſicii & Gorecii Libelli in 8vo. impreſſi etiam extent) dignæ conſervatione Piſtorii.

Sed hæc utilitate ſuperantur â TABULIS GENEALOGICIS 13. *Dynaſtiarum Poloniæ*, usque ad Stephanum Regem. Item Ducum Sileſiæ Piaſtidarum, Ducum quoque Maſoviæ, Cujaviæ & Lenciciæ, denique & Ducum Lituaniæ; quas ipſe Piſtorius ſingulas magnâ diligentiâ congeſſit, & quia vix alibi, quàm in hôc Volumine ad calcem ſimul exhibentur, Hiſtoriæ Sarmaticæ ſtudioſum multum delectant.

Laborem autem ſuum colligendi veteres Scriptores in unum Volumen vel plura, Piſtorius non ineptè commendat in Præfatione, tum à potentiâ perſvadendi lectoribus fidem rerum enarratarum, ex vetuſtioribus monumentis, tum quod ſimul collecti Scriptores de unoquoque Regno vel Provincia, ſtudioſum hiſtoriæ, incredibili paſſim conquirendi Authores ad rem pertinentes, imprimis vetuſtiores, cura & ſumptu liberant. Denique, quia per induſtriam hujus modi collectionum, Scriptores vetuſtos, quos pauciſſimos injuria temporis nobis reliquit, egregiè conſervamus: quo more ſi Majores noſtri uſi eſſent, nos multo plurimorum & ſanè optimorum jacturam non doleremus. Cui damno Epitomatores illi, non remedium, ſed proximam attulere cauſam: breviuſculis enim excerptis Scribæ gaudebant incumbere, ipſis interim fontibus ampliſſimis neglectis, & ſupinâ negligentia deperditis. Unde ma-

Digitized by Google

magnus ille Gerhardus Voſſius, Lib. de Hiſtor. Græcis Lib. 2. Cap. 26. pag. 294. Non minimam cauſam, cur tot nobiles Scriptores Græci perierint, operi Conſtantini Porphyrogeniti, Leonis Imperatoris filii imputat, quo ex omnibus excerpta compilavit, quod ubique legi cœptum, & ſimul Authores ipſi negligentius deſcripti periere. Proindè meritò accendendum eſt ſtudium colligendi Scripta vetuſtiora.

XXX. BARTHOLOMÆUS PAPROCKI, Nobilis Polonus, in Maſoviâ natus, *Herby Rycerſtwa Polskiego*, i. e. Inſignia Nobilitatis Polonicæ, Lingvâ patriâ Anno 1584. Cracoviæ edidit. Multi hunc librum ſub titulo: Gniazdo Orla Polskiego, i. e. Nidus aquilæ polonicæ, citant, ſed procul dubio errant, quemadmodùm evidentia libri, & quæ inferius dicentur evincunt. In hoc igitur Volumine, Author ex Hiſtoricis, præſertim Dlugoſſo, ex Eccleſiarum, Judiciorum Terreſtrium & Caſtrenſium, ex Cancellariæ ſive Metricæ Regni, Actis & Monumentis variis, denique ex Privilegiis plurimis, Origines, geſta & merita Familiarum Nobilium Poloniæ & Lituaniæ, cum earum Symbolis, præterea Regni & M. D. Lituaniæ & annexarum Provinciarum, publica vexillorum Inſignia, cum brevi Ducum Regumque Hiſtoriâ, ingenti labore & induſtriâ, primus non infeliciter perſecutus eſt.

Mechovius quidem Lib. 4. Cap. 72. teſtatur, Dlugoſſum Familias Arma & Clenodia Nobilitatis Poloniæ, cum origine & cauſa eorum ſcripſiſſe: Verùm nullum alium hujus tam inſignis operis memoriam conſervaſſe miror. Certè Paprocius, Vir candidus, non ſiluiſſet, ſi veſtigium ſcripti hujus ad ipſius notitiam perveniſſet.

Ex hoc Paprocio, Bielskius & Okolskius, nuperque Potockius, Arma gentilitia Nobilitatis Poloniæ aggreſſi ſunt, ſed quod



Digitized by Google

quod præter Paprocii documenta ferè nulla adducant, oratoriâ & poëtica quidem vanitate opus ſuum dilatarunt; Paprocio autem multominus præſtiterunt, omni laude eidem in hoc Opere Genealogico integrâ relictâ. Tantùm ab Okolskio & Potockio Catalogi numeroſorum ramorum, â Stemmate uno multiplicatorum, ſuper numerum Paprocii apparent.

Quam laborioſus indagator talium rerum Paprocius fuerit, vel ex eo judicare licet, quod, cum in Bohemiam, teſte Starovolſcio inde C. Script. Poloniæ pag. 119. delatus eſſet, otii impatiens, eâdem felicitate inſignia Nobilitatis Bohemiæ, ſimul cum Chronico ſatis amplo, lingvâ Bohemicâ ſcripſerit: quod Opus in Bibliothecis Magnatum aliquoties vidi & legi.

XXXI. Idem BARTHOLOMÆUS PAPROCKI, jam Anno 1578. Collectanea ſua, de inſignioribus Familiis Polonicis, cum earum notioribus poſteris utriusque ſexus, quos juxta atque Reges perpetuis effinxit imaginibus, Cracoviæ typis Petricovii publicaverat, titulo Polonico tali: GNIAZDO CNOTY *z kąd herby Rycerſtwa &c. początek ſwoy maią.* h. e. Nidus virtutis, ex quo inſignia equeſtria inclyti Regni Poloniæ & Lituaniæ, cæterarumque adjunctarum Provinciarum, originem ſuam habent.

In hoc Libro nomina tantùm famoſorum Virorum & Fœminarum, Regum quoque & Ducum, juxta inſignia cujusque gentis, addito ſubindè Elogio poëtico, breviter expreſſit. Inde Hiſtorias Familiarum & Inclytorum in illis Virorum, cum Documentis in poſteriori ſuo Opere ſtemmatico ſeu Heraldico Anno 1584. edito, de quo ſub Numero XXX. egi, fuſiùs deduxit. Ita ut hic Nidus virtutis, Idea & Prototypus

atque

atque Index ſequuti Operis majoris fuerit, ex quo poſterius elaboravit: in quo tamen paſſim anteà in Nido relata correxit.

XXXII. REINHOLDUS HEIDENSTEIN, Secretarius primùm Ducis Pruſſiæ, deindè Regis Stephani, res in Poloniâ geſtas, ab exceſſu Sigismundi Auguſti, Anno videlicet 1572. Latino non contemnendo, diffuſo tamen ſermone, conſcripſit. Hanc Hiſtoriam Filius ejus, Johannes Heidenſtein, Caſtellanus Gedanenſis, Libris XII. ex MSptis Parentis, usque ad Annum 1603. continuatam, demùm Anno 1672. Francofurti typis publicavit, & Regi Michaëli dedicavit. Huic Operi incluſus eſt Tractatus Parentis, quem antea ſub titulo Commentariorum, de Bello Moſcovitico VI. Libris comprehenſum, ſimul cum Cromero edidit Typographus Colonienſis Anno 1589. Cum enim hos Tractatus ſedulò contuliſſem, iſtum priorem de Bello Moſcovitico, huic, de rebus ab exceſſu Sigismundi Auguſti, â Libri tertii Initio, usque ad Libri ſeptimi Principium continuâ Verborum ſerie inſertum eſſe, reperi.

Licet autem in annotandâ Annorum, quibus quæque geſta ſunt ſerie, admodùm negligens Author fuerit: & filius editionis ſuæ poſtremæ, indicem generalem vel ſpecialem, ad res ſemel lectas evolvendas, ob memoriæ humanæ debilitatem adeò neceſſarium, non addiderit; nec in Præfatione ullam rationem Tractatus prioris de Bello Moſcovitico, diù antea cum Cromero editi, & huic Hiſtoriæ inſerti, neu Continuationis ſuæ, Lectori ingerere dignatus ſit: Nihilominus Studioſi Hiſtoriæ Polonicæ Heidenſteinio utrique multum debent; quippe Parens ſolus res maximas â Rege Stephano, decennio imperii geſtas, ampliſſimo, & quia Secretarius ejusdem Regis, adèoque rerum præſens Inſpector fuit, fide in

G 2 ple-

Digitized by Google

pleriſque digno, non tamen in nonnullis actis publicis ab omni lapſu libero Commentario continuo illuſtravit: Filius autem res ante & poſt Stephanum in Poloniâ actas ex Parentis MSptis adjunxit.

XXXIII. UNIA ALBO CONFOEDERACYA WILENSKA, *miedzy Ewangelickie y Ruske Koſcioli Anno* 1599. MSptum. Intuitu maximarum, jam illo tempore, perſecutionum, violentiarum & expulſionum, in judiciis & extra auſu privato, contra Leges Regni, Fidelibus & Ruthenis miſerè inflictarum, quæ in hoc Scripto longâ ſeriê recenſentur, Magnates & Equites Poloni cum Theologis ſibi aſſiſtentibus, Vilnæ tandem, poſt tentatam utrinque Fraternitatem, ſed propter obſtinatos & rudes Græci ritûs miniſtros, ſimplicitatis ſecundum Eloquia Divina, Doctrinæ & Ceremoniarum oſores, atque operis operati pejus quam ipſi Romanenſes tenaces, Causâ fraternæ charitatis ad Patriarchas Alexandrinum & Conſtantinopolitanum remiſsâ, Unionem hanc civilem, non ſolum ad tolerantiam, ſed & ad mutua conſilia atque auxilia, contra Communes Legum patriarum pacisque Diſſidentium in Religione hoſtes, in fundamento Confœderationis generalis Regni Anni 1572. & cæterorum jurium ſuorum, inierunt.

Quæ nihilominus eousque efficax fuit, ut hoſtibus expreſſerit reverentiam, & integram fidelium è Regno expulſionem prohibuerit: non obſcurè hoc fatente Lubieniecio, Epiſcopo Plocenſi, in monitis de gerendo Epiſcopatu pag. 253. Acta hujus Conventus Vilnenſis, in Compendio apud Regenvolſcium Syſtem. Hiſt. Eccleſ. Slavonic. Lib. IV. Cap. 3. legi poſſunt. Sed cum poſteà plerique Magnates Ruſſici Unioni cum Romanis acceſſerint; Evangelicæ verò fidei, per artes Epiſcoporum apud Regem Sigiſmundum III. propter excluſio-



Digitized by Google

ſionem à dignitatibus, ad Romanos apertè deſciviſſent, jam paucorum Authoritas eousque non valuit, ut ſalutaris hæc Unio reaſſumeretur, niſi potens Magni Ruſſorum Imperatoris, pro ſuæ fidei Conſortibus apud Rempublicam Polonam interceſſio, Evangelicis quoque occaſionem rejungendæ Unionis hujus præbuerit hoc tempore.

XXXIV. CHRISTOPHORI VARSEVICII, Canonici Cracovienſis & Secretarii Regii, *Cæſarum, Regum & Principum, unius & ejusdem partim generis & nominis, partim etiam Imperii ac Dominationis*, VITARUM PARALLELARUM Libri duo, Cracoviæ Anno 1603. Hos libros Varſevicius imitatione Plutarchi compoſuit, quem tamen non æquavit: nam in his ſuis Dariis, Auguſtis, Conſtantinis, Carolis Martellis, Berengariis, Balduinis, Alphonſis & Sfortiis, non plenam vitæ & Imperii hiſtoriam, ſed tantum revolutionum ultimi ejusdem nominis cauſas, virtutibus primi conquæſtoris contrarias, breviter tradere voluit; Solis Iagellonibus Patre & ejus poſteris, Regibus Poloniæ exceptis, quorum gratiâ hoc opuſculum compoſuiſſe videtur, publicis ipſorum ac privatis actionibus plenius enarratis.

Cæterùm Vir ille tanto nomini ſuo, quod multis ſcriptis & dictis apud Polonos obtinuit, ita ut à Starovolſcio L. de C. Polon. Script. pag. 121. Varroni comparari dignus cenſeatur, in hoc libello vix ſatisfeciſſe videtur: Adeò commendandis primis nimius eſt, ut ad obtinendum Judicium lectoris, magna iſtorum vitia taceat, cum ad magnos honores & Imperia raro aſcendatur ſine mixtura bonarum & malarum artium: Ultimis verò ejusdem nominis fortunam & ſterilitatem pro crimine imputat.

Porro in Hiſtoriâ extranea ſatis negligens eſt, e. g. dum Carolum Martellum, Franciæ Principem, obſcuris Parentibus natum, eundemque Caroli M. patrem dicit; Cum Paulus Æmylius Hiſt. Franc. Lib. I. pag. 53. Pipinum, Caroli Martelli Parentem, ex ampliſſima Familia, & adeò veteri Nobilitate natum memoret, ut ejus Author gentis & origo jam tunc ignoraretur. Ex fide verò Andreæ Monachi, ſtirpem ejus paternam a Rege Clotario ſecundo, maternam à Principibus Auſtraſiæ deducit. Vulgo autem notum eſt, Carolum Martellum non Patrem, ſed avum fuiſſe Caroli Magni, ex Filio Pipino, Rege Franciæ.

Res Polonicas, in deſcriptione Vladislai Jagellonis & Sigiſmundi Auguſti Regum, pleniùs enarravit, in illo Dlugoſſum excerpſit, multa de verbo exſcripſit, quædam ſua ſpontè auxit. e. g. Dlugoſſus ex rumore vulgi, in clade Tannebergenſi Anno 1410. Crucigerorum Prutenorum 50. millia cæſa, 40. millia capta refert, ſed ſapienter addit: *Quamvis difficile credam, quanti ex hoſte ceciderint, exactâ ſupputatione aſſeri.* Hanc modeſtiam Varſevicius prudentius imitatus fuiſſet, quàm Commentatorem Kadlubkonis, qui ad Lib. 2. ep. 14. in clade hac Cruciferorum centum triginta millia, & quadraginta occiſa, reſiduos captos fuiſſe audacter mentitus eſt. Certè ipſe Cromerus, extenuandi damni Polonorum, & augendæ cladis hoſtium ubique ſtudioſiſſimus, tamen in hoc prælio Crucigerorum 50. millia cecidiſſe, 14. millia capta fuiſſe refert. Prutenica verò Chronica 40. millia ſuorum aut minus, Polonorum & eorum auxiliarium plus 60. millia cæſa eſſe referunt.

Unum ſingularem actum Vladislai Regis, obtenta hac victoriâ memoriæ conſervavit, quem alibi nusquam inveneris: *Videlicet, quod Loſchio, Nobili Maſovio, antiquâ & militari familiâ nato, circa Krzywonogam tantum territorii dederit, quantum unâ die obe-*

*obequitare potuiſſet, ob ſeptuaginta ex hoſtili acie, malleo, quem nemo à terra elevabat (Poloni Obuch vocant) caput percuſſos & interfectos.* Quod beneficium, num adeò fuerit liberum Regi, in Ducatu alieno, cujus Duces Semoviti duo & Januſſius præſentes fuere, Nobili ipſorum Vaſallo, niſi ipſis conſentientibus conferre, non diſquiro. Ego tamen hoc libentius recenſere volui, quod ex iſtâ proſapia Illuſtris Vladislaus de Krzyvonoga Loſch, Palatinatus Pomerelliæ, vir antiqua integritate & virtutibus excellens, mihi dum viveret, benevolentia & amicitia propenſiſſimus, ſubindè hiſtoriam hanc ex Varſevicio, accumbentibus amicis legendam & trutinandam dederit.

Sed & non eâ diligentia Varſevicius, in narrationibus ſuis verſatus eſt, quæ judicioſum & accuratum Hiſtoricum decuiſſet, dum Dombrownam oppidum à Germanis Grunwaldum appellari aſſerit: cum ex ipſo Dlugoſſo diſcere potuiſſet, Dombrownam oppidum Gilgenburg Germanis appellatum, & Grunwaldum pagum vicinum eſſe, in cujus & continui pagi Tanneberg agris, cruentum illud prælium contigit. Dum Crucigerorum exercitum ad invidiam gentis ait, *longè maximum, ex omni omnium Germanorum gente & natione collectum, & conſpiratum fuiſſe in Polonos à Germanis undiquaque.* Cum ipſe paulò ante dixiſſet: *Polonis ex Bohemis, Moravis, Sileſiis, Tataris, Ruſſis, Lituanis denique auxiliares copias confluxiſſe.* Et in expeditione ſecunda iſtius Regis in Pruſſiam Anno 1413. exclamat: *Dictu incredibile eſt, quantus hominum numerus, ad Vladislaum confluxerit, adeò ut non ſolùm ad Crucigeros domandos, ſed potentiſſimos quoſque Reges & populos profligandos ſuffeciſſent.* Quodſi propter auxiliares & ſtipendiarios nonnullos ex Germaniâ, totius nationis conjuratam ad delendos Polonos ſocietatem, ipſi exprimere liberum ſit, multo juſtius, ob ſubmiſſa ex tot gentibus examina

auxi-

Digitized by Google

auxiliaria, totum Septentrionem in delendos Prutenos conſpiraſſe dicendum foret.

Porrò dum Vladiſlaum dignum judicat, qui non ſolùm Lituanorum Apoſtolus, ſed etiam Martyr propter tot dolos & injurias, quibus â Crucigeris & Sigiſmundo Cæſare affectus fuit, diceretur. Sed graviſſima vitia, reliquæ ſuperſtitionis gentilis, crudelitatis & dolos Vladiſlai ſilet, quibus perinde ſicut Vitoldus ejus patruelis, Crucigeris, quorum beneficio ad Imperium Lituaniæ, vincto & occiſo patruo Kinſtuto eluctatus, inſultaverat. Et quod ſecundùm Chronica Prutenica, Baptiſma in Caſtro Tapiau apud Crucigeros, tenore fœderis Anno 1383. acceptum, mox Ruſſico ritu rebaptiſatus, tandem utriusque Religionis Sacramentum violaſſet. Quemadmodùm Vitoldus poſteâ in anguſtiis ſuis, opem Cruciferorum profeſſione fidei in Caſtro Ragnit baptiſatus, emendicavit, & aliquoties pro beneficio protectionis, clam cum Jagellone reconciliatus, perjurus Cruciferorum caſtra & oppida aufugiens exuſſit.

Denique cauſam proximam iſtius atrociſſimi belli Anno 1410. non à Cruciferis, ſed a Vitoldo emanaſſe certum eſt. Hic enim Samogitiam, Pactis Anni 1404. Cruciferis pro terrâ Dobrinenſi conceſſam, primò occultis factionibus commoverat, mox Anno 1409. apertâ exciſione Præſidiorum Prutenicorum occupavit. Rex quoque Vladiſlaus cum Polonis; Vitoldo adhærentibus, ſententiam arbitrariam Venceslai Bohemiæ Regis, in quam pro hac cauſa partes evidenter compromiſerant, tanquam ſibi ingratam & abſurdam rejecerunt: unde Cruciferis neceſſitas fuit, armis Dobrinenſem vel Samogitiæ terras repoſcendi.

In Sigismundi Auguſti Regis, ultimi ex Jagellonibus maſculis vitâ, non pauca ad infamiam ejus liberè expreſſit.

Edu-

Digitized by Google

Educationem ſcilicet indultu matris Bonæ voluptuoſiſſimam, ita ut Laskius Archiepiſcopus, nullius frugi futurum & Rempublicam turbaturum prædixerit, porrò moribus levem & libidinoſum, ingenio varium, relligione remiſſum interdum & vacillantem, pietate ſimulatâ, bonis conſiliis obſtinatum, & qui vivus ac moriens ſibi atque Regno multos hoſtes peperit. Quin etiam matris Bonæ arte Italicâ, Duces Maſoviæ, ultimos Piaſtæi ſangvinis, ne aliquandò filio in Imperio obſtarent, veneno ſublatos; Eliſabetham Auſtriacam Reginam, Regi inviſam, manifeſtâ ſuſpicione toxici mortuam; Senatores denique iſtius ævi multos, privati commodi ſtudio publicæ rei perditores, & Epiſcopatus venales fortiter perſtrinxit. Et hæc fortè cauſa eſt, quare Keckermanus lib. de nat. & propr. hiſt. pag. 184. hos libros Vitarum parallelarum Varſevicii parùm judicioſe ſcriptos, & in Regno Poloniæ ſub magnâ pœnâ prohibitos, de quo tamen alibi nihil legi, aſſeruit. Dura autem licet, vera tamen Varſevicium de aulâ & moribus Sigiſmundi Auguſti dixiſſe, & Orichovius aliique iſtius ævi adſtruunt.

Occurrunt in hac quoque biographiâ nonnulli errores hiſtorici, dum inquit: *Livoniam à calamitate gravi bellorum non priùs infeſtatam, quàm a Religione deſciverit Catholicâ, fido illo præſidio domeſticæ & externæ tranquillitatis.* Cum vulgo notum ſit, Livoniam ab ipſa fundatione Germanorum perpetuis bellis cum barbaris, poſtea quoque civilibus motibus, denique Sveticis, luctatam, neque pacatiorem quàm à tempore repurgatæ fidei fuiſſe. Item dum *Ericum XIV. Regem Sueciæ, conſcientia ſcelerum ſe ipſum Regno & gubernaculis abdicaſſe, atque fratri Johanni, Sigismundi III. Poloniæ Regis parenti, ceſſiſſe aſſerit.* Cum tamen poſt indignum matrimonium Catharinæ, lictoris vel ſecundum alios decurionis militaris filiæ, Johannes fratrem Ericum Anno 1569.



Digitized by Google

carceri incluſerit, in quo poſt novennium contabuit. Sed talia in Scriptore nimiæ libertatis, quales omnia ſibi licere putant, ſicco pede tranſeunda ſunt.

Tractatus alter Varſevicii illi ſubnexus, itidem in folio Anno 1595. Cracoviæ typis expreſſus, habet ORATIONES TURCICAS XIV. Item Librum *L. Frid. Ceriola Hiſpani* DE CONCILIO ET CONSILIARIIS, â Varſevicio latine redditum. Item Varſevicii librum, de LEGATO ET LEGATIONE. Scripſerat Varſevicius tres priores Turcicas ante 1590, Annum, appellat enim in Orat. III. Sixtum V. Papam tanquàm vivum; qui Anno 1590. mortuus eſt. In his Chriſtianos Reges & Principes omnes occaſione uti, & Turcis bello Perſico diſtractis imò fractis, Hungariam jam ferè devoratam eripere, & diſcordiis ſuis depoſitis, ſociali fœdere vires ad expellendum totâ Europâ hoſtem, adeò infeſtum & periculoſum, conferre invitat & perſvadet. Mox Anno 1592. Turcis è Perſiâ pace ſopitâ in Hungariam, ruptis induciis cum Imp. Rudolpho II. funeſta arma transferentibus, idem Varſevicius, tanto periculo Hungariæ & vicinæ Poloniæ, damno præſertim domûs Auſtriacæ, in quâ beneficiis enutritus fuit, excitatus, ad imitationem XIV. Philippicarum Ciceronis, undecim Orationes prioribus tribus adjecit.

In quibus, licet nullâ diſpoſitione methodicâ, & crebris tautologiis, ſtylo tamen bono & virili, ad abrumpendum cum Turcis doloſas inducias, hoſtemque immanem extra patriam in ipſius ſpelæis quærendum hortatur, rationibus luculentis & ampliſſimè deductis: Videlicet â ſummo periculo, quod univerſæ Europæ ab illo univerſali hoſte imminet; â perfidia & periuriis gentis, quæ ad tempus quosdam Principes Chriſtianos fallacibus induciis conſopire ſolita, poſt alios ſingulatim devictos,

cer-

certo quoque devorandos (Ubi obiter Vladiſlai ad Varnam caſi cauſam juſtificat, & ejus caſum falſò, Hunniadis, tacitè ad diadema Hungaricum graſſantis, proditoriæ feſtinationi, cui ſe ipſum properè ſubduxerat, non perjurio Vladiſlai, cum tot aliis hiſtoricis, imputat) Porrò â deſcriptione crudelitatis horrendæ Turcarum, quorum nomen Turcæ i. e. Vaſtatoris, cum re nimis conveniat. Item à potentiâ, & fortitudinis Chriſtianorum multâ præſtantiâ, præſertim domûs Auſtriacæ; Ab exemplis tot victoriarum de Turcis ſolâ audaciâ Hungarorum, Dalmatarum & Vallachorum, ultimarum nationum in Europâ, obtentarum; Et quod Domus Ottomanica ab ipſis humilibus principiis ſuis, hucusque non aliâ re adverſum Chriſtianos valuerit, quam horum diſcordiâ, pro qua Deum illi indies ſupplicant, nobis interim juſto Dei, quem horrendis Vitiis offendimus judicio, ſecurè damnis vicinis indormientibus; Item a facili modo ineundi fœderis ſocialis & belli, quod pecunias tantùm in biennium, ex parte luxûs noſtri imminuendi, colligendo, exercitus terrâ marique ad Conſtantinopolin, nidum tanti prædonis gentium, evertendam, ducendo, remque ſummâ concordiâ Ducum expertiſſimorum aggrediendo, felici eventu finiri, & tot Regna (quorum Incolæ miſerabiliter nunc ſervientes ad rem ſeriam accurrent, graviſſimos autem morſus irritatæ fore neceſſitatis) ab uſurpatoribus illis truciſſimis, ad Chriſti gloriam, & ſalutem myriadum animarum, recuperari poſſint. Aliàs in tanta cœcitate & torpore vindicandi injuriam Chriſti, toto Orbi diram Turcarum ſervitutem. & interitum, Deique abominationem denunciat, cum hoſtes hoſtibus exſtirpet Deus, non ſecùs ac vepres igne colonus.

Enimverò dum omnium Chriſtianorum Opem declamando invocat, inſanum ſuum virus in Proteſtantes evomit;



Digitized by Google

Lutherana ferè omnia, dicens, cum Mahometanis convenire, hæreſin talem tanquam gangrænam, vi & ferro eradicandam eſſe, & in ultima Oratione, poſt ſexcenteſimum Annum magnâ ex parte Lutheri doctrinam ceſſaturam, vaticinatur. Item Lutheranos ſuis Concionibus & Scriptis, tanquam flabellis ſeditionum, concitare in Magiſtratus populum, & in Orthodoxos Vatinianum odium gerere; Luthero Authore & Adſtipulatore, ruſticos in Germaniâ commotos ad tumultum, protervè mentitur.

Non poſſum mirari ſatis Viri hujus veſaniam, quæ ipſum in his declamationibus, pro conſenſu omnium Chriſtianorum contra hoſtem nominis Chriſti, obtinendo, ad concitandum Catholicos ſuos in perniciem innocentium fidelium, perpulit. Usque adeò homines in ſuâ Relligione externis Seculi bonis occupati, omnis dilectionis, quâ verus Cultus Dei conſtat, obliti furiunt! egregiam ſanè ſpem Proteſtantes Status in fraterno amore Catholicorum reponent, ſi viribus ſuis contra Turcam junctis, iſto communi hoſte protrito, ipſi ſe laniandos, conſilio Varſevicii, rapaci hierarchiæ proſtituant. Miſeri qui tantum externis & ſecularibus Splendoribus in Eccleſiâ ſuâ tribuunt, ſi cum Varſevicio in eâdem Orat. V. inter veræ Eccleſiæ ſigna, hæc duo illuſtriſſima, gentilibus & Turcis ab antiquiſſimis Seculis uſitatiſſima, ponunt: *Gubernandi ſcilicet prudentiam, & fortitudinem militarem:* Atqui mitiſſimus magiſter noſter, nullas neque politicas neque belli artes eccleſiam ſuam docuit, ſed dilectionem & humilitatem. Præterea hic mons fumigans & oſor veri cœtus Chriſti, in Oratione ultimâ, Sultani Turcarum Solymani, & Lutheri Verba, quaſi bene inter ipſos convenerit, invidioſe explicat. Utique Turcæ idololatrico cultu imaginum offenſi, hactenus Chriſtianos pro genti-

libus

Digitized by Google

libus idololatris averſati, ſi ad lumen veritatis advertere velint, facilius dogmati Lutheri, quo ſecundum verbum Dei, in Spiritu & veritate, â traditionibus humanis purâ, numen æternum absq; ſymbolis externis & profanis adorare, magisq; internâ regeneratione animæ virium, quàm externis pompis colere docuit, aſſentiri poſſunt. De hâc tamen prolapſæ Relligionis, ad antiquam Chriſti & ejus Apoſtolorum normam, reformatione, Varſevicius omnia mala à Turcis hactenùs Orbi Chriſtiano inflicta, pari errore deducit, quò gentiles olim vaſtationem Romæ & Italiæ â Barbaris, fidelibus Chriſti imputarunt, ſed libris de Civitate Dei S. Auguſtini ampliſſimè refutati fuerunt. Verius in Orat. III. conſilium ex Sabellico affert & laudat: *Quod Generalis Franciſcanorum Pio II. Papæ, bellum in Turcas paranti, triginta quæ arma tractare poterant millia ex ſuo Ordine obtulerit*; Utinam hoc Varſevicius perſvadere potuiſſet, nam exercitus procul dubio potentiſſimos, ex hujusmodi gregibus monaſticis, in perniciem fidelium excubantibus, regnorumque partes opimiores poſſidentibus, absque aliorum damno vel gravamine collegiſſet.

Denique & in recenſione magnitudinis Imperii Sarmatici Orat. XI. obelo configenda ſunt, quæ de Polonorum Regnis in Germaniâ ultrà Rhenum, in Hollandia (*quorum veſtigia*, inquit, *in Caſtro propè Noveſium Cracovia, & in alio propè Coloniam Lechnick, â Craco & Lecho appellatis ſupereſſe.*) Item de Regnis in aquilone, mari Baltico trajecto, conditis, narrat. Cum his igitur præcautionibus hæ Orationes Varſevicii non inutiliter legi, & utinam ad effectum deduci poſſent, quæ hactenus Deus intra vota irrita ſtare permiſit.

*L. Friderici Ceriolæ Hiſpani*, unus ex octo libris, quos de *Concilio & Conſiliario* Hiſpanicè ſcripſit, dignus quem Varſevicius ſtylo ingenuo & æquali latinè reddidit. Conſpectus li-



Digitized by Google

libelli brevis hic eſt: Quod ſeptem Concilia diſparata, ad felicem gubernationem cujusvis Statûs neceſſaria judicat. In perfecto autem Conſiliario adjumenta animi & corporis hæc potiſſima requirit: videlicet ut ei inſit; excellens & facile ac laborioſum Ingenium; elegans & prompta facundia, Lingvarum vicinarum præſertim notitia; perfecta Hiſtoriæ omnigenæ cognitio & uſus; acre & rectum Judicium, de Perſonis, rebus & actionibus omnibus; Ars politica, belli & pacis; Peregrinatione acquiſita cognitio morum & inſtitutorum non unius gentis; exacta notitia virium ſui Principis, item ejus amicorum atque inimicorum; Amor zeloſiſſimus boni publici, nullus privati ſui aut ſuorum honoris vel compendii; Pietas, Bonitas & Juſtitia veræ non fictæ; Liberalitas & Beneficentia, absque prodigalitate vel avaritiâ; manſvetudo & affabilitas (ut ſcil. promiſſis ſtet cum gravitate, neget ſine moroſitate, reprehendat absque injuriâ, expediat absque ſuperbiâ) fortis & conſtans animus in conſulendo, ſine ullâ hypocriſi & adulatione. Denique Corpus vegetum, forma ad authoritatem conciliandam apta, ætas quoque virilis, nec tamen decrepita.

Adjecit Author modos, quibus Princeps ipſe de ſingulis his Virtutibus Conſiliarium futurum expiſcari poſſit, neque ulli commendationi vel teſtimonio credere, ſed potius exemplo Romanorum, & Chriſtianorum primorum ſeculorum, propoſito edicto, ut cuique ex populo, absque calumniâ tamen, liceat, quæ de Candidato mala vel bona ſciat, ipſi Principi adferre. Si non omnibus iſtis numeris perfectus reperiatur, poſt trutinam Candidatorem, ille cui plures fuerint præferendus erit cui pauciores, absque alio reſpectu generis & dignitatis. *Aliud enim*, inquit, *eſt benè meritum magnum nobilem Virum, à Principe dignis præmiis, dignitate vel favore amicitiæ cumulare, ali-*

Digitized by Google

*aliud Conſiliarium bonum eligere, cujus dona neceſſaria non ab hominibus, ſed à Deo & naturæ proveniunt.* Tandem Principem ad laborioſam trutinam & inquiſitionem circà electionem Conſiliarii, à quo ipſius tranquillitas, & Statûs populorumque ſalus poſt gratiam Dei pendet, adhortatur. Utinam libellus hic, qui in formâ minori excuſus ſæpè viſitur, In aulis Principum legatur, & uſu probetur, ut non benevolentiæ neu magnificentiæ, ſed ſolius virtutis cauſa eligerentur Conſiliarii, quorum dotes à ſolius Dei & naturæ, absque reſpectu Nobilitatis, proveniunt gratiâ. Certè ex lapidibus homines tales dignos excitarent: imò, benè inquit Author: *utinam Principes ſaltem cogitarent, an bonum vel malum ipſis ſit Concilium?*

Tandem Libellus *Varſevicii de Legato & Legatione*, eſt Diſcurſus continuus, ſtylo gravi & ſententioſo, ſed absque ullo ordine, cujus hic Author negligens fuit, de dignitate, virtutibus, adjumentis, artibus, cautelis boni Legati. Et quia non ex præceptis JCtorum vel ſcholaſticorum, ſed longo uſu & animadverſionibus Authoris, quem Starovolſcius Lib. de C. Polon. Script. pag. 122. in aulis Cæſarum enutritum, (quod ipſe in Præfat. Vitar. parall. & in vitâ Sigismundi Auguſti innuit) & Peregrinationibus, ac legationibus plurimis Europæ Principibus cognitum & dilectum prædicat, collecta ſunt hæc monita, idcircò non ineptus lectu eſſe poteſt, ad inſtructionem & præcautionem his, qui ſe ad Legationem obeundam accingunt.

XXXV. NICOLAI CRISTOPHORI RADZIVILY, *Ducis, & Marſchalli Lituaniæ, Peregrinatio in Palæſtinam* Anno 1583. & ſequenti, ex voto ad Sepulchrum Domini, in morbo ætatis 26to Anno, pro valetudine & expiatione peccatorum, concepto, expedita, & ab eodem Duce 4. Epiſtolis Polonicis

ad

ad amicum familiarem deſcripta, â Thoma Tretero Can. Varm. latinè reddita, & typis expreſſa Brunsbergæ Anno 1601.

Sed quia Treterus in Præfatione anxiè cavet; ſe non in aliorum quàm hujusmodi devotionis amantium, & (contra expreſſum Dei Mandatum) Chriſtum non in Verbo ſuo, ſed peregrè in locis ſervitutis & exinanitionis ejus quærentium, ædificationem, hunc librum publicè edidiſſe; ipſe verò Author Epiſt. 2. pag. 117. teſtimonio filii cujusdam Epiſcopi Armeni, & Anachoretæ Græci, devotè credidit; Evangelicos nos, quia in Palæſtinæ locis ſacris, nullum Sacerdotem & nullum Sacrificium habemus, ideò omninò Hæreticos & non Chriſtianos eſſe: imò (quod nequiſſimum eſt, niſi Arrianos nobis comparare velit) Judæis deteriores eſſe. Præterea ab eo tempore, multorum de Palæſtinâ, Ægypto, Syriâ, aliisque Orientis Provinciis editæ ſunt relationes pleniores: Idcircò hâc Peregrinationis Radzivilianæ narratione feliciter carere poſſumus. Non invidentes ſuperſtitioſis ligni, ferri & cæterorum inſtrumentorum Paſſionis Domini adoratoribus, ſed pro humanitatis communis charitate, tantam operationem errorum, juſto Dei judicio, aciem mentium penitùs obtundentem, deplorantes. Certè inſtrumenta quibus innocens paſſus eſt, ſecundum dictamen rectæ rationis odiſſe & damnare fas eſt, aliàs Judam proditorem, Caiapham, Pilatum & cæteros potiſſimos Paſſionis Jeſu promotores & activa inſtrumenta, ſanctâ devotione colere magis foret juſtum. Sed & loca ea Servitutis Chriſti, quam pro nobis ſervivit, in Scriptis Prophetarum & Apoſtolorum, abominatione deſolationis, manſione draconum maledicta, non ſanctitate commendata, in ſibilum & opprobrium gentibus, propter incredulitatem populi Judaici ab irato DEO projecta, quid meriti & ſanctitatis invi-

Digitized by Google

inviſentibus communicare poſſunt? Salvâ igitur fide, quæ in ſolo Paſſionis Chriſti merito ſalutem hominibus proponit, hujusmodi peregrinatio ad terram olim, donec in lege Domini perſtitit, ſanctam, poſteà â facie Dei abjectam, & abominatione deſolationis usque in finem damnatam (Daniel c. 9.) ſingularis Dei cultus ſatisfactionis, meriti & voti causâ inſtitui nequit: & Chriſtus diſertè Joh. 4. & Matth. 24. adorationem Dei certo loco alligare prohibet.

Denique & Hiſtoria docet, Chriſtus Dominus autem prædixit, Hieroſolymis lapidem ſuper lapidem non manſurum, ſed ne veſtigium Civitatis reliquum futurum, adeò ut quo loco ſteterit planè dubium ſit, (vid. Michæ c. 3, v. 12. Jerem. c. 9, v. 11. & c. 26, v. 6. 18. Matth. c. 24. Marci c. 13. Lucæ c. 19, v. 44. & c. 21, v. 6.) quomodò igitur Structuræ, ædificia & loca, in quibus Chriſtus converſatus aut paſſus eſt, liquido ad excitandam pietatem monſtrari queunt? quæ utut perdurarent, non majorem quàm alia rudera antiquitatis venerationem mererentur. Benè Gregorius M. Homiliâ 9. in Ezech. *Si locus ſalvare potuiſſet, Satan de cœlo non cecidiſſet.* Et Bernardus Serm. I. de Adv. Dni. *Neque terrenam, ſed cœleſtem requirere Hieroſolymam Chriſtianorum propoſitum eſt, & hoc non pedibus proficiſcendo, ſed affectibus proficiendo. Nam ſi Spiritu vivimus, Spiritu ambulemus.* Ab Ethnicis proindè & Turcis mos peregrinationis talis originem habens (primis tribus ſeculis Chriſtianis incognitus, fatente Gretſero de Peregrinat. Lib. 2. c. 1. & 10. atque Baronio in Anno 386. §. 39. & Anno 451. §. 31.) illis infidelibus, ciſternas ſibi quærentibus, quæ non continent aquas, Jerem. c. 2. relinquendus, non imitandus Chriſtianis. Periculoſa igitur fuit curioſitas, quæ cum Authore in illam peregrinationem traxit Comitem Abrahamum de Dhona,

cujus pag. 250. meminit, qui abindè iisdem tenebris immerſus ſolem veritatis perdidit.

XXXVI. PAULUS PIASECKIUS, Epiſcopus Præmislienſis, *Chronicon geſtorum in Europâ, præſertim in Poloniâ, ſingularium* ab Anno 1575. usque ad Annum 1644. compoſuit, quod Cracoviæ Anno 1645. typis publicavit, ac demùm Anno 1649. ætatis ſexageſimo ſexto vitam finivit. In extraneis quidem rebus ſæpiùs ab aliis Hiſtoricis carpitur, ſed Polonicas Judicio ſingulari, ſtylo bono, in plerisque fide quoque (niſi ubi ſectæ rationes ipſum cum aliis errare coëgerunt) ſincerâ perſecutus eſt. Immunitatibus & Civitatibus Pruſſiæ tamen iniquior fuiſſe arguitur. Sed & propterea, quam in Opere ſuo auguratus eſt invidiam & obtrectationem multorum, non ſolùm ipſe vivus, ſed poſt fata etiam conſangvinei ejus, ab ingratis & potentioribus civibus, ob libertatem & veritatem hiſtoriæ hujus, paſſi ſunt, quod refert Kochovius Climact. I. Lib. 2. pag. 164. his verbis: *Piaſecius ipſe totâ vitâ duros labores & acerbas contentiones ſibi fuiſſe aſſerit, quarum ætas mea nonnihil meminit, dum odio veri aut libertate hiſtorica plerique offenſi, acribus inimicitiis nepotes quoque ejus inceſſerent.* Usque adeò periculoſum eſt inter Chriſtianos, qui præ cæteris populis terræ de veritate gloriantur, proh pudor! vera ſcribere.

Sed utut Piaſecius in multis rebus patriæ & extraneis veritatem liberè ſcripſerit, e. g. quod aula Romana ad transferendum Regnum Poloniæ in Dominum abſolutum ſtrenuè laboret, hinc Anno 1587. per Nuntium ſuum Hannibalem Capuanum, incentorem civium usque ad arma civilia, cum ipſis in Religione diſſidentibus Zboroviis & Gorcanis conſpiravit: Quod prætextum Religionis Catholicæ regnare cupientium, exemplo Ligæ Catholicæ & Hiſpanorum in Galliâ, tan-

tantum ignari verum pietatis zelum eſſe, credant. *Nam*, inquit, *tot Monarchæ in fœdera convenerant, tot cædes, tanta urbium & populorum excidia ſunt parata, ad claſſicum Guiſii, quaſi fides Catholica rueret, ſi vinceret regnaretque Henricus Navarrœus: quo tamen vincente & regnante, nil illa detrimenti, & multum incrementi accepit, nec plus accipere â Guiſiis potuiſſet.* Item, quod Nuntius Papalis Malaſpina, in gratiam Aulæ Cæſareæ, Cardinalem Bathoreum fraude circumventum, ſpecie pacificationis præſidio armorum nudatum, Moldavo cædendum dederit; qui caput Cardinalis præciſum, in diſco â Moldavo miſſum munus ferale, tantæ fraudis architectus gratiſſimum accepit. Quod cauſas motuum & rebellionum Hungariæ atque Bohemiæ non malitiæ gentium harum, ſed crudeli imperio & intolerandis preſſuris in honoribus, opibus, denique & conſcientiis ſubditorum, ruptis Privilegiis & Pactis conventis juratis, rectè imputet. Quod nobiles Diſſidentes in Religione, i. e. Proteſtantes, in Regno Poloniæ cæteris Catholicis per omnia pares, nec ab ullis dignitatibus, conſiliis, aut beneficiis Reipublicæ excludi poſſe, atque multa alia vera in hiſtoriâ ſuâ publicè fateri auſus ſit.

Nihilominus nullo alio negotio tanta in ſe concitaſſe videtur odia, quàm quod quorundam ex Jeſuitarum Societate (toti enim Societati nefanda hæc imputare abſonum eſt) Regum capitibus formidoloſam doctrinam, in Galliâ primò publicatam; item eorum expulſionem Venetiis, Bohemiâ, Angliâ, Galliâ &c. ob enormia crimina; item quod eorum malis conſiliis Rex Sigiſmundus III. Poloniæ, Moldaviam, dum fictis prætextibus Demetriorum Moſchico imperio inhiavit, Turcis & Tartaris expoſuerit, & ſub lentis maxillis ſuis perdiderit; in bellum civile patriam præcipitaverit; Regnum Sveciæ, ob

præcocem Papalis Nuntii Malaſpinæ, & Jeſuitarum Reformationis ardorem; Rigenſem Civitatem quoque (cui Jeſuitæ ducentis cauſis & litigiis forenſibus ſimul intentatis, & his vix ſopitis, aliis totidem in Judicio Aulico usque ad deſperationem graves fuerant, & quod in obſidione Guſtavi Adolphi Anno 1621. auxilia Polonica Rigenſibus non ſubmiſſa ſint) amiſerit; Academiam verò Cracovienſem Jeſuitis obnoxius Rex, Privilegiis antiquis exutam planè labefactarit; Regnum denique ſuum Auſtriacis tradere voluerit, quod ipſius propriâ epiſtolâ tunc evictum fuit, liberè perſtrinxit. Sed mala hæc ſpina nudis veritatis manibus tractari non vult, inde parata fuit Piaſecii & ipſius cognatorum perſecutio.

XXXVII. STANISLAUS LUBIENSKIUS, Epiſcopus Plocenſis, *Commentarios de variis Rebus Poloniæ*, regnante Sigismundo III. ſcriptos, moriens reliquit, quos Executores teſtamenti ipſius Anno 1649. Antverpiæ typis imprimi curarunt. In quorum partibus II. præcipua ſunt: (1) *Narratio profectionis Sigismundi Regis in Sveciam*, ad occupandum Regnum paternum, ejusque reditus, Anno 1593. & ſequenti. (2) *De motu civili in Poloniâ* contra Regem Annis 1606. usque 1608. Libri quatuor. (3) *Zolkevii Epiſtola*, ad Bellum Turcicum profecturi, fati ſui præſagi, & Regi Sigismundo valedicentis, Anno 1620. Incipit hæc epiſtola: *Sigillum, monile Regni &c.* (4) *Monita de rectè gerendo Epiſcopatu.* (5) *Vita Epiſcoporum Plocenſium.* In quibus, quod Dlugoſſi veſtigia preſſerit, ipſe faſſus, cujus errores hiſtoricos non correxit, ſed auxit. (6) *Vita Pſtroconii Epiſcopi Vladiſlavienſis*, Nutritii & Patroni Authoris. Denique (7) *Epiſtolæ ejus ad varios.*

Prætereà ſunt minoris momenti Diſcurſus ejus hi adjecti: *Cauſa belli Poloniæ contra Moſchos.* *De Rebus Sileſiæ*, quam ſeu-

Digitized by Google

feudum Regni Poloniæ fuiſſe, & adhuc eſſe contendit. *Reſponſio ad contrarias connexioni Regnorum, Poloniæ, Hungariæ & Bohemiæ rationes.* Item: *Diſſertatio de Jure Poloniæ ad Ruſſicas & Moſcoviticas Provincias. Epiſtolæ duæ ad Cæſarem & Pontificem* de Bello Chotzimenſi. *De confœderatione militari exercitus Polonici* Annō 1622. *Reſponſum ad proteſtationem quorundam Statuum contra Eccleſiaſticum Ordinem. Monita ad Thomam Zamoſcium*, Regni Vice-Cancellariatum ineuntem. *Refutatio Scripti cujusdam, quod Lauream Auſtriacam, Julius Bellus Author appellavit*, & Polonos falſis relationibus læſerat. Denique in Parte II. *Laudationes tres Sigismundi III.* Victoris Smolenſcii una, funebres ejusdem duæ.

De hoc Authore in genere notandum eſt: Virum eruditum bonisque & modeſtis moribus, ſed incondito ſuæ religionis ſtudio, contra fideles ubique injurioſum, & zelo non ſecundum veritatem zelantem fuiſſe. Cæterùm Hiſtoriam ſui ævi, viventibus multis, qui motibus civilibus Regni, & negotiis Sveciæ atque Vallachiæ, infeliciter ſeſe immerſerant, molli manu, ut invidiam & obtrectationem, quam Piaſecius ſimplici veritatis profeſſione ſibi pepererat, cautior evitaret. Imprimis illorum, qui improſperi Sigismundi III. imperii præcipui impulſores fuerunt, ne mentionem quidem facit: cauſam nihilominus tumultûs & inde ſequutæ abrogationis Regni Svetici, incauto fervori Malaſpinæ & Concionatoris Regii imputat, quibus Rex ex conſilio pædagogorum ſuorum conſvebat.

In motu illo civili, cautus ſenex illi parti quæ vicerat, Regiæ nempe, litat, cum ex Piaſecio & aliis relationibus ſatis evidens ſit, Regem conſiliis illis violentis usque ad ſangvinem civium perduraſſe obſtinatum. Monita denique Authoris, de rectè gerendo Epiſcopatu parum continent ex Apoſtolorum

Pauli & Petri ſanctiſſimis Ordinationibus Eccleſiæ primæ, eorundemque prioribus tribus Seculis Succeſſorum humilitate, dilectione, mundi hujus bonorum ac honorum contemptu, ac invicto lucrandi animos zelo; ſed multa Præcepta ad excitandum ſtudium Epiſcopi vigilantiſſimum, circa immunitates, jura & bona eccleſiaſtica, quæ bono magis villico, quam Paſtori & Piſcatori animarum ingeruntur. In Diſſidentes autem â Religione Romanâ, odia & rationes everſionis ipſorum fervidè explicat. Denique laudes & panegyres amicorum Lubienſcii, de bono & grato ipſius affectu magis, quam de perfectione & virtutibus ipſorum teſtari poſſunt; nam & de Pſtrokonſcio aliter judicat Piaſecius, & de cæteris alii.

XXXVIII. JOANNIS INNOCENTII PETRICII, Med. D. & Profeſſoris in Academiâ Cracovienſi, *Belli cum Oſmano, Imp. Turcico, in Vallachiâ* Anno 1620. infeliciter geſti, ſed Anno 1621. *ad Chocimum felicius confecti, Hiſtoria*, Cracoviæ typis edita Anno 1637.

Quanquam Jacobus Sobieskius, oculatus teſtis expeditioni illi famoſiſſimæ Chocimenſi, contra Oſmanum Turcam, Anno 1621. ab Ordine Equeſtri additus Comiſſarius, Judicio, fide, ſtyloque, Viro tanto dignis, relationem poſteritati reliquerit; nihilominus Petricius, ut titulo ſuo Hiſtoriographi, & ambitioſo generi ſcribendi litaret, eandem hiſtoriam recoxit. Sed ut â Sobieskio differret, rem altius repetiit, occaſionem hujus tanti belli Chocimenſis & cauſam, â defectione Gratiani (ex mangone gemmarum ac captivorum in Italiâ Turcorum redemptore) Ducis ſeu Palatini Vallachiæ â Sultano ad Polonos, deducens. Quæ tamen ab aliis, in ſubmiſſa â Rege Sigismundo Ferdinando Cæſari, inconſultâ imò invitâ Republ. auxilia, verior relata eſt. Inde ſequutam cladem Zolkevii cum

ex-

exercitu ad Zezoram Anno 1620. fuſius explicat: demùm Bellum Chotzimenſe Anni 1621. aliis verbis, ſed iisdem veſtigiis relegit; niſi quod Sobieskius deliberationes & conſilia, præſente ipſo apud ſuos & apud hoſtem agitata inſeruit, ad quæ Petricius pertingere non potuit, ſed neque voluit.

Statim enim in Præloquio, quod amplâ gravique oratione, tanquàm multorum Seculorum Hiſtoriæ Corpus meditaretur, duorum Annorum bello brevi narrationi, præmiſit, tria abſurda paradoxa tuetur: (1) Privatos homines ad Hiſtoriam ſcribendam aptiores eſſe, quam Viros dignitate conſpicuos, qui negotiis Reipublicæ adfuerint; tanquàm eo magis ſuſpectos, quo magis apud Reges gratiâ viguerint, ſive nimiâ, ſive nullâ; (2) Narrationem caſuum eventuumque ſufficere ad dicendum temporis teſtimonium, & præcipuum Hiſtoriæ munus eſſe, nec in obſcura & inacceſſa ideò ſe conari, tanquàm ſecretiorum minus peritum. (3) Benefacta lætius efferre, malefacta cum Authoribus tacere debere Scriptorem. Quæ aſſerta communis verior opinio & recta ratio abundè refellit, & omninò falſa eſſe oſtendit. Utinam non niſi magnorum in quâque Republica Virorum haberemus, rerum ab aut cum illis geſtarum commentarios! Et non tot immenſis dubiis, aut manifeſtò falſis Hiſtoriæ Syſtema oneratum eſſet quisquiliis. Utinam omnes eſſent Hiſtorici primæ illius claſſis, qui non caſus & eventa rerum, ſed conſilia & deliberationes in quovis negotio, ad poſteritatis primarium uſum & præcautionem, explicare potuiſſent.

Denique non Hiſtorici ingenui, ſed inertis Panegyriſtæ munus eſt, laudes tantùm meras cumulare, malè vero facta Judicio poſteritatis de meritis perſonarum ſubtrahere. Præterea hic Author, impedito ſuo & faſtidiosè affectato genere di-

dicendi, res planas adeò obſcuritate involvit, ut non intelligi voluiſſe, nec ſubindè ſe ipſum intellexiſſe videatur.

Exemplo ſint prima Præloquii verba, quibus Hiſtoriam poſt mortem Authoris certiorem eſſe refellit: item, ea quæ de argumento Operis ruminat. *Mihi*, inquit, *in arcto & anxius labor, dum grave Annis Regnum, provecto cum vitiis ævo vitaque, & in ipſo exordio poſt* 16. *Secula Annum vigeſimum ſtatim cruentum accipio.* Cornel. Tacitum planè comediſſe vult videri, vocabulis & ſententiis ejus, tanquàm catenis vinctus, lento & impedito pede procedens, usque adeò, ut â Diis ad fana Deûm, cum Tacito loquens, obliviſcatur ſe eſſe Chriſtianum. Eodem fortè pedantiſmi vel amentiæ mactandus elogio, quod Pomponius Lætus â Ludovico Vive & aliis meruit, qui ſuperſtitione antiquitatis Romanæ, nomina Deaſtrorum & hominum ubique ſonans, natalem urbis, & Romulum denique in domo ſuâ ſacrè coleret. Nihilominùs Petritius, in ipſo ſuo cultu Taciti, euphoniæ cujus ille tantoperè tenax fuit, multoties impingit, e. g. *curam* inquit, *commovere renovavereque, inſidere occupavereque, invitamentis irritamentisque*, & centum alia hujus generis diſſonantia, interſparſis multis vocabulis non ſatis latinis. Certè imitationes Authorum antiquorum aures noſtras limatiores in Judicio latinitatis reddunt: ſed cum natura in ſermone, qui eſt flumen animi, magnam ſibi poteſtatem vendicet, ſimul cum ephebiâ anxias iſtas verborum imitationes abjicere oportet, niſi perpetuo pueri, ad omne negotium publicum inepti, ſemper alienis pedibus reptare malint, quam unquam ſuis propriis viribus, per plana & facilia, non per præcipitia & obſcura progredi.

In rebus Hiſtoriæ hujus non multum ſibi promittat Lector ab eo, qui præter prodigia & omina, orationes quoque

Du-

Digitized by Google

Ducibus ad milites, vitio plurimorum Scriptorum affictas, nihil niſi eventus meros enarrare potuit. Promiſit pag. 70. Annales ſuos Poloniæ Lectori, quos editos fuiſſe nusquàm reperi, fortè ita verbis Taciti continuo ſermone fuerunt compoſiti, ſicut doctrina politica Iwanickii, pueris non viris apta.

XXXIX. SIMON STAROVOLSKIUS, Primicerius h. e. Canonicus Cantor Tarnovienſis, magno labore & utiliſſimo ſtudio, ex multis Templis Poloniæ & Pruſſiæ, item nonnullis extraneis, præſertim Italicis, *Monumenta Sarmatarum ſepulchralia.* Cracoviæ typis Anno 1655. edidit. Quoniam ex omni genere hiſtoriæ ignorantiis hominum remedia quærenda, laude ſuâ non carent: qui ſi non prolixis narrationibus, ſaltem brevibus lapidi & ligno inſcriptis elogiis, dignos memoriâ homines resque præcipuas ab ipſis geſtas ab interitu vindicarunt. Nam & per inciſa notis marmora publicis, Spiritus & vita bonorum redit.

Utinam hanc diligentiam in conquirendis Sepulchrorum Inſcriptionibus, multi imitarentur! non tanta clariſſimorum Virorum eſſet ignorantia, & oblivio emergentium aut cadentium familiarum & gentium, juxta ipſarum merita Deique juſtum Judicium. Meritò Starovolskius in Præfatione ad Lectorem optat; *ut tandem veterum excutiant Capitula Eccleſiarum, Profeſſores Gymnaſiorum, Cœnobiorumque habitatores, ut quæ in compedibus tenent, immortalia monumenta ingeniorum, in lucem emittere curent, antequam ignis fortuitus illa redigat in favillas, aut tinea pulvisve corrodant ad ultimum.* Quantis enim quæſo impenſis Græcorum, & Romanorum numiſmata aut inſcriptiones ſepulchrales collectæ, typis pretioſiſſimis eduntur, ad ſublevandam Hiſtoriam illorum, noſtrarum interim gentium monumenta ferè negliguntur.

XXXX. *Ejusdem* SIMONIS STAROVOLSCII *Inſtitutorum rei militaris* libri octo, Cracoviæ, Anno 1639. typis expreſſi, quibus nihil niſi pictæ tabulæ deſunt: *Quod ipſe non miles ſed umbraticus homo, & qui, quantum differat ſcitè de bellorum actionibus artibusque ſermocinari, & longâ experientiâ inſtructum, oculos contra aciem hoſtium rectos tenere*, non ignoraret, de arte militari ſcribere aliosque docere auſus fuerit, in Proloquio eâ potiſſimum ratione excuſat, quod non ſui ingenii opiniones, ſed clariſſimorum Virorum militiæ perexpertorum ſententias, ſibi ex Sermone aut Scriptis ipſorum collectas, in uſum tyronum edere voluerit. Et fatendum eſt, librum hunc articulis, ad rem militarem perneceſſariis & utilibus, tum exemplis antiquis & recentibus præſertim Polonicis, eſſe refertiſſimum, lectuque iis, qui progymnaſmata militiæ exactè cognoſcere cupiunt digniſſimum.

Proindè thraſonum ſannæ non audiendæ ſunt, qui quod ipſi artium rudes, longo labore aliquam praxin militarem acquiſiverint, ignorantiæ & invidiæ ſtimulo, literas præceptaque ſapientum â bellis proſcribunt, aut vetuſtiora exempla, regulas, artesque militares modernis bellorum modis planè non convenire, ineptè clamant. Quemadmodum enim omnes practicæ diſciplinæ ab experientiâ, & inde collectis regulis originem ducunt: ita militaris quoque ars ex eventibus collecta, & Mathematicis concluſionibus applicata, optimo Jure & magnâ utilitate per præcepta tradi poteſt; quæ diſciplina praxi conjuncta, viros demum perfectos, & magnos atque cautos bellatores facit, qui actiones ſuas non cœco impetu in caſum deproperare, ſed eventus, quantum humanâ induſtriâ poſſint dirigere cupiunt. Idcirco prudentiſſimos quosvis bellatores libros tacticos vel hiſtoricos verſare videmus.

Nec

Digitized by Google

Nec vero, ſi inſtrumenta, aut modus aliquis bellandi mutetur hodiè, propterea ab antiquis fundamentis diſceditur, ſed etiam modernæ actiones bellorum, licet ignorantibus diſciplinas & præcepta antiquorum, planè nova videantur & inaudita, ſcientibus tamen non niſi recocta & veteribus quoque cognita. Si quid autem hodie inventionibus bellandi additum eſt, certè multo plura ex veterum ingenioſis & ſtupendæ efficaciæ inſtrumentis, deperdita ſunt.

XXXXI. GREGORIUS CNAPIUS, S. I. Presbyter, *Theſaurum Polonicæ, Latinæ, Græcaque Lingvæ*, Anno 1621. typis Cracoviæ edidit. Quod opus omnibus Lexicis Polonicis palmam præripit, & latinis optimis æquiparari meretur. Nam Polonicæ Lingvæ genuinas voces, correctis erroribus omnium aliorum Dictionariorum, Latinas quoque ex Claſſicis copioſè, Græcas non paucas congeſſit. Utinam tam laborioſæ induſtriæ operi Indicem Latinum adjeciſſet, quod in prooemio promiſit, ne ſolis Polonis faculrate evolvendi factâ, extraneis uſus Voluminis tanti negatus eſſet.

Prodiit quidem hujus Theſauri Tomus II. in 4to. Cracoviæ Anno 1626. quem Author loco Indicis Tomi I. commendat. Sed quia liber ſeorſivè aliâ forma editus, & paginas non expreſſit allegationibus, quod in Indice fieri debuerat, idcircò potius novum Dictionarium edere voluiſſe cenſendus, quod idem in Præfatione hujus Tomi II. fateri videtur.

Non prærerunda eſt viri hujus docti ſapiens admonitio, quam in Præfatione hujus Tomi I. Polonis ſuis inculcat, de vitando macaroniſmo, ſeu mixturâ Lingvarum, Græcis & Romanis tantoperè olim exoſâ, ut hi publicè nunquam ſine veniæ Præfatione verbum Græcum admiſcerent. Et Juvenalis jam corruptis ſuorum moribus abuſum hunc taxat: *omnia*, inquit,

*Græcè, cum ſit turpe magis nobis neſcire Latine.* Illos igitur populos, donec pro conſervandâ lingvâ ſuâ laboraſſent, ſapienter exoticas vitaſſe concludit Author. Eventus enim docuit, Lingvas optimas quasque, per ineptam oſtentationem miſcendi vernaculæ vocabula exotica, & ſimul cum vernaculâ, mores quoque antiquæ gravitatis nimium corrumpi, aut planè tandem perire. Propterea detorſionem terminationum Latinarum in vernaculam, & vice verſâ, atque mixtas ex utraque Lingvâ ſententias, juſtè Author hic exagitat. Quod vitium quidem non ſolis Polonis, ſed & Germanis tantoperè adhæſit, ut omnibus ferè per longam hanc corruptionem vernaculæ, difficilius ſit purâ vernaculâ loqui & ſcribere, ſenſumque genuinum animi, aut textus alicujus præſertim ſacri exprimere, quàm Latinâ vel Gallicâ. Certè hoc vitio Toſcana, Oſca & Poſca admixta Latinæ, Italicam, Hiſpanicam & Gallicam: Britannica quoque Gallicæ, peperit hodiernam Anglicam, Lingvas.

XXXXII. ANDREAS LISIECKI, Inſtigator h. e. Fiſcalis Regni, Cracoviæ Anno 1638. typis edidit librum, *de Majeſtate Tribunalis Regni ſeptem Splendoribus illuſtratâ*, Polonicum. In eo ampliſſimè de ſupremi iſtius Judicii origine, Juſtitiâ, Æquitate, Pietate, Securitate, Eminentia & Potentiâ, multis locis ex domeſticis & exteris Scriptoribus adſperſis, pompoſo & panegyrico ſtylo perotavit: adeoque laudes juſtiſſimi cujusdam Sanctorum cœtus, in Platonicâ Republica, declamavit. Eatenùs fortè probandus, quod laudando Judices perfectos, non quales ſint, ſed quales eſſe debeant, eosdem docere & inſtruere voluerit.

Utinàm in omnibus Regnis & Provinciis Chriſtiani Orbis, Judices ad pulchra hæc monita ſeſe componerent! non eſſet quod pauperes orphani, viduæ, vel advenæ, aut ca-

Digitized by Google

cæteri incolæ æternis litigiis, & potentiorum opibus oppreſſi, ubique locorum cum Eccleſiaſte exclamarent: *vidi ſub ſole in loco Judicii impietatem & in loco Juſtitiæ iniquitatem*, h. e. quod in locis, unde expectanda prompta juſtitia, proveniat injuria, magna & multa nimis, ita ut miſeræ oviculæ tempeſtatem fugientes, ex his dumetis intonſæ nunquam, ſæpe degluptæ aut penitus excoriatæ recurrant.

XXXXIII. SIMON OKOLSKI Ord. Prædicat. Monachus, Prior Camenecenſis, poſteà Profeſſor Theologiæ & Prior Tyſmenicenſis ORBEM POLONUM, *in quo antiqua Sarmatarum gentilitia inſignia, veteraque & nova indigenatus meritorum præmia & arma relucent*, Tomis III. Cracoviæ Annis 1641. 43. & 45. edidit. Habet ſanè Okolski nævos ſuos inſignes, quod plane ignarus artis Heraldicæ (quæ ſeria de armis & ſtemmatibus Nobilium tractans, omnes allegorias & hieroglyphicas ſignificationes, originem inſignium mentientes aut divinantes, ſeverè axiomate faſtidit) ad oſtentationem ingenii, Rhetoricis luſibus fœdaverit opus, puerisque magis quàm viris ſcripſerit, & hujusmodi ampliſſimis alluſionibus nimium auxerit.

Deindè quod cum ſolius Paprocii ductu profecerit, & ex eo potiſſima antiquitatis documenta hauſerit, nihilominus optimè de hiſtoriâ ſtemmatum Polonorum meriti primique Scriptoris, nullibi honorificam & gratam mentionem fecerit, utut ſæpius Paprocium adcitaverit. Et cum ipſe Paprocius pag. 118. gentem ſuam modeſtè, evidenter tamen deduxerit, Okolski eodem ſtemmate, Iaſtrzembiec pag. 333. Tom. I. Paprocium in Lencicienſem Palatinatum, ex Culmenſi tranſiiſſe duobus tantum verbis adnotans, ad laudem tam induſtrii Scriptoris, nihil penitus addere, dignatus ſit, omiſſis iis, quæ Paprocius,



Digitized by Google

c. l. adduxerat: Sibi tamen ipſi Okolskius Tom. II. pag. 600. non erubuerit magnam buccinare famam, & gentis ſuæ originem.

Porrò quod â viris gravibus Okolskius adulatorii & venalis arguatur calami: Præ cæteris Joannes Markiewicz Canonicus Cracovi. & Varmienſis, in ſuo Carcere Romano, ita de Okolskii opere in Præfatione judicat: *Sciunt*, inquit, *ſagaciores Poloni, qualis ſit Authoritatis hic liber, quem Tribunal Regni Lublinenſe, propter nugas ejusdem cum veritate non concordantes, in Officinis librorum vendi prohibuit, & parum abfuit, quin publicè cremaretur, propter querelam, quod alios multum depreſſerit. Monachus enim Stipem mendicans, & domos Nobilium oberrans, laudes cumulabat & exaggerabat plus offerenti.* Quæ verba paulo ante finem libelli repetens addit: *Sufficiat ad ipſius Okolskii commendationem, quod apud nos fidem non mereatur.*

Certè quicquid huic Markevicii notæ infami, propter odium ejus privatum, reponi poſſit, Okolskium ab omni crimine non liberavit, ſi ſummum Regni Tribunal contra ipſum judicavit; & multa loca in eo ſuſpicionem venalis fidei movent. Hinc multas obſcuriores aut novitias gentes hyperbolicis laudibus effert, nonnullas illuſtriores & vetuſtiores ſicco pede tranſit, e. g. Radzivillorum Principum Ducalia inſignia non expreſſit, & ipſorum originis ab Oſtikoviis pag. 229. T. III. vix mentionem aliquam facit, licet Paprocius ab eo citatus omnia fuſius pertractarit. Ita quoque perpetua aut nimia laudatio unius, aut mutum ſilentium alterius, de ſtudio vel odio ejus teſtantur. Paulo Jovio Hiſtorico penè ſimilis, quem conſtat (teſte J. Gerhardo Voſſio) in Aulâ Henrici II. quibusdam terræ filiis, benè de ſe merentibus, generis claritatem ac perpetuum nomen pollicitum, eos verò maledicè traduxiſſe, qui venali homini morem non gererent: nempe hujusmodi

Hi-

Digitized by Google

Hiſtoricis, ait S. Auguſtinus, *ſervias ſi vis immortalem eſſe capis.*

Denique in prælo ipſius aut Typographi vitio, numerum & cuſtodes paginarum neglectos, & folia integra poſt perfectum jam opus intruſa videas, quæ ſuſpicionem, & in plurimis exemplaribus defectum, pepererunt, e. g. inter pag. 170 & 171. Tomi I. folia duo cum Stemmate illuſtris gentis Dönhofforum, intruſa: poſt pag. 352. intiexis paginis ſeptem numero vacuis, rurſus à pag. 350. numerare incipit.

Nihilominus Okolskio propterea laus ſua remanſit, quod nemo ante illum, nec poſt adhucdum, Latino Sermone Stemmata Polonæ Nobilitatis ediderit: propterea hic Liber exteris caro & inſolenti pretio conſtat; ob locupletes indices quoque facilius quam Paprocius evolvitur.

Si verò in fide Hiſtoricâ ſpontè aut neglectu fallit, hæc cum cæteris tot erroribus hiſtoriæ antiquæ tolerare neceſſum eſt, quia in tantâ obſcuritate, faciles ad credendum eſſe nos oportet ea, quæ quisque Nobilium pro ſuo faſtu vel modeſtiâ obtrudit. Interim Prudentes firmam in talibus tenent ſententiam Senecæ epiſt. 44. *Nullius non origo ultra memoriam jacet: nemo Regum non ex Servis oriundus eſt, nemo Servorum non ex Regibus: omnia iſta longa varietas miſcuit, & ſurſum deorſum verſavit fortuna.* Scilicet, ut ſe omnes homines meminerint naturâ eſſe conſangvineos, nec valorem iſtum civilem, ad rumpendum vinculum naturæ & dilectionis Chriſtianæ, unquam inſoleſcere ſinant. Et Okolskius in Præfatione ita philoſophatur: *Ut ſol*, inquit, *oritur & occidit, ita Familiæ cadunt & reſurgunt, ut qui erat Nobilis, fiat plebejus, & qui liber, fiat captivus & econtra.* Enimverò, *ſi venerationem habet videre caſtellum aut ædificium antiquum, aut annoſam proceram arborem,*

*ſoli-*

Digitized by Google

*ſolidam & integram, quantò plus intueri antiquam proſapiam nobilem à fluctibus temporis illæſam. Et ſi Nobilitas nova potentiæ Reipubl. opus eſt, antiqua ſimul & temporis filia erit.* Sunt Verba Verulamii Serm. fidel. cap. 14. Quibus pulchrum addit Conſilium Boëthius, in Conſol. Phil. lib. 3. proſâ 6. fin. *Quodſi quid eſt*, inquit, *in Nobilitate bonum, id eſſe ſolum arbitror, ut Nobilibus, impoſita neceſſitudo videatur, ne à majorum virtute degenerent.*

Adhuc ad Opus hoc Heraldicum notare libet, longius ante Caroli Magni Seculum derivata inſignia, à Græcis, Romanis aliisque populis, omnia eſſe ficta & mendacia. Licet enim antiqui habuerint inſignia quædam, tamen non fuere perpetua, nec familias, ſed res notantia, pro lubitu cujuſque uſurpata. Proindè quæcunque Okolskius altius repetit, fabulas exiſtimemus. Verum autem eſſe, quod Welſerus lib. 4. Antiquit. Auguſtæ Vindel. ſub finem refert: *Quin leges, quæ hodiè opinione an certo jure inſignia circumſcribunt, ut antiquiſſima ſint, Carolum M. non prævertunt, à quo primum adumbratas, ſub Henrico demùm Aucupe & poſteris perpolitas arbitror. Fortiſſimi Impp. illi militarem virtutem, cui toto pectore incumbebant, hoc ornamento honeſtare voluere; unde clypei & caſſidis nata ſpecies, nomen quoque. Nam vernaculis quibusque linguis arma appellamus. À militibus ad reliqua poſteà hominum genera fluxere, tam effusè ut cum Europam omnem pervaſerint, Aſiam usque penetrarint.* Certè ante Henricum Aucupem Imp. vix ullo idoneo documento probari poterit, præter Proceres Imperii, fuiſſe Nobiles per ſigna quædam, nec niſi muneribus & opibus, quod ita apud Turcas adhuc uſu obtinet, à Civitatum & Pagorum habitatoribus diſtinctos. Hic enim Imp. poſt emortuam Anno 911. cum Ludovico III. Stirpem Caroli M. in Germaniâ, primus contra Hungaros, Venidos, Slavos, & Danos, Marchionatus,

Au-

Auſtriacum, Brandeburgenſem, Miſnenſem, atque Sleſvicenſem inſtituens, populum paſſim ex pagis in oppida cogere, & ſub ſignis militiæ variis exercitiis bellicis incumbere juſſit; quâ ratione adverſus tot hoſtes Imperii evaluit & propterea potens, in populo ad militiæ gloriam excitatos, prærogativis donavit, ſignis familiarum perpetuis diſtinxit, & ludos eqveſtres Nobilium inſtituit, qvem aliæ nationes imitatæ ſunt.

Porrò notatu dignum eſt, Polonos & univerſos Slavonicos populos, ſimplicibus vocabulis Optimates, non tantum Nobiles quosque appellaſſe, quorum plurimi Authorum ſuæ gentis nomina referebant, donec ſub ultimis Piaſteæ Dynaſtiæ Regibus, Poloni jàm Chriſtiani, orbi cultiori magis noti, â Germanis vicinis morem induerent, Nobilitatem ab eorum hæreditariis prædiis appellandi: quod cum Itali, Hiſpani, Galli, Germani, per vocabulum *de* exprimerent, Poloni commodâ flexione ultimæ ſyllabæ nominis in *Ski*, proferre cœperunt. Licet igitur vetuſtiores Polonorum Nobilium, & ſibi & ſuo Symbolo ab Authore primo idem nomen ſervaſſent, addito prænomine baptiſmi; tamen poſt diſtinctas illas appellationes â prædiis ſuis, mox in varias lineas eadem gens multiplicari debuit. Et hæc eſt ratio, quare Symbola ſive Inſignia eadem adhuc ſerventur, appellationes autem numeroſiſſimæ uni genti conveniant. Quod etiam in aliis populis Europæ ita uſu venit.

XXXXIV. WENCESLAI POTOCKI, Pocillatoris Palatinatus Cracovienſis *Poczet herbow Szlachty.* K. P. Y. W. X. L. h. e. Numerus Inſigniorum Nobilitatis Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Lituaniæ, Polonico verſu Cracoviæ, Anno 1696. typis expreſſus, quem Exercitui Regni dedicavit Author. In Principio Operis Catalogum Inſigniorum ſeu



Digitized by Google

Symbolorum gentilitiorum, in fine autem nominum & appellationum Familiarum nobilium contexuit, prout ibi indicat, in enarrandis illis preſsè Okolskium ſequutus.

Quoniam Poëta eſt, ad ſingula Inſignia, de origine eorum, mox ſub Epitaphii aut Epithalamii utriusque ſexus titulo, genti ejusdem Symboli condolet aut congaudet, & cum alluſionibus ad Symbolum moraliter inſtruit aut jocatur. Proindè juventuti Polonicæ in parentationibus, alluſionibusque ſuis (quibus Poloni maximè delectantur, exteri faſtidiunt) utilis, varietate carminis quoque jucundus lectu eſt. Sed ad cognitionem ſeriam Heraldicam nihil prodeſt, qui ipſius quoque finis non fuit.

XXXXV. SATYRY ALBO PRZESTROGI *do naprawy rzadu y obyczaiow w Polſzcze, nalezance* h. e. Satyræ ſive Monita ad corrigendos mores publicos & privatos Poloniæ pertinentia, Libris V. Anno 1650. typis edita. De Authore hujus ſcripti, nos dubitare non ſinit Kochowski Climacterici II. Lib. I. pag. 86. *Annus*, inquit, 1655. *inſignis, præter publica mala multorum morte, inter præcipuos Chriſtophori Opalinsky Poſnanienſis Palatini. Qui doctrinâ, facundia, Senatoriâ gravitate præcellens, propè apicem artium politicarum tenuit: poſt publica negotia literato otio ſe dedit, & ſcriptis quoq; vacavit, edito Satyrarum volumine, ſub titulo Przeſtrogi, quâ patrio verſu Latinam ſpirant venuſtatem.*

Quantum ad carmen, nimiùm ipſi Kochovius tribuit: nulla enim aut certè rara in illis verſibus venuſtas, ars planè nulla poëtica; Kochanovio, Twardovio, & aliis inſignibus Poëtis Polonicis ne comparandus quidem. Sed verſibus vulgaribus res veras profert, & Polonorum abuſus in regimine, cultu divino, judiciis, bello, educatione, luxu, vitâ & moribus, Cle-

Digitized by Google

Cleri, Nobilium, civitatenſium, & agreſtium liberè perſtringit & taxat, Juvenalem & Perſium imitatus. Utinam homines, cum ſeveris Dei monitis nolint, hujusmodi ſarcaſticis ſcriptis vexati, intelligere vellent, & noviſſima ſua prævidere! Lectorem proindè ſuum hic liber moratum nactus delectat, vitioſum juſtè arguit.

XXXXVI. VESPASIANUS KOCHOWSKI, Eques & Tribunus Cracovienſis, *Annales Poloniæ, ab obitu Vladislai IV. Regis Anno nempè* 1648. *usque ad abdicationem Joannis Caſimiri, Annum videlicet* 1668. compoſuit, quos Climactericorum titulo, ſingulis ſeptennio aſſignato, Anno 1683. 88. & 98. totidem Tomis Cracoviæ typis publicavit.

Laudem ſibi non vulgarem Author peperit apud Prudentes, & rerum non verborum curioſos, quod res ævo noſtro propiores, ſub turbulentiſſimo Joannis Caſimiri Poloniæ regimine geſtas, luculentâ & juſtâ Hiſtoriâ tradiderit: apud Logodædalos verò, propter vim & venuſtatem dictionis, ſummis Kochovium laudibus ferri ſæpiùs audivi, imò eum cæteris ferè omnibus Hiſtoricis recentioribus anteponi.

Enimverò, ut Hiſtoricum ad antiquæ Romanæ puritatem ſtrictè examinare fruſtrà laboratur; cum vix ullus ex neotericis, claſſicis illis comparari poſſit, vi dicendi, numeris periodorum, & vocabulorum æquali juſtâ ubique nec ſuperfluâ compoſitione & menſurâ, ac ſimplicitate ſenſus, nunquam ad Auguſti ævum pertingentibus: Ita affectatæ nimis laudi Authorum modernorum velificari ignorantia Latinitatis eſt. Scripſit Kochovius ſtylo auribus ſeculi accommodato, pro quo ipſe Lectorem in Proœmio Climacteris II. deprecatur, *quod*, inquit, *infrà Livianam facundiam* (cum qua tamen ſibi æmulationem eſſe occultè credidit) *jejuna ſerpat oratio*. Addere po-



Digitized by Google

potuiſſet non injuſtè, ſæpe nec Latinâ ſatis dictione. Nam vitii ſibi conſcius, ibidem ante finem hâc ſe excuſatione munire voluit: *paucis moneo*, ait, *non usque me ad periphraſin Latinam ſtrictim illigari, ut non magis facilis intellectu & perſpicuus videri ſatagerem.* Quaſi non eximia pars antiquæ Romanæ puritatis ſit ipſa perſpicuitas, quæ in Tullio, Julio Cæſare, & coævis Oratoribus, propterea admirationem, præ ſequentis Seculi Scriptoribus, Plinio, Tacito, & eorum aſſeclis, obſcuritatem ſententiæ ultrò ſectantibus, peperit.

Quantum ad Hiſtoriam ipſam, Kochovius certe ſuâ ſe confeſſione ipſum arguit, dum in Præfatione Climacterici III. fatetur, ſe quædam omiſiſſe, & velut Timanthis velo obnupſiſſe: *Nam*, ait, *licet nihil ſilere Hiſtoriæ lex ſit, tacenda tamen quæ nocent aut ſcandaliſant, ſana ratio permittit.* Sed ſub hoc velamine omne ſtudium vel odium Scriptoris, magno diſpendio veritatis, latere poteſt. Timanthi pictori Iphigeniam, ad aram cum mœſtiſſimis adſtantium imaginibus, ſolo parente vultu velato, ob magnitudinem triſtitiæ arti non imitabilem, pingere licuit: Aſt Hiſtorico lex â veritate impoſita eſt, ut vitatis tantum turpibus, quæ bonos mores corrumpere poſſunt, ne quid falſi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat. Ingenuus tamen Kochovius, quod veram cauſam ſilentii ſui diſſimulare noluerit; ait enim c. l. *ſed magis me anxium reddit ſequax veritatis umbra odium & tam bonæ famæ negligens, quam malæ contemptrix malignitas, ſat ſuperque erit, ſi adulationis immunem conſcientia abſolvat.* Enimverò malè perſvaſus fuit Kochovius: nam non adulationis ſolum vitium eſt ſummum Hiſtorici, verùm & metus; Libertate autem vera ſcribendi ſublatâ, quid apud moratiores gentes præ barbaris, in cœca rerum ignorantiâ viventibus, aliquando expectemus?

Ni-

Digitized by Google

Nimirum conſcius Kochowski odiorum, quæ non pauci in Piaſecium, libertate ſuâ in dicendo conſtantem, nec futuri odii metu torpentem, ejusque Nepotes, ob Hiſtoriæ veritatem explerant, quorum ipſe meminit. Clim. I. L. 2. ante fin. pag. 164. & L. 5. pag. 316. Habet quidem Kochovius pleroſque Hiſtoricos ſui ſimiles, Thucydide & Polybio, atque pauciſſimis inter recentiores exceptis: cæteri amore patriæ ſuique populi, domeſticas res extollere, nævos earum tegere, exterarum vero mordacius perſequi ſolent. Sed & propterea laudem Thucydidis, qui injuriarum â patriâ innocenter acceptarum immemor, vera continuo filo de eâ ſcribere; Polybii verò, qui nec ſui ipſius parentis Lycortæ errorem præterire voluit, non merentur.

Facit quoque Kochovium ſuſpectum, quod in Præf. Clim. II. palàm queri ſuſtinuerit: *Irrepræmiatum ſtudium, ingratum ſibi reddidiſſe laborem.* Quem iterùm in Præfat. Clim. III. *gravem ſibi & improficuum appellare* non erubuit. Miſeros nos! qui non habemus res Majorum traditas publicâ Authoritate fideque, ſed privatorum affectu tantum corraſa fragmenta. Et quod ipſe Kochovius Præf. Clim. II. dolet; *miſera quoquè Scriptorum Sors, venundari.* Quæ ad præcautionem Hiſtoriæ Studioſorum ſæpius inculcanda, ut ſciant, quàm infirmo nitatur Syſtema Hiſtoriæ fundamento, caveantque omnes hominum traditiones, quia nunquam, aut certè rarò ſunt omni exceptione majores.

Quodſi tempus & inſtituti brevitas permitteret, utut virulenta Kochovii in diſſidentes à Religione Romanâ convitia & falſitates, in commendandis autem ſuæ ſectæ corruptelis, ridendas aut miſerandas ſuperſtitiones, quas ipſe in Ruſſorum cultu aliquoties damnat, præterea crebros errores Geographi-

 cos

eos taceam, non pauca à veritate aliena ex hoc Volumine colligerem; quæ prono in vicinas gentes odio, ipſi ex rumore vulgi facile credita, ex temporum illorum conditione, & aliorum Authorum relationibus convincuntur. Sed etiam hoc vitium magis ſchediaſmatis & commentariolis, unde opus ſuum digeſſit, quàm Hiſtorici integritati imputare malo; præſertim, cum ex collatione primarum Epiſtolarum Zaluskii appareat, iisdem diariis & ſchedis utrosque uſos eſſe, quia iisdem verbis res easdem narrant.

Poſtremò, quod rarò conſilia & deliberationes rerum geſtarum Kochovius affert, ſolà narratione actorum & eventuum contentus, inter ſummos Hiſtoricos locari nequit. Satis ipſi laudis & meritorum apud eruditum orbem partum, quod præ multis vitioſioribus, locum medium inter ſummos & imos obtinere poſſit.

XXXXVII. ANDREAS CHRYSOSTOMUS ZALUSKI, Epiſcopus Varmienſis & Cancellarius Regni, Diaria comitiorum, relationes actorum publicorum bello & pace, eorundemque conſilia & deliberationes publicas, intra vel extra Regnum Poloniæ, denique Epiſtolas in negotiis publicis hinc inde à Senatoribus, pleriſque ad ſe & â ſe ſcriptas, ab Anno 1667. usque 1711. Annum, quo vivere deſiit, titulo ***Epiſtolarum hiſtorico-familiarium*, *Tomis III.*** Brunsbergiæ typis Annis 1709. 1710. & 1711. exprimi curavit. Scriptionis & collectionis ſuæ Author ipſe rationem prolixâ Præfatione (nempe 13. Foliorum) Tomi I. facundiâ, amplificatione, & repetitione crebra ejusdem argumenti ediſſeruit, quem morem in editione ſecundi & Tertii Tomi continuavit.

Certè tot Annorum in Poloniâ geſta publica, ex continuis hiſce commentariis, relationibus & epiſtolis cognoſcere omni-

Digitized by Google

omnibus volupe eſt. Sed ſi illuſtris Author, *cui ſemper placuit agere curas ſeculorum, & cui ſumma facultas ſcribendi in optima voluntate fuit* (ita ſcribit initio & medio Præfationis Tomi I.) non congeſta volumina diariorum ac epiſtolarum, relationesve ampliſſimas actorum publicorum, multoties non ſatis obſervato temporis ordine, quo quæque geſta ſunt, cumulata; verùm ex diffuſis illis commentariis, & verboſis epiſtolis, continuam beneque ordinatam hiſtoriam rerum memoriâ dignarum, reciſis omnibus ad luculentam hiſtoriam non pertinentibus, digreſſionibus, digerere, & hujusmodi opere poſteritati conſulere voluiſſet, omni procul dubio pleniſſimam, quam peroptavit, meruiſſet laudem. Quodſi ipſum, *naturâ ita factum, aut negotiorum ac calamitatum mole fractum, excerpendo, poliendo, pingendoque operi hujusmodi* (prout ipſe dicta Præfat. loquitur) *tædium ceperit*, conſultius laborem talem erudito & judicioſo alicui viro demandaſſet. Et hoc ipſe Author benè intellexit: dicta enim Præfat. Tomi I. ait: *Si quis alius hiſtoriam ſcribere vellet, non corrumpent hi commentarii veritatem, ita prout res rem ſequebatur, bonâ fide collecti*. Nihilominùs gloriam tanti operis perfecti neglexit: viris enim ad digeſtionem juſtæ & luculentæ hiſtoriæ aptis, modo præmium cum commentariis ſuppeditaſſet, in Poloniâ carere non potuit. Sed ut ex tali laborioſſima digeſtione Commentariorum omni Hiſtorico ſua laus naſcitur, ita qui laborem faſtidit, laudem ſibi non parit.

Quorſum quæſo librorum moles evadet, ſi diaria & Commentarios, atque epiſtolas magnorum in Republ. quaque virorum, ut plurimum nimium verboſas, integras typis excudi mos invalebit? Verè tunc docti, jam nimio librorum labyrintho oppreſſi, ingemiſcere poterunt: Totum Mundum capere non poſſe tot librorum volumina.

Præ-

Digitized by Google

Prætereà ex editæ diariorum ac epiſtolarum tantæ farraginis ratione, illud profluxit incommodum & vitium libri, quod Principes, Civitates & alii, quibuscum negotium aliquod publicum in Poloniæ aulâ interceſſit, Authorem iniquitatis, & ut mollius, licet non ſatis Latinè dicam, partialitatis juſtè arguere poſſint: Dum actorum publicorum Scriptor, eam tantum partem, quæ a Polonis vel Authore ipſo objecta ſunt, publicavit, reſponſionibus, defenſionibus & rationibus ipſorum contrariis plerumque omiſſis. Quod ſtudium à fide & integritate Hiſtorici ſummopere abeſſe debet, ne ſe relatorem eſſe oblitus, judicem rerum, præſertim in ſummarum poteſtatum vel etiam ſtatuum ac civitatum negotiis, conſtituere præſumat. Pupugit hæc iniqua & deſpotica cenſura geſtorum nonnullorum cum Gedanenſibus, inclytam eam Civitatem: Proinde Vir doctus & patriæ ſuæ amans titulo ***Epiſtolâ Gratiani Severini Lipinski, ſicilimenta ad loca quædam operis Zaluskiani, terras Pruſſiæ Polonicæ, ſpeciatim Civitatem Gedanenſem concernentia,*** in fine Anni 1711. publicavit. In his ex fundamentis jurium Pruſſiæ, præcipue Gedanenſis Civitatis, varia loca in odium Gedanenſium à Zaluskio detorta, illuſtravit, & rationibus apologeticis deſtruxit. Pari juſtitiâ plures in hoc opus, ſi Principibus vicinis placuerit, jurium & juſtitiæ ſuæ honorem, adverſus malè & partialiter relata, aut arroganter deciſa Zaluskii, calamo vindicare, inſurgerent. Quod ſi Principibus & Statibus læſis contemptu ſcripta hujuſmodi tramittere conſultius viſum fuerit, hoc quoque ſciant, poſt decurſum annorum talia præjudicia tanquam publicè geſta & ſilentio approbata, fidem & vim aliquam juſti contra ipſorum jura, apud poſteros acquiſitura.

Genus ſcribendi, in tantâ mole diariorum, non adèo curandum nec acri cenſurâ notandum eſt. Lectori ſanè occurrent rui-

Digitized by Google

ruinandi, diſordinis, partiſantium, & alia multa hujuſmodi impura vocabula, quæ eum offendent. Enim verò cum ſatis nota ſit illuſtris Authoris profluens facundia (licet impetu fuerit quam judicio validior) quæ præcipuè in epiſtolis ipſius Romam latinè ſcriptis elucet; aliter ſuſpicari non licet, quàm eos, quibus è Polonicâ in Latinam vertendi diaria & epiſtolas ab authore data fuit opera, ruditate ſuâ ad hos ſcopulos agreſtis dictionis impegiſſe, quæ legentibus doctis ſtomachum movent.

XXXXVIII. ORATOR POLITICZNY, *Weſelnym y pogrzebnym Aktom ſluzacy, przez* KAZIMIERZA JANA WOYSZNAROWICZA w Krakovie Anno 1648. Author hic viros eccleſiaſticos & ſeculares, in conventu nuptiali vel funebri, ſolenni Polonorum more, peroraturos, compoſitionibus hiſce ſuis, ad facundè, expeditè & breviter eloquendum, manu ſuâ ducere voluit. Ideò in primâ parte operis, orationes circa procationem virginis vel viduæ, circa ſponſionem, circa adventum ſponſi, circà præſentationem ſertorum & aliorum donorum ſponſalitiorum, circà deſponſationem nuptialem, nomine utriuſque contrahentis, denique circà oblationes annuli, catenularum, arhularum, carcheſii, pelvis cum gutturnio, galeri gemmei, ſacharorum, & hujuſmodi donorum nuptialium, offerentibus & reſpondentibus ad imitationem, univerſim quadringentas quinquaginta quatuor propoſuit. In parte ſecundâ & tertiâ operis, orationes lugubres in funeribus Principum, Epiſcoporum, Senatorum, Illuſtrium quoque Virorum Eccleſiaſticorum, Militarium & Civilium, Senum, Adoleſcentum & Virginum, vel Maritorum, in ſummâ octoginta exhibuit.

In omnibus verbis magnificis & affectum moventibus, non ſuas adeò inventiones diſpoſitè elaboravit, quàm ex



Digitized by Google

multis Authoribus, antiquis & recentioribus, congeſtos locos communes vel ſingulares connexuit. De his Cicero verè dixit: *quod imperitiâ dicendi, ad aliorum dicta, tanquam claudi ad equos confugerent.* Et Plutarchus *ſimiles facit mulierculis, quæ odoratis & pulchris floribus ſertum connectunt, opus aſpectu jucundum, ſed ſterile & unius diei; cum veri Oratores, ſicut apes in floribus, meditentur fructum.* Sed quemadmodùm in omnibus vanitas exundat, ità in arte Oratoriâ quoque pruriente hoc ſeculo, verborum fuco, non argumentis veris & doctis certatur. Ideò rarò verbis aptis & propriis res, prout ſunt, proferuntur; ſed aliorum ſententiolis res dicendæ cedunt, & diſtorquentur in opiniones aut apertas falſitates, magno diſpendio veritatis & eruditionis.

Utcunque hæc in nuptialibus jocis tolerentur, in funebribus certè, & ubi de ſalute aut inſtructione hominis, in arte nempe vivendi & moriendi, aut quibuſcunque aliis rebus ſeriis agitur, lenocinia hujus modi, utpote gentilium dictis & geſtis, poëticis fabulis & falſitatibus innumeris infecta, ad ſeducendam juventutem in errores & mendacia aptiſſima, ideò damnanda ſunt. Quid quæſo accuſationes illæ crudelitatis, tyrannidis & malitiæ Fati? nonne convicia & blaſphemiæ ſunt in Deum, cujus fata & juſtiſſima decreta in mortales inepti illi Oratores objurgare audent? Quid deaſtrorum crebrò narratæ fabulæ, ſcelera, oracula, apologi mythici, & hæc genus alia? nonne veritatem fidei Chriſtianæ in animis juvenum aut impœnitentium planè deſtruunt, & quod in ore, in aure & in calamo tantoperè delectat, de frigiditate, imò de vacuitate Spiritûs Chriſti in corde teſtatur? Proh dolor! ex orationibus, prout nunc componuntur, centuplum mendacii, fabulæ, joci, vanitatis, abſorbet ſi quid veri ſubeſt. Utinam prudentes

omne

Digitized by Google

omne opus tale orationis aou veritatis reſolverent, vix aliquid boni fructûs, in comparatione ſterilium, exprimerent. Quid verò interim idiotis & imperitis accidit? feliciores ſunt, quod doctas illas fatuitates non intelligant nec attendant. Quare fideles à Deo illuminati, potius ad illuſtranda, quibus imbuti ſumus, ſana veritatis dogmata, in omni occaſione vitæ noſtræ incumbamus, quàm ſordibus & tenebris gentilium, fucatisque verborum mendaciis veritatem fœdare & obfuſcare patiamur, ſi viri boni & dicendi gnari eſſe cupimus.

XXXXIX. LUCANI PHARSALIA, cum ſupplementis deperditorum, in Polonicum carmen tranſlata, à JOHANNE ADAMO BARDZINSKIO, Monacho Dominicano, Illuſtri Vladislao de Krzywonoga Loſch, Palatino Pomerelliæ dedicata, typis Olivenſis Monaſterii impreſſa, Anno 1691.

Qui Polonicæ lingvæ nativis elegantiis delectantur, verſionem hanc ad verbum & ad ſenſum benè Authori ſucceſſiſſe fatebuntur. Novi in comitatu prædicti Palatini hunc hominem, qui poëtico Spiritu, impatiens clauſtrorum cœnobii, in liberâ aurâ verſari, Lingvæ Patriæ ante alia ſtudia genium & cultum ſuum ingenuum, mixturâ Latinæ & Gallicæ nimiùm obliteratum, reducere, & totam vitam itineribus curſibusque per Poloniam deterere amabat. Unde exactiſſimam notitiam omnium vaſti Regni locorum acquiſiverat, ut viva dici potuiſſet Topographia Poloniæ.

L. SIMONIS STAROVOLSCII, Canon. Cracov. *Vita Antiſtitum Cracovienſium*, Cracoviæ Anno 1658. editæ. In procemio amplitudinem Diœceſeos Cracovienſis exhibet, quæ tres primarios Palatinatus, Cracovienſem, Sendomirienſem & Lublinenſem complectitur, cum enumeratione Tem-



Digitized by Google

plorum Collegiatorum No. 19. Prælatorum No. 14. Officialium conſiſtorialium No. 12. Archidiaconorum No. 5. Viſitatorum No. 5. Canonicorum cum Vicariis & Muſicis, aliisque Officialibus & Beneficiariis Eccleſiæ Cathedralis Cracov. No. 210. Monaſteriorum variorum No. 122. Decanatuum No. 51. & ſub his Parochialium No. 946. omnium ad Diœceſin hanc pertinentium. Deindè initia & progreſſus Archi-epiſcoporum Cracovienſium No. 7. donec nempe extranei electi fuere: Abindè tantùm Epiſcoporum (primo electo Polono, Lamberto Zula Anno 1661. pallium magno pretio Romæ emercari negligente) metrapolitanâ dignitate pro parſimoniâ tali perditâ, ex Dlugoſſo potiſſimùm, item ex Cromero deſcripta; cætera ubi illi finierunt, ex Lubienſcii, Damalevicii, & aliorum collectaneis aut funebribus orationibus, conſarcinavit. Unde facile patet, tanti Epiſcopatûs Archivum & Bibliothecam, perindè ut Regularium Monachorum ſcrinia, annalibus rerum ſuarum ſummoperè carere. Quæ negligentia Eccleſiaſticis exprobratur, quod doctrinâ, opibus, authoritate, aliisque ad ſcribendum commoditatibus, multum præ ſecularibus validi, nihilominus, niſi privatorum jejunis collectaneis juvarentur, magnâ ignorantiâ anteactorum ſuorum ſimiliter uti ſeculares, laborent.

Vitia quidem Antiſtitum ſuorum, niſi enormia Matthæi Cholewa, Pauli Præmancovii, Zawiſſæ de Kuroſzwanky, Gamrati, & Friderici Cardinalis, aliis jam præſertim ſimplici & aperto Dlugoſſo tradita, diſſimulatione piâ texit: virtutes autem ferè non aliundè, quam ab immani perſecutione fidelium, & ex amplificationis bonorum Eccleſiæ acri ſtudio (ſolito externis illis mundi incumbentibus loco communi, unde laudes Epiſcoporum ſuorum, qui magnificentiam Cleri & Templorum zelo-

Digitized by Google

zelozius auxerunt, petunt & encomia conſuunt) quæſivit Stylum, ut in cæteris ſuis opuſculis, Starovolſcius non ſatis puro & æquali uſus eſt, in hoc certè libro etiam multis barbariſmis fœdavit, & mediorum ſeculorum ſolœciſmos ultrò affectavit, patronis verò ſuis abblandiens, cum gentilibus fortunam ſpe minorem, tanquam fallacis Deæ invidiam, impiè accuſavit.

LI. *Proceſſus Judiciarius in Cauſa* ILLUSTRIS GEORGII COMITIS IN WISNICZ LUBOMIERSCII, Supremi Marſchalli & Campiducis exercitus Regni Poloniæ, in comitiis Regni Anno 1664. inſtitutus, cum rebus judicatis Varſaviæ typis editus.

Quemadmodùm Sigiſmundi III. Regis Polon. duarum Sororum Auſtriacarum lege divinâ prohibitum matrimonium, injuſtâ tamen diſpenſatione plerisque ex Senatu contradicentibus permiſſum, juſtâ Dei maledictione, in Regno Anno 1606. civile bellum effecerat, qvo Regni hoſtibus tunc commoda accidit verſio armorum Polonicorum in ſua propria viſcera: Ita Johannis Caſimiri Regis geminum fuit peccatum, quo defuncti fratris Vladislai viduam, Ludovicam, facem illam, cujus inſtinctu vaſtum Poloniæ Regnum ferè conflagravit, duxit: inde ſterilitatem Regii ſangvinis, ab optimis Senatoribus Regi prædictam, & pernitioſiſſimum civile bellum, pertinaci Reginæ in obſtantes factionibus ſuis odio, ſecum traxit.

Hic enim Vir magnus & potens in Patriâ Lubomierſki, electionem, vivente Rege, factione Gallicâ pro Condæo, vel ipſius filio Angviano Duce atq; nepte Reginæ, contra potentiam adulatorum ejus maſculè impediens, hanc mercedem à Rege nimium mulieroſo, atque plerisque proceribus aulæ conniventibus, retulit, ut relictis in vado miſerè afflicti Regni curis,

 tan-

Digitized by Google

tantùm ad ſatiandum furorem Reginæ, Comitia ad obtinendam formam judicialem Anno 1664. indicerentur, atque ante omnes alios actus, non attentis ſolennibus nonnullorum Nunciorum proteſtationibus, per electos ex ordinibus judices aulæ obnoxios, præcipitatâ ſententiâ, pœnis famæ, vitæ & bonorum damnaretur. Quam injuriam atrocem plerique Palatinatus, cum Exercitus Regni equitatu Polonico, publicam Patriæ rati, triennali bello civili fortitèr ac cum damno Regiorum, vindicarunt. Sed Lubomierſcius cauſæ juſtitiâ & fortunâ quoque ſuperior, nihilominùs artibus Reginæ oblatisque pacificationibus meritò diffidens, exul, cum jàm curarum & laborum pertæſus, malitiæ muliebri, in perferendà electione vivente Rege, cedere decreviſſet, Anno 1667. Vratislaviæ, fato extremo præoccupatus, cauſam ſuorum & patriæ malorum, paucis poſt menſibus ad æternum judicium traxit, Reginam.

Qui brevem narrationem negotii hujus atque factionum cognoſcere cupit, legat Zaluskii Tom. I. Epiſtolarum pag. 149. ſeqv. modum verò factionis, quo Reginæ iſtius odia in Lubomierſcium expleta fuere, compendio exhibet Kochowski Climact. III. Lib. 2. pag. 78. & Lib. 3. pag. 152.

Cæterùm ſcriptum hocce per vindictam iratæ Reginæ, præter uſitatam praxin, ſtatim poſt publicatam ſententiam corrupti Judicii, tunc typis impreſſum, prolixè exhibet proceſſum judicialem contra injuſtè reum declaratum Lubomierſcium: quæ tamen acta poſtmodùm circa reconciliationem Regis & Palatinatuum pro libertate confœderatorum, caſſata & oblivioni tradita ſunt.

Veruntamen ſimul huic ſcripto annexa ſunt tria apologetica (1) *Publica innocentiæ manifeſtum, Deo, mundo & patriæ*, per

Digitized by Google

per Illuſt. Georgium Sebaſtianum Lubomierskium Anno 1666. typis editum. In quo ſuo nomine, additis multis epiſtolis & aliis documentis, ipſe Lubomierskius cauſæ ſuæ innocentiam contra proceſſum illum injuſtum defendit.

(2) *Tubus opticus, ad perſpiciendam innocentiam Illuſtr. D. Lubomierskii &c. per Equitem Polonum, ad evitanda ejuſmodi ſcandala orbi porrectus.* Cui adjuncta eſt *Reſponſio ad evidentia figmenta, ſub titulo Informationis &c.* Anno 1666. Menſe Februario. Author in hoc ſcripto omnes terminos & articulos proceſſus adverſus Lubomierskium, ad normam legum Regni cenſet & caſtigat, multis ex facto ad innocentiam injuſtè condemnati breviter allegatis.

(3) *Equitis Poloni diſcurſus, avitæ libertatis & publicæ tranquillitatis amantiſſimi, exhibens innocentiam Illuſtris G. S. Com. Lubomierſcii, patriæ oblatus, adjectis duorum Senatorum epiſtolis* Anno 1665. In hoc diſcurſu geſta Lubomierſcii ante & in ipsâ diſcordiâ civili, enarrantur & juſtificantur, in epiſtolis variæ literæ publicè & privatim ſcriptæ, ad evidentiam innocentiæ condemnati exhibentur.

Enimverò ex hoc tam inſignis Viri caſu notari meretur, inanem eſſe jactantiam ſecuritatis, in ſummè liberâ Republica. Nam ſicut mediocres & imbecilli, potentiorum civium libidine invalido, in tam effuſa licentiâ, legum auxilio, ſemper metuunt oppreſſionem, (quod in Statu Monarchico, ſeverâ executione legum, tuitione acri pacis publicæ ſubditorum, & attractu habenarum opulentiorum civium ad charam mediocritatem, impeditur.) Ita Potentes in Republicâ eandem oppreſſionem ab irato Rege, etiam injuſtiſſimam, perindè ſicuti in Regnis merè abſolutis, pati poſſunt. Nunquam enim deſunt in libero quoque Regno, capita ad obſequia Regis illegitima prom-

prompta, beneficiis corrupta & venalia, quæ variis prætextibus leges patrias inclinant, & civium benè meritorum, ob invidiam potentiæ, exitium impellunt.

LII. APOLOGIA PRO LIBERTATE REIPUBL. ET LEGIBUS REGNI POLONIÆ, ſive Deductio evidens, ex Hiſtoriâ, Conſvetudine, Juribus & Conſtitutionibus Regni Poloniæ: quod Regia Proſapies planè nullo caſu, etiam privatim acquirere neu poſſidere poſſit bona hæreditaria, in Regno & M. D. L. MSptum.

Scilicet emerat Regina Conſtantia Anno 1624. à Nicolao Komorowskio, Comitatum Zywiecenſem, inter Sileſiæ Moraviæ & Hungariæ confinia, terras decem milliaribus longitudine ſex latitudine porrectas, Cracoviæ imminentes, adeoque rebus novandis peroportunas. Unde zelus Ordinibus Regni, impugnandi hanc emptionem tanto major inceſſit, quia vix ſuſpiciones contra Regem Sigismundum III. tanquam Auſtriacam dominationem Poloniæ inducere occultè molitum, quæ usque ad civile bellum evaluerant, conquieverant. Nec defuere multi magni Viri & Nobiles, qui Aulæ in hoc negotio abblandiebantur; quemadmodum nunquam deſunt regnantibus Miniſtri ſubruendis legibus patriis. Propterea cum jam Comitia Anno 1624. Varſaviæ, ex hac potiſſimum diſſenſione ordinum ferè rupta eſſent, Anno ſequenti 1625. zelantes pro libertate ſuâ nonnulli Nobiles, ſcriptum hoc cum amplâ deductione cauſæ componi, denique magis completum, ſed calamo tantum non typis exaratum, vulgari curarant.

Breviter de hoc negotio diſſerens Piaſecki in Chron. ad Annum 1624. pag. 438. & 502. legi poteſt. Eo verò usque hoc Scriptum valuit, ut ordines Regni, de potentiâ factioſæ Regiæ domûs anxii, tamdiu in Comitiis Annorum 1624. 1626.

Digitized by Google

1626. 27. 28. & 29. Regem, lentis ſuis maxillis negotia ruminare & per moras differre ſvetum, tutuderint, donec publicâ lege in Comitiis Anno 1631. jura poſſidendi bona nobilia & hæreditaria, perſonis quibusvis ex Regiâ vel Ducali ſtirpe, quæ ultra æqualitatem Nobilium aſſurgunt, abjudicaverint, proindè cuivis Nobili indigenæ jus redemptionis ſive reluitionis ê manu Reginæ, in Comitatum Zywiecenſem aſſeruerint. Cæterùm in hocce MSpto, occaſione hujus controverſiæ, multa negotia & circumſtantiæ, ad Statum Regium Pol. pertinentia, quæ fruſtrà alibi quæras, per jura, rationes atque exempla deducta leguntur.

LIII. SAMUEL Z SKRZYPNY TWARDOWSKI, Nobilis & terrigena majoris Poloniæ, titulo *belli domeſtici*, patrio carmine geſta tumultûs Coſacorum, qui Anno 1648. ante exceſſum Vladislai IV. Regis cœpit, & quæ eundem mox, ſub Johanne Caſimiro Succeſſore, ſequuta ſunt atrocia bella cùm vicinis Svecis, Hungaris, Moſcovitis & Tartaris, usque ad pacificationem Olivenſem, acta nimirùm Regni Poloniæ duodecennalia, Libris V. decantavit. Quod opus jàm poſt fata Authoris, Collegium Jeſuiticum Caliſſienſe Anno 1681. ſuis typis edidit.

Qui Hiſtoriam ex Poëtarum Scriptis diſcere cupiunt, rem ſeriam inter luſus & figmenta, veritatem in fabularum umbris quærunt; ferè ad voluptatem profanâ Poëſi & Muſicâ, non ad doctrinam, inventis. Præſertim ad continuam narrationem actorum publicorum inepto carminum metro, quorum ſeriem Hiſtorici, absque laborioſâ ligatione verborum, & interſparſis digreſſionibus, liberiori & continuo ſenſu exhibent. Quemadmodum geſta hæc Poloniæ Kochowski & Paſtorius luculentèr tradiderunt.



Digitized by Google

Sunt tamen ingenia, quibus poëtica magis placent ænigmata, & interſtrepentes Hiſtoriam allegoriarum vanitates: nihilominùs tales quoque Lectores, inflatos ampullatis verſibus utres, aut ingenioſos ſententiarum impetus (qui, ſi quid Poëtis gratiæ debetur, ſoli labores eorum viris emunctæ naris commendant) in hoc Twardowskii opere deſiderabunt. Denique nec prono & non invito acumine fluentem verſum, quo Kochanowski, Polonorum in eo genere adhuc princeps laudatur, hìc habent. Nam præter coactum in rhythmi ſonum ſermonem, hic Author ad celebrata Poëtis ingenia non aſſurgit, quia artificioſis digreſſionibus, ſententiis, fabulis, quibus ut Ælianus refert, omnes Poëtæ vomitum Homeri lambunt, eos imitari noluit; ſed Hiſtoriam ſimplici narratione, pauciſſimis interjectis allegoriis, proſequutus eſt.

Nihilominùs idem ille Twardowski mirum quam diverſi ingenii fœtum, in Libro de legatione Ducis Wiſnowiecii ad Turcas, & in Miſcellaneis ſuis (quæ inferius diſcutientur) enixus eſt. Cujus diſſimilitudinis ratio haud alia occurrit, quàm ætatis humanæ diverſiſſimi affectus, ut juvenilis ardor, quo iſta carmina Twardowski ſcripſerat, in omni negotio turgeat, in altum volet, & artifices quosvis imitetur: ſenilis verò actio, quâ bellum illud domeſticum deproperavit, res quàm verba, vera quàm fucata, exprimere amet.

LIV. MATTHÆI PRÆTORII, quondam verbi divini in Eccleſiâ agri Tilſitenſis Miniſtri, poſtea apud Romano-Catholicos Parochus Starogard. & Weyerovienſis, *Orbis Gothicus & Mars Gothicus*, Olivæ Annis 1688 & 1691. impreſſus.

Collegerat Prætorius magnâ diligentiâ, quæcunque ad antiquitates Pruſſiæ, etiam apud veteres Hiſtoricos & Scriptores varios pertinere putavit, quorum ſchediaſmata nonnulla

cum

cum Hartknochio circa Annum 1680. communicavit, & hic ſæpiſſimè nomine DELICIARUM PRUTENICARUM, adcitavit. Poſtquam verò Religionem patriam mutare Romanamque adorare decrevit, honores Eccleſiaſticos apud Poloniæ proceres ambiens, novis patronis demerendis novis ingenii commendationibus opus habuit. Proindè ea, quæ ex Hiſtoricis de antiquis Pruſſiæ populis collegerat, nunc latiùs extendere, ac quicquid fragmenta illa Græcorum Romanorumque Scriptorum, de invaſionibus, prædationibus & latrociniis barbarorum, è latebris aquilonaribus auſtrum & occaſum verſus, ante & poſt Chriſtum natum Seculis proximis, verè an falsò aucta, certè pauciſſima comperta, plurima ex aliorum incertis relationibus reliquerunt, iſtud omne ſub principali nomine Gothorum (quo Sarmatas & Slavos & Celtas & Germanos & Cimbros, uno verbo ſolos omnium Europæorum, præter Romanos, facit progenitores) comprehendit, ac ad Polonorum gentem primariò pertinere contendit.

Enimverò ut quis in rebus circa migrationes gentium, in arte hiſtoricâ ante omnes cæteras ignorantiæ tenebris obvolutis, novas opiniones excludat, ut in tali obſcuritate offendat, imò præ aliis Scriptoribus cum paradoxis ſuis prolabatur, hoc imbecillitate humanâ tegendum & ignoſcendum eſt. Sed ſi quis affectu unius gentis usque adeò agitetur, ut omnium Septentrionalium imò quoque Occidentalium populorum Hiſtorias, illi ſoli, apud quam beneficium aucupatur, applicet, hoc quia ad totalem confuſionem Hiſtoriæ, ſatis jam mutilæ & acciſæ, vergit, & ex cauſâ adulationis ſeveriorem meretur epanorthoſin.

Quàm violenter autem Author hic verba Scriptorum veterum in ſuam ſententiam attraxerit, diſſenſumque eorum ex

literarum quoque ſono, ad ſuam aſſertionem applicaverit, Lectoribus paſſim obvium, imo ſi adcitatos Authores evolverint, ſæpè nihil eorum quæ hic aſſeruit, reperiri, tædioſum eſt.

Nihilominùs quæ Author multâ lectione, de migrationibus & viciſſitudinibus populorum Septentrionalium collegit, uno volumine, & modò non cum Authore omnia ea ad Polonos, exiguam olim illarum gentium partem, referat, utiliter Lector cognoſcere poteſt: præſertim cum ex collectaneis ſuis, hactenus non editis, multa de antiquitatibus Pruſſiæ hìc quoque adſperſerit.

Cæterùm hiſce talibus univerſalem hanc notam, animis Chriſtianæ juventutis præmonendis addo: Magnam imprudentiam Scriptores Chriſtianos prodere, qui cum profanis ethnicis, quorum ſummum bonum terrena bona fuerunt, genti ſuæ, ex bellorum truculentiâ, quâ non ſuis finibus olim contenta, aliorum prædis & terris, nullâ juſtitiæ ratione, ſaginata fuerit, gloriam tanquam ex virtute morali ſtruunt. Quibus quid aliud Hiſtoriam faciunt, quàm magnum ſcelerum Catalogum? quo majores ſuos verius apud honeſtos & juſtos vituperant quam laudant. Habent Poloni, & alii Septentrionis populi, veriorem à majoribus ſuis, qui juſtitiæ, hoſpitalitatis, probitatis virtutibus, à notioribus Seculis commendantur, gloriam, quam imitentur. Quare Gothorum, Sarmatarum, Viniđorum, Scytharumque deprædationibus & latrociniis, verè an falsò, certè ut plurimùm injuſtè & ſceleratè geſta, juſto ſecundum doctrinam ſacroſanctam vituperio non laude digna, illuſtri nunc genti aſpergere indignum eſt. Certè Thucydides, vir profanus, tamen quia honeſtus, Græcorum ſuorum antiquorum latrocinia, ut quibus omnis advena pro hoſte fuit, enarrans, non laudat, ſed perſtringit.

Scri-

# SCRIPTORES POLONI
## IN QUARTO.

### I.

CHRONICON SLAVORUM HELMOLDI, Presbyteri Boſovienſis, propè Lubecam, medio Seculo XII. à temporibus Caroli M. usque ad Annum 1170. qvo vitâ functus eſt Helmoldus, libris duobus deductum. Inde ab Arnoldo Abbate Lubecenſi, uſque ad Annum 1209. libris V. continuatum, Lubecæ, curâ Henrici Bangerti Anno 1659. quàm ante hâc curatius typis editum.

Licet qvidem de Poloniâ & Polonorum gente pauca quædam hoc Chronicon narret, nihilominus, quod hiſtoriam Slavorum Occidentalium, nempè Nationis Venidicæ in Pomeraniæ, Marchiæ, Miſniæ, & Mechlenburgicis terris & Provinciis, ſub nominibus octodecim populorum habitantium, rudi quidem ſtylo, ſed fide integrâ, diligentiâ non contemnendâ compoſitam habeat, non ineptè Catalogo Scriptorum Polonicorum accenſeri poteſt. Vel propterea, quod Poloni Hiſtorici ſe invicem ſequuti, genti ſuæ adulantes, omnia à Venidis, Slavis hiſce Occidentalibus, cognatis ſuis, contra Saxones & Danos geſta, Polonis imputent, Sceptrumque ſuum uſque in Holſatiam & Saxoniam, imò & in Daniam extendant. Ex hoc Chronico Slavorum verò, ne veſtigia qvidem imperii Polonici ad illas gentes, per conſequens neque amplitudo ejus ad urbes Viſmariam, Lubecam, Brandeburgum, Lipſiam, Dreſdam, aliaque in circulo Saxonico oppida, apparent.

Venedos certè Sarmaticæ, & ejusdem cum Polonis nationis atque lingvæ fuiſſe nemo negat; ſed, quemadmodum

omnes illæ gentes, Seculo VI. ê Sarmatiâ, paulatim ad ſiniſtram verſus Danubium & ultrà, ac ad dextram versùs Viſtulam, porrò versùs Oderam, denique & Albim, in loca immenſis Gothorum, Vandalorum, Burgundionum, Suevorum, Longobardorum, & Rugiorum, ad Auſtrum & Occaſum factis migrationibus exhauſta, progreſſæ, abſque Regibus & Ducibus, Democraticæ libertati aſvetæ, tandem neceſſitatibus bellicis ingruentibus, Duces ſibi impoſuerunt, â quibus examina illa populorum nomina & leges ſociales accepere: Ità Poloni, qui Ptolomæo Bulani fuere, Lechum, vicini ipſorum Zechum, alii alium ſibi elegerunt Ducem, ſed qvorum dignitas cum orbitate expiravit; Donec tandem arte imperantium, Ducatus hi citius tamen apud Polonos & Zechos, quàm Pomeranos & cæteros populos, facti ſunt hæreditarii.

Omnes verò iſtæ gentes ſeorſivam Rempublicam, bona malaque nunqvam communia, imò nec amicitiam vel odium cum Lechitis & Zechitis exercuerant, niſi quod principio Seculi XI. Boleslaus Chrobrius, Rex Poloniæ primus, ex fœdere cum Imperatore Ottone III. ad propagandam fidem Chriſti, Venedos illos aggreſſus tantum cis Oderam amnem, & populos eos ad promiſſionem baptiſmatis & tributi adegerit.

Filius ejus Miecislaus qvidem Anno 1026. Pomeranos hos acie vicit, & Belæ Hungaro, genero ſuo, conceſſit. Qui poſt 35. Annos in Hungariam revocatus, Pomeranis occaſionem jugum abjiciendi præbuit, Poloniâ diſcordiis civilibus diſtractâ: neque tamen imperium hoc â Viſtulâ ultrà Perſantam rivum, qui Corlinum, Belgardum, & Colbergam alluit, extenſum. Vladisláus Hermannus deindè, ſæpè Pomeranos ſive Caſſubios hos magnâ vi adortus Anno 1081. ſed parum profecit. Boleslaus Crivouſt Filius ejus, Svantiborum I. Ducem Pome-

Pomeraniæ fœdere ſibi junxit, ſed ſubditi idololatriæ & libertatis tenaces, Duce quoque ſuo invito, Poloniam vaſtarunt; adeò ut demum Boleslaus, Danis junctus, Anno 1107. ipſorum auxilio, omnem tractum illum recuperaret. Imò Anno 1120. Stettinum improviſus occupavit, & promiſſa ab habitatoribus converſione ad fidem, reliquit, obſidibus multis adoleſcentibus ſecum abductis. Fidem Chriſtianam potiſſimum Boleslaum reſpexiſſe, docet diligentia ejus, quâ Ottonem Bambergenſem Epiſcopum, ad convertendos Pomeranos excivit.

Sed mortuo Boleslao, Succeſſores acquiſitum jure belli imperium in eos mox amiſerunt, populis Venedicis in Pomeraniâ Orientali, excuſſo jugo utroque, Eccleſiaſtico & Seculari, libertatem ſuam aſſerentibus, imò magnis excurſionibus in Poloniam efferatis: Quibus a morte Sventibori I. a quo omnes ſeqventes Duces Pomeraniæ deſcendunt, quatuor filii imperarunt, ex quibus Boleslaus Ratiboro filiam Præmislam elocavit. In eo Scriptores Poloni falſi ſunt, quod hujus Sventibori (qui fuit Filius Boguslai, nepos Meſtiboi, Ducis Obotritorum & Lutitiorum) & poſterorum ejus proſapiam, à Gryphonibus, Nobilibus Polonis deducant, qui iterum contrario errore produnt, Duces illos ex Filiis nothis Leſci III. ortos eſſe.

A Boleslai Crivouſti morte jam nunquàm Poloni Imperium in Pomeraniam, etiam Orientalem ſive Pomerelliam extendere auſi ſunt. Ducibus Sventibori poſteris, continuo Imperio, utramque Pomeraniam, contra Danos & Polonos fortiter tutantibus: Præſertim cum nepotes Sventibori, Boleslaus I. & Caſimirus I. Anno 1181. ſeſe Imperatori Friderico Barbaroſſæ, pactæ dignitate Principum Imperii, ſubmiſiſſent. Tandem Caſſubii Venedi Meſtovinum, ultimum Ducem improlem, odio, quod Duces Stetinenſes, agnati ejus, zelo fidei

Pro-

propagandæ, obſtinatos idololatras Venedos è provinciâ ſuâ ejeciſſent, & Saxones in oppida & villas introducentes, Jus Civitatum cum cæteris civilibus libertatibus Venedis abrogaſſent, adegerunt, ut Pomerelliam Præmislao Polono teſtamento relinqueret Anno 1290. Ex quo tempore nequicquam obnitentibus Ducibus Pomeraniæ Occidentalis, Pomerelliam usque ad montem Chollenberg, Polonis relinquere coacti, quibus mox Cruciferi eandem eripuerunt. Hiſce Anno 1454. & ſequentibus in Pruſſia fractis, Pomerelliam Poloni iterûm occuparunt, ſed Lembergenſem atque Butovienſem diſtrictus Anno 1455. Caſimirus III. Erico II. Duci Pomeraniæ fiduciæ jure conceſſit, fruſtrà reclamantibus Gedanenſibus.

Hæc breviter hìc delineaſſe non incongruum videtur, quoniam Helmoldus multa indicia refert, quibus veritas hæc Hiſtoriæ Pomeranicæ à Mycrælio prolixe deducta fulcitur, & errores contrarii refelluntur.

II. LUCÆ GORNICKI, Capitanei Tikocinenſis, geſta in Poloniâ ſuo ævo, regnantibus Sigismundo I. & Sigismundo Auguſto, ab Anno 1538. ad Annum 1572. Lingvâ patriâ, tali titulo: *Dzieie w Koronie Polskiey z przytoczeniem niektórych poſtronnych*, filius ejusdem, Lucas Gornicki, Canonicus Vilnenſis & Varmienſis, typis Cracoviæ Anno 1637. publicavit.

Libellus hic antiquo candore & ſtylo familiari illi ævo, non pauca negotia, præſertim in aulâ Sigiſmundi Auguſti geſta, aliis Hiſtoricis omiſſa, quæ Authori tanquam Cubiculario & Domeſtico Regis præ aliis ab aulâ remotis innotuerant, enarrat. Nihilominùs, quod Author pro beneficiis Regi obnoxius eſſet, bonas quidem Regis actiones refert, malas verò & vitia aulica, quibus Rex iſte luxuriabatur, diſſimulavit.

Ori-

Digitized by Google

Orichovius certè, licet, vivente eodem Rege, annales ſuos ſcripſerit eidemque dedicarit, minus vitia ejus ſiluit, ſed liberè exprobravit. Ad illuſtrandum tamen Orichovium, in actis Sigismundi Auguſti, Gornicki hic multum confert.

III. Compoſuit idem LUCAS GÖRNICKI Pater iisdem temporibus, & quod in Præfatione dedicatoriâ Anno 1565. ſubſcriptâ faſſus, ad imitationem Marchionis Caſtillionæi, librum de Aulicorum moribus, itidem Polonicè, titulo: *Dworzanin Polski*, Collocutores dialogiſmi hujus, Sigismundi Auguſti Regis aulæ familiares aliquot inſigniores introducens. Qui libellus itidem à filio Lucâ typis Cracoviæ Anno 1639. editus eſt.

Et quoniam honeſtiſſimum juxta ac utile continet argumentum; ut nempe otioſi Aulici, quorum plurimi præter vani-& turpiloquia atque fœcundos calices, vix quicquam exercent, non luſibus aut aliis vitia provocantibus occupationibus, deterere aſveſcant, ſed otium ſuum honeſtis ſermonibus fallant, quibus ingenia ſua invicem acuant, auditores erudiant, ſeque mutuò ad virtutum amorem accendant, atque hujusmodi Colloquiis meditamenta varia proponit; ideò non ſolùm jucundus lectu, ſed & utilis eſt, dummodò imitatores multos in aulis Principum, & aliis honeſtis conventiculis hominum inveniret. Planè hùc Viros prudentes in aulis commorantes, Illuſtriſſimus Stanislaus Lubomierſcius, Mareſchallus Regni, dialogis ſuis inter Artaxerxem & Evandrum editis Anno 1694. manuducere voluit.

IV. JOANNES KOCHANOWSKI, Tribunus Sendomirienſis, Poëta excellentiſſimus, qui in patrio ſermone neque parem, neque ſecundum hactenùs habuit (quod eſt Starovolſcii in Libro de C. Poloniæ Scriptoribus pag. 45. de eo



Digitized by Google

judicium) regnante Sigiſmundo Auguſto, varia poëmata ſacra & profana compoſuit, quorum Latina quidem videlicet, *Elegiæ, Foricœnia ſeu Epigrammata*, Anno 1584. Item *Epinicion ad Stephanum Regem*, Moſcho debellato & Livoniâ recuperatâ, Anno 1583. Denique *Epithalamion in nuptias Johannis Zamoſcy cum Griſelide* Bathoria, Regis nepte, eodem Anno 1583. Cracoviæ typis excuſa. Polonica verò quædam Anno 1585. Cætera ſimul collecta Anno 1639. & 1641. Cracoviæ in lucem prodiere.

Certè hic Kochanovius in Latino Carmine noſcitur eruditus & bonus, in Polonico verò eminentiſſimus Poëta. Inprimis Pſalterium ipſius Polonicæ Lingvæ gnaris, ante omnes, quotquot unquam hunc ſacrum librum carminicum vernaculâ ſuâ, aut etiam latinâ decantarunt, apparet optimum & ſvaviſſimum eſſe, ita ut nunquam abſque commotione aliquâ animi devoti legi poſſit.

Cæterùm Virum quoque modeſtis moribus fuiſſe Kochanovium, vel ex eo, quod Starovolſcius d. L. de C. Poloniæ Scriptoribus refert, probatur: *Vir*, inquit, *tranquillitatis ſuæ tenaciſſimus, omnes dignitates recuſavit; & cum Caſtellania Polocenſis, curante M. Zamoiſcio, illi à Rege Stephano offerretur, ita præfatus: Suâ ſe mediocritate contentum, ſumptuoſum illum & decoctorem Caſtellanum (dignitatem Senatoriam innuens) in villam ædesque paternas non admiſſurum, qui quæ Kochanovius ſibi paraſſet, per faſtum & ambitionem eſſet abſumpturus.* Itaq; Diploma Regium non acceptavit. Laudantur apud Polonos Twardowskius, Morſtin, & alii Poëtæ eximii: enimverò quidam eorum ampullatis ſuis faſtuque cœlum ſcandentibus verſibus Kochanovii facilitatem, & quæ circum præcordia ludit Lectoris, amœnitatem hanc vincere, imò neque huic comparari potuere.

V.

Digitized by Google

V. STANISLAUS OKSZY ORZECHOVIUS, Canonicus Przemislienſis, ex occaſione corruptorum in Aulâ Regis Sigiſmundi Auguſti morum, & ob neglectam Imperii curam, multarum calamitatum Regni Poloniæ cauſam, Anno 1549. ad Regem illum ſcripſit præcepta probè & cum curâ regendi ſubditos ſuos, ſi voluerit Rex ſibi conſtanter eſſe fideles, & Libellum titulo: *Subditi fidelis* inſcripſit. Hunc inſtinctu Sapientum, de Republicâ malè ſibi ominantium, Paulus Antonius Radzynski, Gvardianus Ord. min. Franciſc. Sanocenſis, ſub prælum Varſavienſe revocavit, & cum Præfatione cordatâ Regi moderno Auguſto II. obtulit, Anno 1698.

Certè quæcunque præcepta ad cautè & operosè regendam Rempublicam, usque adeo liberam, à Viris prudentibus & cordatis exprimi poſſint, Orichovius in hoc parvo Libello ſapientèr contraxit. Et quod in fronte ex Plutarchi Apophtegmatis appoſuit, de Demetrii Phalerei Conſiliarii ad Regem ſuum Ptolomæum admonitione: *Ut ſcilicet conſcriptos de Regno Imperioque libros, ultrò alacriterque lectitaret; nam quæ Amici non audent Principes monere, ea in Libris legi poſſe*, Orichovius, ſicut ante omnes Polonos ſui ævi Latinè facundus fuit, pulcherrimo ſummario Regi facilitatem inveniendi pleraque, quæ Officii Regii in privatis ejus moribus, & publicis pacis bellique artibus forent, exhibuit. Utinam talia legerentur & fierent.

VI. JOHANNES DEMETRIUS SULICOVIUS, Archiepiſcopus Leopolienſis, *Commentarium brevem rerum in Poloniâ ab exceſſu Regis Sigiſmundi Auguſti Anno videlicet* 1572. *usque ad Annum* 1590. *ſuâ ætate geſtarum*, ſtylo & judicio bono compoſuit. Mortuus eſt autem Anno 1603. Hunc Libellum Anno 1647. Georgius Forſter, Bibliopola Gedanenſis,



Digitized by Google

typis Amſtelodamenſibus, ſub nomine Gedani, quod ille in pluribus libris ita ſupponere ſvevit, edidit.

Utinam hic tantus Scriptor plus curæ in narratione rerum maximarum, in Poloniâ iſtis ſeptendecim Annis tribus interregnis, & magni bellatoris, Stephani Regis ductu vel auſpiciis geſtarum, ſibi ſumpſiſſet, infinitè magis de re literariâ meruiſſet. Nunc pro pulchro, ſed breviſſimo compendio tantum Hiſtoriæ illius temporis, valere poteſt: cætera acta ex Fredrone, Heidenſteinio, & aliis ſupplenda ſunt. Starovolſcius Lib. de C. Scriptoribus Poloniæ, Sulicovium XXIV. legationibus ad diverſos Principes Europæ clarum, deque præſtantia ingenii & ſummâ modeſtia animi, quæ huic generi hominum usque adeò rara eſt, impensè laudat.

VII. ERASMUS GLICZNERUS, Miniſter Anno 1567. Thorunii Primarius Eccleſiæ Polonicæ, poſteà ex majori Poloniâ ad Congreſſum Sendomirienſem Anno 1570. miſſus, & in Synodo Thorunienſi Anno 1595. Præſes ac Superintendens Auguſtanæ Confeſſionis, in Poloniâ majore, (prout de eo Zernicke in Chron. Thorun. pag. 119. notat. Regenvolſcius autem in Syſtemate Hiſtor. Eccleſ. Slavon. pag. 480. eundem inter primarios unioni cum Græcis, Wilnæ 1599. tentatæ, & ad politicam mutuam defenſionem perductæ, interfuiſſe refert) *Chronicon Regum & Regni Poloniæ*, cum narratione præcipuarum rerum geſtarum in eccleſiaſticis & politicis, à Lecho I. usque ad Sigismundum III. Regem, meditatus quatuor partibus edere, ſed primam tantum partem Thorunii Anno 1597. typis publicavit. Reliquis verò tribus partibus Anno 1603. Brodnicy h. e. Strasburgii in Pruſſia, antequam abſolvit opus, aut veritatis odiis territus mutato conſilio ſuppreſſit, immortuus eſt.

In

Digitized by Google

In hâc primâ parte, quam cum ultimo Duce Poloniæ idololatrâ Zemomislao finit, Gliczneruſ nihil præter alios Hiſtoricos Polonicos affert, quos preſsè ſequitur, cum ipſis vera & falſa promit, e. g. fabulam de Wiſimiro, Nepote Lechi, quaſi Daniæ victore, Ducesque illos antiquos, Lechi Succeſſores, contra fidem Hiſtoriæ verioris, Reges ex Kadlubkone, & cum aliis, qui ei nimium crediderunt, appellat. Et quia de vetuſtis illis ante fidem Chriſti in Poloniâ receptam temporibus, non habuit quod diceret, perpetuis digreſſionibus tanquam bonus Encomiaſtes Volumen auxit, opusque Oratoris magis quam Hiſtorici abſolvit.

VIII. CHRISTOPHORI VARSEVICII, Canonici Varſavienſis, *Paradoxa*, Cracoviæ Anno 1590. typis edita. Quæ hisce propoſitionibus: *De Sectis in Religione Chriſtianâ, de Turcicâ ob Chriſtianorum diſſidia creſcente potentiâ, de Libertatis nimiæ periculis, de æqualis omnium Statuum in Republicâ potentiæ deformitate, de Regum inter aulicos ſuos proclivi corruptione, de ambitionis perículoſo vitio*, ſub titulis verborum luſu implexis, exhibentur. Eadem hæc paulo immutatis titulis ediderat Pragæ Anno 1588. quæ & Romæ Anno 1601. eadem formâ recuſa ſunt. Ipſe Varſevicius in titulo editionis Cracovienſis, atque in Præfatione ad Zebrzydovium, item pag. 2. operis ſui fatetur; *Eadem paradoxa ſemel & iterùm prodiiſſe, hìc tamen auctiora quàm unquàm aliàs.*

Cæterùm qui eruditionis, facundiæ, & politicæ, multis legationibus exercitæ, laudem tantam apud Polonos ævo ſuo obtinuit, ut Varroni à Starovolſcio comparari, ab aliis magnis encomiis extolli dignus viſus fuerit: hic, in libello hocce ita verſatus eſt, ut univerſim nullâ diſpoſitione, nullo ordine argumentorum, ſententiis moralibus ſeu politicis aliorum, ſuis

quoque ipſius congeſtis, vix in principio & fine propoſitionis ſuæ memor, ad demonſtrationes ſubindè remeans, vera fictis, imò apertè falſis miſcuerit.

Sic cauſam gliſcentis imperii Turcici, diſcordiis in Chriſtianorum Religione ita imputat, ut ad ſuæ ſectæ hominum horrenda vitia cœcus, Lutherum, Turcorum amicum, Albertum Marchionem Brandeburgo-Franconicum, bello Epiſcopali, Turcis ad capiendam Conſtantinopolin (inſigni centum Annorum diabaſi) anſam præbuiſſe; cum reformatâ Germanorum (imò Italorum) Religione, Germanam fidem & fortitudinem concidiſſe, & alia multa audacter finxit. Stylo denique inæquali, ſæpè barbaris vocabulis infecto, & ſibi in aliis ſcriptis diſſimili, uno verbo, ex collectaneis ſuis, absque ſelectu & methodo, Sententias Hiſtoriasque, ſub titulis perplexis, verè paradocticè cumulavit, & quia tunc ex rationibus ſuis librum aliquem edere voluerit, hunc Satyrum fortuito partu enixus eſt.

Quodſi obſcuri alicujus Viri nomen præferret hic libellus, nemini lectu dignus videretur. Nunc centones hi, tanti apud ſuos Viri opinione, ſollicitè conquiruntur.

IX. Ejusdem VARSEVICII, *memorabilium hominum & rerum deſcriptio ab orbe condito ad Annum* 1585. quo Librum Cracoviæ typis publicavit. Delineavit in hoc Volumine compendioſum Indicem Chronologicum, & Synchroniſtica in cancellis linearum depoſuit.

Sed in tanto rerum oceano laborem omnem, de quo in præfatione ad magnum illum Zamoyſcium tantoperè anhelat, perdidit, quoniam nimis in arcto præmium, quod mereri deſideravit, ſibi propoſuit. Uſque adeò, ut nec patriæ glorioſa geſta quæ ſtimulum ad hoc opus, ſicuti præfatus eſt, illi addiderant, habe-

Digitized by Google

haberet ubi explicaret. Magna enim ſub illo Rege bello acta, duarum poſtremarum paginarum cancellos, *de Memorabilibus bellis* non impleverunt, anteriora autem geſta Polonorum vix indice plenario attigit. Habet orbis literatus jam pridem præter vaſta volumina, bellè & plenariè diſpoſita compendiorum Chronologicorum theatra ſpectanda. Proindè huic ferè inutili labori Varſevicii, cui, ſicut omnibus Polonis Scriptoribus, ſedula & anxia inveſtigatio librorum exterorum, & deductio rerum ſcribendarum non placuit, non immoror.

X. Ejusdem VARSEVICII, *de optimo Libertatis ſtatu* dialogus, Cracoviæ Anno 1598. typis excuſus. Quandoquidèm ipſe Varſevicius cum aliis Polonis, iiſque prudentiſſimis, ex corruptis moribus, ſtatu Reip. ſummopere per omnes partes inclinato, converſionem & interitum libertatis jàm tunc præſagire, proindè in eam licentiam civium ſuorum declamare, & mala quæ à ſummâ illâ libertate promanant, in comparatione tranquillioris formæ Monarchicæ incuſare ſoliti fuere: id circò tandem in hoc libello Varſevicius ſententiam ſuam, ſuper opinione eâ, quaſi libertatis patriæ oſor eſſet, quicunque ſtatum corruptum Reip. increparet, ſolennitèr profiteri, patriæque eam tanquam teſtem conſtantis ſuæ ergà eam voluntatis, prout ipſe ſcribit, relinquere voluit.

Primò quidem illos juſte taxat, qui ex gentili Philoſophiâ, fati, revolutiones Rerum publicarum neceſſariò urgentis, iniquitatem incuſant, & ſic quoque Polonæ libertatis finem futurum ex adverſâ fortunâ præſagiunt. Et rectè quidem docet, quod Deus O. M. in regna & imperia tam diù vindictam non exercet, donec ex æquo omnes regni ordines communi ſceleris nexu obligati non fuerint. Magiſtratu enim delictis civium connivente, ipſe demùm ſimul cum civibus caſtigatur.

Sic

Digitized by Google

Sic vindicatâ juſtitiâ Dei, quæ hominum ſecundum arbitrium & dictamen voluntatis electas bonas vel malas actiones, gratiâ vel pœnâ compenſat, porrò ad nævos publici in Poloniâ ſtatûs deſcendit, & in Lib. I. immanes ab æquo & juſto Ordinum Reip. præſertim equeſtris, receſſus narrat, legum quoque conditarum injuſtitiam, nunc odii, nunc gratiæ, nunc invidiæ, nunc in tantâ libertate plenas cupiditatum privatarum arguit. Morem Comitiorum vitioſiſſimum perſtringit; neque Senatus & Regum, in tali ſtatus perturbatione, vitia & factiones ſilet. Libro autem II. omnibus hiſce remedia ſalutaria proponit, ut ex orbitis juſti regiminis lapſos ordines Reip. reducat, ſic demùm felicem progreſſum moderatæ libertatis patriæ promittit.

Certè in hoc libello Varſevicius ingenii & facundiæ ſuæ, ante cetera omnia ſcripta ſua, quæ unquàm orbi literato enixus eſt (niſi quoad tractandi methodum & hîc quoque aliquid deſiderare poſſis) optimum reliquit documentum. Quod propterea viris prudentibus legi, & Polonis in negotiis ſuis, præſertim publicis, uſu probari dignum eſt.

Alter ejusdem Varſevicii dialogus, huic Volumini annexus, *de Origine ſeu derivatione generis & nominis Poloni*, ad Stephanum Regem, Anno 1580. Vilnæ typis ſcriptus, illi de uſu & abuſu libertatis prorſus diſſimilis eſt.

Nam in ſeptem foliis hiſce labor Authoris, quo præprimis hæc materia indiget, apparet perpaucus: Scriptores enim, qui origines gentium & earum migrationes evolvere cupiunt, ex Hiſtoricis, Geographis, & quibusvis antiquitatis fragmentis, documenta colligunt, demùm judicio ſuo quæſtionem decidunt. Quemadmodùm de originibus Polonorum, ſedulo & acri judicio, ubi non potuit probationes evidentes reperire, conjecturas ſanæ rationi convenientiſſimas afferentem legi-

legimus Hartknochium Lib. I. de Republicâ Polonicâ. Hic verò Varſevicius Antiquitatis tædioſæ inquiſitionis incurioſus, fabuloſa aut planè incerta cum otioſis & indoctis miſcet; propterea gentis ſuæ originem, apud cæteros Scriptores Polonos ad ſummam ante omnes Europæ populos evectam laudem, infra omnes alias, neſcio quo ſenſu aut quâ intentione detruſit.

Quis enim Privilegium Alexandri M. aureis literis in Archivo Turcico aſſervatum, quo Slavorum genti omnes Regiones, â Mari Baltico ad Adriaticum poſſidendas admenſus eſt? aut denominationem Poloniæ â Carolo M. â polo cœleſti impoſitam fuiſſe, patientèr audire, nedùm credere velit? aut quod denique Polonos ipſos ſuâ virtute, ſicut Ungaris Carpatum Montem, Ruſſis Boryſthenem, Oderam Germanis, ità Boruſſis & Livonibus Balticum Mare pro metâ & confini limite â Poloniâ poſuiſſe, inſigni errore geographico fabuloſus refert. Cum populi hi non ultrà, ſed cis Mare Balticum terris Poloniæ contigui adhabitent, propterea cæteri Scriptores, Polonis antiquam poſſeſſionem & terminum dominationis, usque ad Mare Balticum audacter aſſeruerunt.

Adhuc notari meretur locus, quem Hartknochius in Exercitatione ad Jus publicum Chwalkovii pag. 20. ex hoc dialogo Varſevicii, tanquam ex pag. 18. allegat, ſcilicet: *Kadlubkos, Dlugoſſos, Mechovitas, Mierzwos, Vapovium, & alios, bonos quidem Viros, ſed ineptos Magiſtros Latinitatis, & fortaſſe etiam veritatis eſſe &c.* *Cromerum*, inquit *Tencinius Comes*, *bono ponendum loco atque etiam inter noſtros Hiſtoricos ſummo. Neſcio utrum natio altera, ſi Æmilium Gallicæ Hiſtoriæ Scriptorem, excipias, Cromero habuerit meliorem.* Unde Hartknochius tàm inſignem & prolixum locum exſcripſerit? neſcio: Certè totus hic dialogus Varſevicii, 14. tantum pagellis in formâ quarta excuſus,

 (neque

Digitized by Google

(neque usquam aliam ejusdem comperi fuiſſe factam editionem) verba illa non habet. Sed pag. 2. Tencinius ita loquens inducitur: *Noſtros cum aliarum gentium Scriptoribus & Hiſtoricis haut conferas; Boni ſunt illi Viri, ſed plerumque imperfecti Magiſtri ac Doctores, quos non tam ab ingenii excellentiâ & facultate ſcribendi admiramur, quàm quod Patriæ operam deeſſe noluerint ſuam, collaudandos honorandosque putemus.* Plura de Hiſtoricis Polonis, niſi penuriam Scriptorum ſuorum accuſans, non habet: de nominibus autem illis ne verbum quidem, neque Cromeri mentio in toto libello apparet. Proindè manifeſtum eſt, Hartknochium ex alio quovis Authore locum ſic allegatum, non viſo libro Varſevicii, exſcripſiſſe, & ſic deceptum fuiſſe. Quo ipſo iterum monemur exemplo, ne ex aliorum fide loca tanquam ex ipſo textu Authoris adcitemus, quoniam multi fallunt.

XI. *Vita Epiſcoporum Poſnanienſium, per Johannem Dlugoſſum olim conſcripta,* à THOMA TRETERO, Canonico Varmienſi, cum ſupplemento ad ſuum tempus, Brunsbergæ Anno 1604. typis expreſſæ.

Dlugoſſius ipſe in Præfatione ſuâ præfixâ, & Anno 1475. ſcriptâ fatetur: *Penuriâ Scribentium omnis ferè vitæ actiones & converſationes veterum Epiſcoporum obrutas eſſe, quorum nomen, genus, & originem, non niſi per veriſimilem conjecturam æſtimare potuerit: idcircò non abnuit, plura ſe pro conditione fragili & ingenii tarditate, languidè, abſciſe, aridè, & inconcinne, transſcripſiſſe.* Quæ verba eum, qui ſe ad lectionem libelli accingit, ſatis docent, quid expectare ab eo debeat.

Continuatio Treteri usque ad Annum 1604. nihilo melior aut amplior eſt priori Scripto Dlugoſſi, niſi quod Treterus vivis & mortuis laudes promiſcuè, pro Seculi more am-

Digitized by Google

ampliſſimas buccinet, quibus Dlugoſſi antiqua probitas & ſeverum ſtudium veritatis indulgere non potuit.

Propterea tam probus Scriptor à ſincero Lectore pluris æſtimatur, quàm Treteri triſti adulatione aut ſuperſtitione infecta mendacia e. g. Ubi Dlugoſſus in Jordano I. Ep. Poſnanienſi narrat: *Stephanum Papam VII. quo gratior eſſet Jordanus populo, gladium B. Petri, quo Malchi ſervi auriculam in Oliveto percuſſiſſe creditur*, NB. *ſive hunc ſive alium ſurrogatum & benedictum, ei transmiſiſſe cuſtodiendum, & ſtudioſâ veneratione colendum.* Aut ubi in Alberto II. narrans, quod theſauris, ab antiquis Ducibus Poloniæ Poſnanienſi ædi creditis, expilatis, Regem Jagellonem emercatus, ut prætextu delirii, pium Epiſcopum Petrum de Cracovienſi Epiſcopatu detruderet, Albertumque ſufficeret, exclamat: *Ex eo tempore usque ad noſtra, Clerus Polonicus univerſus cœpit eſſe apud laicos execrabilis.* Item quod Andream de Bnin Epiſc. Poſn. cui opuſculum dedicavit, in Præfatione liberè de vitiis admonuerit. Quod denique Stanislaum Cielek, Epiſcopum, ad Cancellariatum Regni propter Poëticas artes, licet ingenio parùm valeret, à Rege Jagellone promotum, perſtrinxerit.

Nonne talis ingenui Hiſtorici probitas ſummopere laudanda, magis quàm quod Treterus (qui Dlugoſſum ipſe, tanquam falſitatis & fuci prorſus expertem commendat) ſuorum Epiſcoporum, quorum vitas narrat, laudes aut vituperia, non certioribus documentis, quàm ex Poëtarum fabuloſis & adulatoriis epigrammatis, deducit, & probat. Quod furioſo zelo, Eccleſiam fidelium, ad normam verbi divini & ritus antiquiſſimæ Eccleſiæ Chriſti reformatam, Synagogam Satanæ, & conventum iniquitatis appellat, de qua blaſphemiâ in dona immenſa Spiritus Sancti (cui in æternum gloria & laus ab omnibus fide-

libus meritò decantanda eſt pro lumine Evangelii ſui, his ultimis ſeculis nobis accenſo) in illo tremendo veritatis Judicio; jam omni dubio procul, rationem reddere coactus fuit. Et de eo, quod nullos eſſe Chriſtianos, niſi qui per Apoſtolos aut ab illis miſſos converſi ſint, nullos Epiſcopos, niſi qui a Petro deſignati ordine ſibi ſuccedunt, aſſerit. Non intellexit ille, quod Chriſtus (Joh. c. 17. v. 20.) Eccleſiam credentem verbo Apoſtolorum, pro ſuis fidelibus agnoverit, neque eos ad ſucceſſiones & genealogias alligaverit, quales quæſtiones ad veram pietatem inutiles & vanas, Paulus ad Titum ult. contemnere jubet. Atqui Petro annuntiatio Evangelii non ad gentes, ſed Judæos præcipuè credita fuit! igitur non â Petro, ſed à Paulo & aliis gentium Apoſtolis, genealogia vel ſucceſſio Epiſcopalis, ſi adeò neceſſaria foret quam eſt vana, numeranda (Galat. cap. 2.) Deus non quæret, qua ſerie Eccleſiæ ſuæ imperarint Epiſcopi, neu à quo, ſed quam bene & pie edoctæ fuerint ab iis Eccleſiæ.

Porro Treterus nullam rationem in præfatione ſua reddit, quare à Cromero, Epiſcopo Varmienſi, integrum volumen vitarum omnium Poloniæ Eccleſiarum Epiſcoporum nactus, ſolos Poſnanienſes ediderit, cæteris omnibus neglectis aut ſuppreſſis. Cum nulla cauſa appareat, quare non integrum omnium Epiſcoporum Dlugoſſi Volumen eâdem cura Typographi publicaverit, niſi quod forte par gratia à cæteris ipſi non fuerit ſperanda.

XII. ROZMOWA POLAKA ZWLOCHEM, *O wolnoſciach y prawvach Polskich*, i. e. Dialogus Poloni cum Italo de Libertate & Legibus Polonorum. Libellus hic ab Anonymo Nobili Polono, Viro ſapiente, & mala Patriæ ſuæ apprime intelligente, tempore interregni poſt Regem Stephanum, occaſione ſeqvuturæ electionis Sigiſmundi III. Anno 1587. ſcriptus eſt, & typis expreſſus.

Quod

Digitized by Google

Quod apud alios, qui de Corruptione Status Reipublicæ ſuæ ſcripſere, nusquam legi, hic non tantum in nimiæ libertatis publicæ vitiis, circa electiones Regum, inobedientiis Regi & legibus, in confuſis Comitiorum actibus, ſed etiam in licentiâ privata Nobilium in Judiciis & Juſtitia, morbum Reipubl. quærit, & mala tanta multis caſibus, ſive geſtis miſerandis, quæ propter leges ipſas vel defectum executionis earum quotidie accidunt, probat. Deducit enim, leges & Jura Polonica non habere finem unionis, ſecuritatis & commodi omnium in Rep. viventium; præ ceteris legem nummariam homicidii; Alteram, non captivandum Nobilem, niſi Jure victum, & alias hujusmodi innumerabilium injuriarum, damnorum & homicidiorum in Polonia cauſas exiſtere, copioſis exemplis evincit.

Porrò, quod omnium Judiciorum forma in prompta delatione Juramentorum (*quæ plura uno Anno*, inquit, *in Polonia, quam in reliquis Europæ Regnis omnibus toto decennio jurantur*) & relationibus Miniſterialium ſive apparitorum (hominum viliſſimorum, nequiſſimorum & venalium) conſiſtat. Hinc nihil niſi perjuria, falſitates, fraudes, eluſiones, reatus, citationum ficta imputata, & juramentis atque falſis teſtimoniis in citatos vel actores evicta crimina, oppreſſiones denique bonorum, & triumphales jactantias peſſimorum videri & audiri. Usque adeò, ut hi, contra quos magnis tandem diſpendiis pœna bannitionis & infamiæ obtenta eſt, tunc demum gaudeant, quod loco ſtandi in judiciis abjudicati, liberè & ſecurè agere poſſint, ſic ab omnibus præſertim accuſatoribus ſuis, tanquam Alaſtores & phrenetici formidentur, ſæpe 20. 40. 60. & pluribus decretis infamiæ obruti. Hinc impunita absque delatore, cui ſæpiſſime metus necis ab adverſario obſtat, crimina homicidiorum, rapinarum, raptuum innocentium viduarum & virginum, imo & conjuga-



Digitized by Google

tarum; ſolo furto excepto, cui acrior pœna quam ulli crimini imminet, ſed in miſeros & pauperes, ita ut bos aut equus furto ablatus pluris veneat, quam vita hominis.

Tot vero mala hæc interna incolas Reip. etiam Nobiles, bonos aut debiles, usque adeo affligere ait, ut in Polonia Juris & Judiciorum mala, pro bello in mediâ Pace ſint, & ad incitas eos redigant. *Ita*, inquit, *juſte hi, qui Regem & legem ſeveram contemnunt, loco libertatis, ſervitutem & metum à vicino potenti aut malitioſo quopiam, cum periculo vitæ & bonorum patiuntur.* Cum igitur metus & reverentia juſta boni ordinis â Rege & lege, in Polonia plane extincta, boni ubique oppreſſi, mali non coerciti, imò pro ſceleribus lucra captent, faciem Reip. hujus miſerabilem ſtare diu non poſſe, ſuis propriis caſuram ruinis, & juſta Dei vindictâ præcipitatam. Evidenter enim judicia Dei Rempubl. impellere, quomodo venti navim, naufragio quam portui propiorem.

Remedia omnia eſſe deſperata, quia Ordo Equeſtris legum conditor, ad minimum rigorem legum ferendarum, prætextu periculi de libertate ſuâ, exhorreſcat. Velut is, cui gangræna digitum aduſſit, conſilio Chirurgi de reſecando primum digito, mox manu, denique brachio toto, reclamat toties, donec per moram morbus usque ad cor ipſum penetrans vitam violenter abrumpit.

Sed ut Juſtitiæ executionem in Poloniâ aſſequi invalidis & extraneis grave, ac vix non impoſſibile eſſe; ut ſcelera quoque impunita Dei iram provocare, Authori plene concedam: non tamen omnem penitus vindictam criminum in judiciis hiſce ceſſare, & a propioribus cauſis interitum Reipubl. adventurum profiteri cogor, de quibus alibi plenius egi.

XIII.

XIIII. JOHANNIS HERBURTI DE FULSZTYN, Caſtellani Sanocenſis CHRONICA *ſive Hiſtoriæ Polonicæ compendioſa deſcriptio*, prodiit typis Gedanenſibus Anno 1609. ſed ab Authore jam Anno 1571. compoſita, & Regi Sigiſmundo Auguſto dedicata, quo Anno Baſileæ jam excuſa fuit typis.

Herburtus ille ipſe, qui Statutum Polonicum primò, poſt etiam Latinum collegit, Cromerum, quem magnis laudibus in dedicatione mactat, in compendio exhibendi, & ſic memoriæ amplas lectiones faſtidientium conſulendi rationem, operi ſuo apertè præfatus; de mutilatione hiſtoriæ, vel arrogantiâ non ſua venditandi plane immunis; quantum ſibi propoſuit, non male præſtitit, rebus potiſſimis fide Vapovii & Cromeri, ſtylo ſatis æquabili, expreſſis; ita usque ad obitum Sigismundi I. Regis progreſſus eſt.

XIV. STANISLAWA CIKOWSKIEGO Z WOYSLAVIC, Podkomorzego Krakowskiego, Adminiſtratora Cel koronnych, *Wſprawach celnych odpis.* w Krakowie Anno 1602. h. e. Reſponſum Cikowsky, Adminiſtratoris teloniorum Regni, in cauſis teloniorum. Quo ſcriptum aliquod, contra licentiam teloniorum pro mercatoribus, cum diminutione fidei Cikowsky, Regi & Regno oblatum, refutare conatur.

Conſpectus libelli brevis hic eſt. Telonia Regni eſſe triplicia (1) Antiquum, quod ab antiquo de negotiatoribus intra Regnum, advenis & indigenis, niſi ab eo nonnullæ civitates ſpecialibus Privilegiis exemptæ fuerint, paſſim in oppidis exigi ſolitum. Hocque à Regibus Capitaneis nonnullis aut Officialibus aliis Regiis, ad reſtaurationes arcium, pontium & viarum publicarum, conceſſum fuit per Privilegia expreſſa.

(2) Fi-

(2) Finitimum duplum, quod â negotiatoribus extraneis, Regnum intrantibus vel egredientibus, de evectis & invectis mercibus, penditur. Indigenis enim Mercatoribus egreſſio cum mercibus & invectio, ſub pœnis criminalibus, jam inde â Vladislao Lockico Anno 1306. lege publicâ prohibita fuit, usque ad Sigiſmundum Auguſtum per repetitas & exacuatas Conſtitutiones Annorum 1565. & 1567. Neque ulló Privilegio hujus telonii finitimi exactionem imminui, nec quenquam ab eodem liberari potuiſſe. Horum duorum teloniorum taxam (quam Poloni Inſtruktarz appellant) antiquitus præſcriptam, & à Sigiſmundo I. Sigiſmundo Auguſto & Sigiſmundo III. Regibus in Annis 1524. 1565. & 1601. approbatam fuiſſe.

(3) Denique Novum telonium à Rege Sigiſmundo I. Anno 1511. demum introductum, quod itidem negotiatores extranei & indigenæ, per Regnum mercantes, præter antiquum telonium, absque ulla exemptione vel libertate cujusquam pendere juſſi, cujus ratio in ordinatione Sigiſmundi I. ab Anno 1524. & ſequ. comprehenditur (Sed in Volumine Legum hujus novi telonii taxa, demum Anno 1601. pag. 781. ſub Edicto Sigiſmundi III. legitur, non Sigiſmundi I.)

Horum teloneorum damnum immenſum reſultare inquit (1) ex violatis depoſitoriis Civitatum & Oppidorum Regni. Privilegia enim antiquiſſima profert, utpote Vladislai Lockici de Anno 1306. Caſimiri M. de Anno 1354. Ludovici de Anno 1372. & Caſimiri III. Regum Poloniæ de Annis 1457. & 1473. quibus Cracoviæ depoſitorium generale omnium mercium, in Regnum & è Regno vehendarum, à Regibus ordinatum fuit. Hoc privilegium deponendarum à negotiatoribus indigenis & alienigenis mercium, ad alias Civitates ac oppida limitanea Poloniæ extendit Rex Sigiſmundus Primus Anno 1511. Atque pro-

Digitized by Google

prohibitionem evehendi e Regno aut advehendi in Regnum merces per indigenas, pœnis peculatus, colli, & confiſcationis bonorum, repetiit Conſtitutionibus 1527. 1538. & 1540. Quas ſequuti Reges toties in Comitiis Regni generalibus renovarunt, videlicet Anno 1564. 1565. 1567. 1578. 1595. & 1601. Denique Commiſſio Regni Lenciciensis Anno 1602. Juribus & Privilegiis Civitatum productis & reviſis, idem decrevit Jus teloniorum conſervandum contra libertates emendicatas.

Hujusmodi verò leges ab antiquis jàm Regibus propterea eſſe latas, quia ſi depoſitoria in oppidis conſerventur, exteris autem ſolis & nullis indigenis permiſſum fuerit merces ê Regno evehere, & exoticas advehere, utilitatem multiplicem in publicam juxta ac privatam incolarum Regni rem redundare. (1) namque telonia â ſolis exteris ærario Regni ſine defraudatione inferri, (2) mercimonia exotica, ab alienigenis invecta, æquiſſimo pretio emi; indigenas merces vero majori vendi. (3) optima mercimonia in Regnum invehi, quoniam ſumptus itineris ac teloniorum, & periculum, ne corrupta & vilia absq; emptore relicta, revehi cogantur, mercatorem extraneum urget, ut optima advehat, viliora domi relinquat (quod jam Plato L. 2. de Rep. 8. & 11. de legibus aſſeruit) enimverò depoſitoriis in oppidis Poloniæ neglectis, legibusque prohibentibus, ab indigenis ipſis peregrè quærendo mercimonia & ſua propria evehendo, ruptis, atque fraude indigenarum, alienas merces pro ſuis inCameris teloniorum profitentium, impunè graſſante, telonia Regni ſummoperè circumveniri, & quæ penduntur ab indigenis, tantum tali modo inferri, merces exoticas nimio pretio ab indigenis diſtrahi, denique pro optimis viliores merces peregrè indigenis excurrentibus obtrudi. Et cum indigenæ



Digitized by Google

oppidani plerique exterorum tantum inſtitores & negotiorum geſtores ſint, argentum & aurum ê Regno acervatim evehi.

Unde (2) ſecundam cauſam damnorum publicæ & privatæ rei Civitatum Polonicarum deducit: Tolerantiam nempè Factorum ſive Inſtitorum exoticorum, quos Ligeros voce Germanicâ appellant. Hi enim multis artibus nomina civium emendicant, & ſub indigenarum titulo telonia publica defraudant, oppidáque ad mendicitatem redigunt. Cum tamen ex lege Sigismundi I. Anno 1540. latâ (vid. Herburtus fol. 278.) mercatores indigenæ corporali juramento evincere teneantur, ſe aliena, non ſua propria mercimonia, per provincias Regni vehere & diſtrahere, aut extra Regnum per aurigas exteris mittere.

XV. SALOMON NEUGEBAUR à CADANO, (qui Graudenti in oppido Pruſſiæ natus fuit, ſecundùm Treterum in Hiſt. Epiſc. Varmienſium pag. 49.) ***Hiſtoriam rerum Polonicarum, usque ad Annum*** 1586. obitum nempe Stephani Regis, deductam, Hanoviæ Anno 1618. typis edidit.

Hic liber à doctis viris iſto tempore laudem retulit, quam Author non meruit, ſed ignaris ſubripuit. Nam ab ipſo initio usque ad funus Alexandri Regis Annum ſcilicet 1506. continuâ ſerie Martini Cromeri triginta Libros Hiſtoriæ Polonicæ usque adeò exſcripſit verbotenus, ut amplis tantum Cromeri de Originibus Polonorum diſcurſibus, vix bono compendio contractis, cætera iisdem verbis deſcripſerit, quæ omnia, omiſſis nonnullis benè ad rem pertinentibus paragraphis Cromeri, ſex libris complexus eſt.

Nihilominus intolerabilis & evidentis plagii reus eſſe, quam Authoris, ex quo omnia corraſit, mentionem honorificam facere, laudemque conditæ Hiſtoriæ eidem reſervare ma-

Digitized by Google

maluit. Cujus memoriam, quaſi ad totum opus non pertineret, vix obiter attingit pag. 13. ubi inquit: *Hujus opinionis eſt Martinus Cromerus, Hiſtoricus Polonorum graviſſimus*: & pag. 613. Legatis ſuis ad fœdus cum Rege Daniæ Friderico contra Svecos pangendum, *Sigismundus Auguſtus Rex poſtea addidit Martinum Cromerum & Demetrium Sulicovium.* Præter hæc verba nusquam ipſius mentionem facit, utut more apud Scriptores inſolito, longum indicem perſonarum, quas in ſuâ Hiſtoria laudare voluit, præfixerit.

Quàm criminoſum hoc in re literariâ ſit, viri graves cum deteſtatione arguere ſolent: Quia omnis boni viri probitas poſcit, ut ad faciendam Hiſtoriæ ſuæ fidem Authores, commentarios & Archivorum ſcrinia, undè hauſerit, honorificè præfari, & ad perſvaſionem veritatis allegare debeat. Quis enim tot Seculis ante ſe acta poſteris absque Authore antiquiori obtrudere, & non viſa nec audita vel in aliis lecta narrare audeat? Quemadmodùm Cromerus Archivum Regni, Gallum, Kadlubkum, Dlugoſſum, & Scriptores exteros nonnullos adcitat, atque Hiſtoriæ fidem ad ipſos refert.

Neugebauerus autem hic rationem ſilentii ſui nullam probabilem prodidit, & abſurdè Cromerum diſſimulavit, cum Hiſtoria Cromeri, tunc adhuc recens impreſſa, ubique nota eſſet. Miror tamen, nemini hanc Hiſtoriam ex libris Cromeri exſcriptionem ſedulâ collatione utriusque Scriptoris obſervatam fuiſſe, certè neminem offendiſſe, usque adeò, ut fonte ipſo Cromeri omiſſo, multi exteri & noſtrates, ad hanc Neugebaueri Hiſtoriam, tanquam ad opus novum & pleniſſimum provocent. Schediaſma Hoppii de Scriptoribus Hiſtoriæ Polonicæ, Neugebauerum inter Compendiatores Cromeri refert: ſed ne ſic quidem famæ illius penitùs conſultum eſt.



Digitized by Google

Namque non ſuis verbis compendium ex Cromeri ampliſſimo Volumine contexere voluit, ſicut ante eum Herburtus, & poſt eum Paſtorius probè fecerunt; ſed plenum Corpus Hiſtoriæ ſuâ operâ, verbis ipſius Cromeri, niſi circumſtantiis quibusdam omiſſis, aut geſtis benè dignis intemperanter reciſis, exhibere, diſſimulato penitùs Authore, quem exſcripſit.

Certè Herburtus contrahendi Cromerum conſilium ſuum apertè profitetur, eumque laude ſua evehit. Et Paſtorius in proœmio Flori ſui Polonici diſertè fatetur: *Cromeri Hiſtoriam*, inquit, *magnâ induſtriâ elaboratum, & perpetuâ laude digniſſimum opus, quia rarius extat, & diffuſa orationis profluentiâ grandius eſt, quàm ut ab omnibus parari & legi poſſit, inceſſit mihi ſtudium contrahendi, quæ ille operoſius diduxit, in compendium.* Neugebauerus autem ſibi in epiſtolâ dedicatoriâ, alto de Cromero ſilentio, gratulatur, *ſe rerum Polonicarum deſcriptionem ſincerè circumſcriptèque collectam complexum. Item hoc quale quale*, inquit, *à ſe profectum in opere concinnando hiſtorico.* Quin etiam Gruteri elogium de opere tam pleno & polito Hiſtoriæ Polonicæ, Libro ſuo præfigere ſuſtinuit tale.

*Defuit hactenus Hiſtoriæ ſua lima Polonæ,*
*Imò nec integri Corporis ipſa fuit,*
*Non tulit id Neugebaueri vigilantia &c. &c.*

Miror verò Gruterum, tantum Criticum, Neugebauero polituram Hiſtoriæ plenioris tribuiſſe præ Cromero, cui limam aliquam addere ille neutiquam valuit, ſed ipſius vix boni præſtitit officium exſcriptoris. Usque adeò etiam ſapientum oculos obfuſcat, & verba juſtorum mutat affectus absque ſcrutinio.

Reſtat, ut de Cromeri finem ſequenti continuatione Hiſtoriæ, nempe ab exceſſu Regis Alexandri Anno 1507. us-

Digitized by Google

uſque ad obitum Stephani, Annum 1586. ultimis tribus Neugebaueri libris digeſtæ, laus ejus integra pro labore manſerit. Sed in his Sigismundi I. res geſtas ex Bernhardi Vapovii fragmento, Cromeri Volumini annexo, continuâ ſerie, & iterum ferè verbotenus adeò exſcripſit oſcitanter, ut hiatus in Vapovii narratione pag. 615. (quo ſenſus & filum Hiſtoriæ planè abruptum, idque ibi ab editore notatum eſt, quod ſcilicet folium unum deperditum deſit) Neugebauero pag. 535. non animadverſus, nec ex aliisHiſtoricis ſuppletus, ſed iisdem interruptæ narrationis veſtigiis usque ad finem fragmenti, Annum ſcilicet 1535. hiſtoria exſcripta ſit. Ubi tandem Vapovius deſiit, Neugebauer ex Martini Bielsky Chronico Polonico, preſsè omnia narrata in Latinum ſermonem tranſtulit, rebus tantum Hungaricis amplificatis. Sequentium Regum Sigismundi Auguſti, Henrici & Stephani Hiſtoriam, ex Orichovio, Bielskio & Heidenſteinio non inutili labore contraxit. Proindè ſi Cromeri, Vapovii, Orichovii, Bielskii & Heidenſteinii libri deperditi forent, procul dubio liber hic Neugebaueri laudes Gruteri & aliorum abundè meruiſſet. Nunc verò, illis omnibus ſalvis, Herburti compendium, judicioſè ſatis ex Cromero & Vapovio contractum, iis qui præ amplis Voluminibus compendia amant, ſuffeciſſet. Utut à Bacone Verulamio verè dictum, quod præſertim Hiſtoriæ ſtudioſos oporteat meminiſſe: *Rarum eſſe frugi compendia reperiri, quin in tempore pariter ac ingeniorum teredines & tineas abeant.* Lib. 2. de augm. ſcient. C. 6.

XVI. *Idem* SALOMON NEUGEBAUER, Anno 1620. Francofurti edidit *Icones & Vitas Principum ac Regum Poloniæ*, usque ad Sigismundum III. Quæ icones puriori ſculpturâ, quàm eæ, quæ in Gvagnini Sarmatiâ Europæâ, & in

Paprocii Nido Virtutis viſuntur, expreſſa ſunt: Non' tamen conſtat, unde Neugebauerus eas delineari curaverit; ab illis enim Gvagnini & Paprocii planè differunt. Ipſe autem more ſuo Authorem effigierum harum, unde eas accepit, ſilet, cum absque antiquiori documento talia fingere vix potuerit.

Porrò & in ordine ſuccedentium ſibi Principum, atque in temporibus eorum definiendis, multum â cōmuni Scriptorum diſcedit ſententiâ, nullâ lectori relicta elucidationis ſuæ ratione. Vitas, iconibus breviter ſubſcriptas Neugebauerus, ex Herburti compendioſo Chronico, verbis ut plurimum ejus retentis, magis contraxit; usque adeò illi placuit alienis veſtigiis, imò & pedibus incedere.

XVII. JACOBUS SOBIESKI, Caſtellanus poſteà Cracovienſis, Marci Palatini Lublinenſis filius, celeberrimi Regis Poloniæ Johannis III. Pater, delineavit *Commentarium belli Chotzimenſis, quod Anno* 1620. *& ſequenti, Oſman II. Turcarum Monarcha*, ex vaſtiſſimo imperio ingentibus collectis copiis, ad delendam Poloniam fineſque ſuos usque ad Mare Balticum promovendos, conflaverat; & quod Poloni (ab omnibus Chriſtianis Principibus deſtituti, cunctis ad legationes verba non facta offerentibus, ſolo Rege Angliæ Jacobo I. excepto, qui ad Oſſolinii Legati Poloni rogationem, aliquot millium armatorum manum mari Gedanum, ad opem bello huic ſacro ferendam, expediverat) ſuis viribus, & majoribus animis, auſpiciis Principis Regii Vladislai, ductu Chodkievicii & Lubomierſcii, ad Tyram amnem propè Chotzimum progreſſi, in ipſo Regni limite ſuſtinuerunt, & quadraginta dierum defenſione caſtrorum contra rabiem Barbarorum, per Dei gratiam gloriosè confecerunt, pacemque Oſmano extortam, unicum bellorum fructum domum retulerunt. Hunc Commentarium

Ge-

Digitized by Google

Georgius Forſterus Bibliopola Gedanenſis nactus, Anno demum 1646. typis elegantibus excudi curavit.

Quia autem â manu boni & prudentis, juxta ac magni in Regno Poloniæ viri, cujus proximus ſangvis imperium Regni meruit, nec minori judicio, ſtyloque facili & æquabili ſcriptus libellus, lectu digniſſimus eſt: præſertìm, cum Authoris fidem, ut qui bello huic, dignitate Commiſſarii à Republ. Principi Vladislao & Ducibus exercitûs additus, rebus geſtis & conſiliis præſens fuit, nuſquam deſideres.

Præcipua lectori utilitas, ex conſilio Polonorum, circa atrociſſimam tempeſtatem illam propulſandam cognoſcendo, accedit: quod tempeſtivè ad fines Regni ultra Tyram amnem procedere, ibi caſtra munire, commeatum copioſum inferre, hoſtis numeroſiſſimi aſſultus ante caſtra animosè repellere, denique æſtate in autumnum protractâ, immanem Tyrannum ad juſtam pacem concedendam cogere maluerint, quàm tanta examina barbarorum intra fines Regni expectare.

Quodſi Zolkevius Dux exercitûs, Anno tunc proximè elapſo 1620. & nuper Anno 1711. Ruſſi, a viris hiſtoriæ hujus gnaris moniti, eodem conſilio uſi fuiſſent, nec in vaſtiſſima deſerta Vallachiæ, commoditate commeatûs, amne Tyrâ e Podoliâ & Pokucia attrahendi relictâ, progreſſi, innumerabili hoſtium multitudine mediis campis cincti, arbitrio eorum non ſuccubuiſſent, resque Chriſtianorum meliori loco ſtetiſſet, cui Turcarum faſtus abindè inſultavit, donec armis Germanorum, â DEO O. M. fortunatis, toties victi & longè rejecti ſint.

XVIII. MARCINA MURINIUSZA KRONIKA, *abo Opiſanie Ziemie y Miſtrzow Pruskich, na Polskie z Niemieckego przelozona, &c.* h. e. Chronicon ſive Deſcriptio Terræ & Magiſtrorum Pruſſiæ, ex Germanicâ in Polonicam verſum, ad-

additis rebus memoriâ dignis ex variis Chronicis collectis, jàm olim editum, nunc iterùm multis locis correctum, Cracoviæ ex Typographiâ Simonis Cempinii Anno 1606. recuſum.

Fuit nimirùm Martinus Murinius Leopolienſis, ex converſo Monacho S. Nicolai Monaſterii Thorunenſis, Eccleſiaſtes Evangelii Polonicus ad S. Jacobi Eccleſiam ibidem vocatus Anno 1573. Hic MSptum Chronicon aliquod Pruſſiæ Anonymi (quales rapſodiæ olim permultæ fuere, ſed & adhuc dum non paucæ, quæ fabulis ſcatent, & per Schützii, Hartknochiique cenſuras obelo confixæ, non niſi vulgi manibus teruntur) nactus, in Polonicam lingvam transtulit (multa ex Strykowskii Chronico adſpergens) idque Doctori Mochingero Burggrabio cæterisque Pro-Conſ. Torunenſibus dedicavit, typisque Anno 1582. edidit. Quod poſteà Cracoviæ Kempinius recudit. Vid. in Chron. Thorun. Zernike p. 128.

Licet opera Murinii non improbanda ſit, quod Polonis quoque antiquitates Pruſſiæ idiomate proprio exhibuerit, nihilominùs, quod ſine judicio, ex quisquiliis illis vulgi exſcriptum Chronicon, ad interpretationem elegerit, culpa vel infelicitas ejus fuit. Poſt Schützii, Micrælii limatiora Chronica Pruſſiæ & Pomeraniæ, nos de originibus horum populorum ſapientèr inſtructi, de Scandinavis, Ulmigeris, Pruſio, item de Boleslai in Daniam profectione, de Sventopelci proſapiâ, & dependentiâ Pomeraniæ totius â Poloniæ Regibus, multasque iis ſimiles fabulas meritò aſpernamur: Quas quia liber hic jam obſoletas recoxit, proindè non iis, qui puro tritico veritatis ſaginari cupiunt, ſed qui ſiliquis meliorum ignorantiâ animum paſcunt, commendandus.

XIX. ANDREAS LIPSKI â Lipe, Epiſcopus poſtea Luceorienſis & Regni Pro-Cancellarius, tandem & Magnus Can-

Digitized by Google

Cancellarius atque Epiſcopus Vladislavienſis, & ultimo Anno Vitæ etiam Cracovienſis. Anno 1602. cum adhùc Canonicus Scholaſticus Plocenſis, & Secretarius Procancellarii Petri Tilický, atque Aſſeſſor, judiciorum Curialium eſſet, collegit deciſionum in iſto judicio Cancellarii, *Obſervationum practicarum Centuriam*, cui addidit iterùm Centuriæ ſemiſſem, absque indice: Hasque ſimul Pariſiis, Anno 1627. typis exprimi curavit. Huic operi jungitur aliud ejusdem Authoris, Poſnaniæ Anno 1626. impreſſum, nempe *Decas quæſtionum publicarum Regni Poloniæ*, in quibus eccleſiaſtica jura & immunitates pertractavit.

In obſervationibus illis practicis, ad imitationem Gailii, Mynſingeri & aliorum Ictorum, deciſiones in Judicio Regio, cui Cancellarius præſidet, & quod cauſas oppidanorum atque incolarum præfecturarum omnium, qui non merè ad Jus terreſtre Nobilitatis pertinent, judicat, appellaturque Iudicium Regium Poſt Curiale, vel Aſſeſſoriale, Lipskius collegit, & rationibus ex jure Romano & Saxonico, quo pleræque civitates Regni utuntur, fulcivit. Quod opuſculum, quoniam in Poloniâ pauci ſunt, qui ex jure ſcripto cum rationibus decidendi & dubitandi reſpondere poſſint, ſed plerasque cauſas exemplis & præjudicatis, licet iniquis, dijudicant, utile & dignum eſt, quod ab aliis continuatum fuiſſet.

Decadem autem quæſtionum publicarum ſeu potius merè eccceſiaſticarum, Lipskius præ cæteris ſui ævi in Poloniâ juris peritior, occaſione motuum, quos Epiſcopi jam ſub Sigismundo Auguſto Rege, cum Senatorio Seculari & Equeſtri Ordine, ſuper Jurisdictione Spirituali, decimis, & libertate ſubditorum ſuorum ab expeditionibus bellicis, excitarant, deindè ſub ſingulis Regibus continuarant, titulo publicarum quæſtionum, tanquam eccleſiaſticæ immunitates ad jus publicum



Digitized by Google

Regni pertinerent, conquiſitis undique ſubſidiis, ad ordinis eccleſiaſtici in Poloniâ eminentiſſimas libertates & prærogativas adſtruendas, compoſuit.

Proindè contrà ea, quæ Lipskius de decimis manipularibus in Poloniâ, de exemptione Cleri à poteſtate civili, & de jurisdictione merè eccleſiaſticâ adſtruit, diſputare nulla ratio valet. Aſt quod de Libertate ſubditorum Cleri ab oneribus Reipublicæ, de Diſſidentium â Romanâ Eccleſiâ libero exercitio Religionis, bonorum & honorum, mordaci calamo diſputat, vanum & irritum eſſe, præter rationum pondera alibi notata, ipſa Praxis longæva Poloniæ deſtruit.

Laudat Starovolſcius hujus Lipskii libellum de rebus geſtis Sigiſmundi III. Romæ editum; ſed hactenus mihi non viſum: Characterem tamen hujus tanti Lipskii, quibus mediis & virtutibus, factione autem Firlei ad munus Cancellarii emerſerit, ex Piaſecio, viro bono & æquo, Chronici pag. 368. diſcimus: *Officium Vice Cancellarii*, inquit, *contulit* (*Anno* 1618.) *Andreæ Lipskio, homini duro, impotentiâ animi, importunitate & audaciâ incredibili nemini non moleſto, Juris & linguæ Germanicæ peritiâ Reginæ & inde Regi commendatus, ope Firlei* (*per talem æmulum Hieronymum Cielecki, virum integerrimum, vexantis*) *quem à Cancellariatu propè extruſerat.* Notum eſt in Poloniâ Lipskii hujus, Regi, inter porrecta ad ſubſcriptionem Regiam ſcripta, nocentiſſimum illum potum vini cremati & oris fœtorem ſibi moleſtiſſimum exprobranti, datum reſponſum procaciſſimum: *Se experientiâ ita de vino cremato didiciſſe judicare, eum, qui id planè non biberet, & eum qui nimium, pares eſſe ſtultos*; Regem, qui id nunquam guſtavit, æquali ſecum convitio involvens. Quod inſolentem viri procaciam & Piaſecii ſententiam firmat.

XX. Geor-

Digitized by Google

XX. GEORGII CNAPII *Theſauri Polono-Latino-Græci Tomus II,* Latino-Polonicus, Cracoviæ Anno 1626. typis, propter brevitatem ſuam in formâ Quartâ editus. Author in titulo & præfatione dicit: Se hunc Tomum ſecundum tanquam indicem Latinum Tomi I. qui Polonicarum tantum vocum habet evolutionem, compoſuiſſe, qui ſimul Dictionarii ſive vocabularii abbreviati vice fungi poſſit. Quia tamen paginas primi Tomi hic ſecundus non citat, neque vocabulis primi Tomi preſſe adhæret; ſed aut plura aut pauciora verba ejusdem ſyllabæ complectitur; Idcircò non niſi ob initiales literas Latinas & breviſſimè adjecta vocabula Polonica, ejus lingvæ non ſatis gnaris ſervit, ut inventa voce deſideratâ, fuſiorem ejus explicationem duplici labore, in volumine magno ſcrutari poſſint. Sed nequè Dictionarii brevioris commoditatem ſatis præbet, multo commodiori illo dictionario Daſipodii jam proviſis lectoribus, in quo pari formâ portatili, triplicis lingvæ Vocabula cum eorum derivationibus, compoſitionibus & ſynonimis uno volumine exhibentur. Conſultius igitur Cnapius, quod in editione Voluminis primi Tomi promiſerat, indicem locupletem eidem ſtatim adjeciſſet.

XXI. JOHANNIS INNOCENTII PETRICII, Medici & Hiſtoriographi in Academiâ Cracovienſi, *Comitia Sapientum* Anno 1628. Cracoviæ typis impreſſa: ſed tantum Partem primam abſolvit Author, qui duas partes promiſit.

Vir iſte Academicus, collectanea ſua & altitudinem dictionis Orbi communicaturus, ad imitationem Veterum, ſub Sapientum & Philoſophorum ficto conventu ſympoſiaco, eorumque dialogiſmo, ſententias doctas, de variis Perſonis & rebus expromentium, ſcriptum hoc congeſſit. Sed quod in Platonis, Macrobii, Plutarchi & aliorum dialogis perſpicue & pla-



Digitized by Google

planè ad trutinam doctorum proponitur & deciditur, hoc Author hic non curavit; Sed perpetuum drama aliquod, Duce Cleanthe Philoſopho inchoans, in civitatem & templum Sapientiæ atque honoris, omnium gentium deducit ſapientes, aliquos & recentes utriusque ſexus, in itinere ad varios deflectens discurſus, magis de perſonis quam rebus; Nonnullos mediocriter alios immodice & ultra humanam ſortem evexit, quosdam certè ultra merita in ſelectum hunc cœtum introduxit; ex occaſione quorundam oſtendit ſe ex ſcriptis eorum profeciſſe, e. g. Taciti cujus apologiam ejusdem ſententiis prolixam contexuit. In omnibus vero laboravit, ut occulto & difficili verborum ſenſu proferret, quæ alibi expeditiùs & ex profeſſo traduntur, atque de arte hâc ſuâ in præfatione gloriatur. Nam, quia non ſuâ, ſed ſemper alienâ, laborioſe connexa ſublimi dictione loqui voluit, facile conjicere licet, quam impedito pede in viâ arenoſa hac procedat.

Tali igitur ſcenâ Author primam partem abſolvit libelli, ingeniis intricatis, & obſcura atque impedita pro apertis & planis amantibus gratus, famelicis & libris carentibus etiam utilis videri poſſit. Doctis ſane & his qui ex fontibus bibere, atque ſine compedibus in via illa Regiâ ſcientiarum incedere ſveti, riſum aut commiſerationem perditi laboris & temporis movet.

Quid in parte ſecunda vel pluribus (quas à fronte & â tergo opuſculi promittit, lucem tamen non vidiſſe credo) hujus operis Author tandem in Choro Sapientum propoſuiſſet & definiviſſet, divinare arduum eſt, niſi quod ex primâ hac parte, rem omnem in exantlationem excerptorum ejus deſiiſſe conjicere licet, ſed hujusmodi locorum communium ſcriptis abundamus.

XXII. Pe-

Digitized by Google

XXII. PETRI MIESKOWSKY, Canonici Poſnanienſis, Secretarii Regii, *Polonus jure politus i. e. mores patrios ad leges conformans*, Caliſſii typis Anno 1637. impreſſus. Author in hoc libello Rempublicam, Regem, Senatorem, Epiſcopum, Nobilem, Judicem, Militem, Oppidanos & Agricolas, totidem titulis, non ad Patriæ leges, ſed ad ſententias plerumque gentilium ſapientum depinxit. Ideo ex eo non niſi indoctus aliquis, librorum meliorum & ab Authore allegatorum expers, generales optimarum partium Reipublicæ regulas addiſcit, & ſententias citatas miratur: prudentiores talia collectanea faſtidiunt, fontes ipſos adeunt & hauſtam inde ſapientiam nævis publicis applicant. Quodſi Author prædictas perſonas morales, ſecundum Poloniæ jura & conſvetudines delineaviſſet, legibus & exemplis docens, quales omnes ſeſe in Republica gerere debeant, dubio procul bonam ab indigenis & exteris gratiam meruiſſet.

XXIII. ROZMOVĄ PLEBANA Z ZEMIANINEM, *O poſtanowieniu teraznieyſzey Rzplty, y O ſpoſobie zawierania ſeymow* Anno 1641. typis impreſſus libellus, h. e. Diſcurſus Parochi cum Nobile Polono, de corrigenda Republica & modo concludendi comitia Regni. Dialogus hic certè à viro docto Nobili, in Republ. verſatiſſimo, patriæque ſuæ amantiſſimo ſcriptus, dignus qui eorum manibus qui Remp. curant, tereretur. Dicit autem, ex acutiſſimi Itali Machiavelli ſententiâ: *Quomodo montes ex depreſſo loco, Valles & plana verò è montibus Geographi ſpeculantur, ita ut quis de Regibus & Optimatibus Reipublicæ rectè judicet, ſubditum, ut de ſubditis, Principem virum eſſe oporteat.*

Quia libellus raro jam viſitur, conſpectum ejus brevem delineabo. Labantis igitur Reipubl. Polonæ cauſam principa-

 lem,

Digitized by Google

lem, in abuſu Comitiorum ponit, quod absque reverentiâ Majeſtatis & legum, ex libidine & privato plurimorum commodo peragantur, unde tandem ruinam libertatis ominatur. Neque in eo fallitur, præſertim ſi ad Comitia Electionum Regiarum ſimul reſpexit. Et talia quidem prudens vir illo ævo quo ſub Vladislai IV. Regis proſperrimo imperio Poloni luxuriabant, animadvertit & doluit: Quodſi ab eo tempore excitata in Polonia ex corruptis moribus mala vidiſſet, non vanum ſe vatem exiſtimare potuiſſet. Enimvero ſtatum Reip. Polonæ in ſumma libertate ordinis Equeſtris planè inniti rectè ſenſit: *Hoc fundamentum*, inquit, *per inſolentiam Tribunitiæ poteſtatis, Romanæ olim ſimilis, ſubruitur magis quam fulcitur.* Quæ ut Regis & Senatus Majeſtatem peſſundet, omni vi incumbit, ab eo nempe tempore, quo legum condendarum & conſiliorum omnium publicorum impediendi curſum, ſibi ſumpſit poteſtatem (quod fere exeunte Seculo XV. demùm cœpit, ſed poſtea ultra Romanos Tribunos progreſſa, quibus intercedendi non tamen rogandi poteſtas fuit) jam leges pleraſque non ad regulam boni publici, ſed ad libidinem privatam perfert, executionem bonarum legum & conſtitutionum impedit, denique conſilia & vires Reipubl. continuâ diſcordiâ ſua hâc illâc rapit & confundit.

Cauſas proximas tantorum motuum in Republ. dicit eſſe (1) Corruptiſſimos mores, & ab atavorum inſtitutis alienos. (2) Legum omnium proſtratam absque executione authoritatem, quâ obliqua corrigi poſſent. (3) Æqualitatem matrem illam libertatis iniquè proviſam, potentibus & opulentis imbecillioribus, utut optimis civibus inſultantibus, ex quâ diſparitate mater libertatis juſto nutrimento privata, filiam non nutrit ſed exponit omni licentiæ. (4) Conſilia ſana & tempeſtiva

Digitized by Google

peſtiva in Republicâ propterea eſſe non poſſe, quod extra Comitia, (quæ non conſiliis quam privatis magis exercentur diſcordiis & contentionibus) nullus conſiliis relictus ſit juſtus locus. (5) Libertatem denique hanc tribunitiam, in quâ omnia jura Reipubl. reclinant, ſe invicem per interceſſiones perpetuas Collegarum deſtruere, planè ſicut Romanorum ſalus publica, Tribunorum immensâ & diſcordi poteſtate diſſoluta tandem fuit.

His tamen tantis malis bonum civem non debere deſperare, & omnia ſoli fato committere, ſed juvare remedia juſta & efficacia, nec revolutionem ſtatûs aliquam expectare, ſed ſecundum præſentes mores Reipubl. adminiſtrationem fulcire. Quemadmodùm de Neptuni & Minervæ, circà Conſtitutionem Athenarum contentione fabulantur Græci: Illo malè Civitati dicente, ut ſemper mala conſilia caperet; hâc benedictionem pro remedio adjiciente, ut & mala conſilia bonum eventum habeant. Remedium verò labantis per hæc mala patriæ, optimum & unicum, poſt Dei opem, in optimâ Voluntate Regis ponit, qui ſi Rempubl. zelo pio amet, multa obſtacula boni conſilii, per executiones legum ſtrictiſſimas removere poſſit, neque dicat; ut quid rei nec diù meæ nec poſtea meorum nimis acriter intendam. (ex Lipſii Monit l. 2. c. 3.)

Secundo ad modum Comitiorum corrigendum diſſerit; utut ſecundum Xenophontem, quod non rectè in Republicâ libera conſtitutum exiſtimet aliquis idipſum potentiam populi & libertatem ſuſtineat, nihilominùs libertatem & ſpernere modicè, & ad commodum publicæ rei defendere, tanquam in medio extremorum convenire. Alias juſtè metuendum, ne hi zeloſi amplexus libertatem inſtar ſimiæ tandem ſuffocent. Eousque enim Regna omnia proſperum imperium habuiſſe, (inquit

Digitized by Google

(inquit ex Salluſtio) dum apud ea vera conſilia valuerint, ubi ea corrupta ſint, poſtremò ſervitus illis impoſita.

In Poloniæ autem Comitiis ſive Conſultationibus publicis præprimis deſiderari, quod modus eorundem ſatis legibus non ſit circumſcriptus: Nam quia ordo Equeſtris ad tantum libertatis faſtigium, non cum ipſis initiis Reipubl. ſed pedetentìm aſcendit, ordo & ratio conſultandi ſeorſivè à Senatu (cum quo anteà equeſtris Ordo intra eosdem parietes, imò ſub directorio & nutu illius conſultavit) lege deſcripta non eſt. Tali tamen lege omnes liberas Reſpublicas, quòtquot unquam fuere, proviſas fuiſſe & adhuc eſſe. Hinc incommoda immania ſequi e. g. quod Nuntii ſinguli diverſiſſimas res proponant, indè clamores, minas, proteſtationes miſceant, & plerumque tempus ſummis de Republ. Conſiliis conceſſum, privatis vel vilibus altercationibus conſumant, aut planè activitatem totius conventûs ſiſtant: Quod in conſeſſu etiam præſente Senatu, ad oſtentationem elaboratis declamationibus (quæ nunquàm in deliberationem veniunt, ſed cum thono vocis pereunt) tempus inutiliter prodigant; cum ad ſummam rerum pertineat, magis quid agendum quàm quid loquendum ſit. Quod denique ex ſeparato Concilio Equeſtri, cæterorum ordinum Reip. (qui ſicut olìm moris erat, ſimul de rebus publicis conſultare deberent) ſtudia incendantur, & quod confuſis illis deliberationibus ſolius Equeſtris ordinis, perdito tempore, demùm in ipſo fine Comitiorum initium communium Conſiliorum de ſalute totius Reipubl. capiatur, acrioribus ſcilicet Concilii initiis ſed incurioſo ſemper fine.

Malis his tantis mederi poſſe (1) Si ante omnia tempori, præciſis omnibus abuſibus & ceremoniis, parcatur. Ideò quas Nuntii Equeſtres attulerint inſtructiones ſingulorum Palatinatuum

tuum, Marſchallus (ex lege aliquâ, non ex concertantium rixâ, primâ ſtatim die eligendus) eâdem die tantum lectas non diſputatas, privatim cum deputatis ſuis trutinet, combinet, ac exemplo nomothetarum, projectas paucis illis diebus conſtitutiones, univerſis Nunciis, eo ordine, qui ipſi & aſſidentibus deputatis antea adjunctis placuerit, proponat. (2) Si pleraque negotia propoſita, non ab univerſo concilio, ſed ejusdem deputatis juratis diſquirantur & concludantur. (3) Si publica totius Reipubl. aut integri diſtrictûs, ſemper præcedant ante omnia privata negotia. Neque ullus particularis conventus audeat toti Reipubl. præſcribere, ut ante conceſſionem in rem ſuam â Republ. deſideratam, de aliis gravioribus & publicis deliberationibus agere non audeat. Lege verò definiri debere, quæ publica quæ privata negotia dicenda forent, & in quibus Jus vetandi valere, in quibus audiri non debeat. Item, quod juſtâ proteſtatione intercedentibus Nuntiis activitas Comitiorum quidem ſiſti, ante tamen jam ſancita perferri & teneri debeant. (4) Si ultra octiduum his ſeorſivis deliberationibus equeſtribus non concedatur, neque ulli liberum ſit, in conſeſſu cum Rege & Senatu, recoquere controverſias ſuper inſtructione ſuâ ſingulari, ſed Nuntium cæterorum commilitonum deciſioni in negotiis publicis acquieſcere debere, licet privatis ejus diſtrictûs deſideriis non ſatisfactum ſit. Quæ ſi hâc vice non obtinuerit, aliâ proponere poterit: neq; Comitia unquam, quantum ad publica negotia, propter privata rumpi & diſſolvi debere, ſed tantum propter publicas easque graviſſimas rationes, ſtatim Collegio Equeſtri edendas. (5) Si ab exorbitantiis, i. e. factis contra leges patrias tam Regis quam civium, fiat initium; ſeverâ lege latâ, ne, quod plures juſtum in iis cauſis exorbitantiarum decreverint, is qui reus eſt, per ſe vel



Digitized by Google

per alios interceſſione impedire poſſit. His peractis, ad præſentes Reipubl. neceſſitates, ſecuritatem publicam, exercitum, pacta cum vicinis, & alia hujus valoris benè ordinanda, leges denique ferendas progrediendum. (6) Si lex in petulantes & turbulentos Oratores, qui inſtar tempeſtatis tranquillos civium animos turbant, pœnalis feratur, ut qui corrupti ab extraneis, aut penſionibus potentiorum officiisque obnoxii; ſi præfractè bono publico, donec Regi aut Concivibus aliquid extorſerint, obſtare; ſi denique privati odii pertinaciâ publicum exitium cauſari, aut bonarum legum executionem impedire, factionis tandem cujuscunque evidenter convicti fuerint: tales ab univerſis damnari, & perpetuò, cum famæ diſpendio â Conſiliis publicis abigi debeant. (7) Si juris dicendi functio in Comitiis, certis deputatis ex Equeſtri ordine cum Senatu committatur, ne conſilia publica iis impediantur. Si denique (8) Conſeſſus Comitiales ſecretò, non portâ patente, præſentibus exteris, famulis, & aliis ad Concilium non pertinentibus fiant. *Hæc remedia ſi quis reſpuere voluerit*, inquit, *nullâ aliâ ratione id facere, quàm quod Confuſionem, propter privatum commodum, & affectus ſuos exercendos, Regem emungendum, Remque publicam exteris vendendam, aut potentioribus Civibus pretio ſerviendum, retinere malit, evidenter prodit.*

Extant plura hujusmodi bonorum & ſapientum Polonorum, ſuper corrupto patriæ ſuæ ſtatu ſcripta, ex quibus habeo: *Diſcurſum politicum de cauſis & remediis malorum Poloniæ.* Cracoviæ Anno 1661. occaſione Electionis, quæ vivente Johanne Caſimiro Rege, in gratiam Reginæ, â vecordibus ejus Conſultoribus tantoperè urgebatur, admiſtis Religionis evangelicæ oppreſſionibus in Regno, â quodam viro nobili & docto anonymo typis editum. Sed hic non adeo ex corrupto ſtatu

Liber-

Digitized by Google

Libertatis, quàm vitioſis moribus, item Cleri terribili dominatu, quo conſcientiis imperat, & pios bonosque, prætextu Arianiſmi, honoribus, vitâ, bonis, patriâ expellit, mala Reipublicæ interna deducit, indè iram Dei & interitum propullulare contendit.

XXIV. SIMONIS STAROVOLSCII, *Centum illuſtrium Scriptorum Polonicorum elogia & vitæ*, Francofurti Anno 1625. Propoſuerat ſibi Author 175. Doctorum in Poloniâ Virorum, qui ſcriptis claruerunt, vitas ſcribere, adjectis Stoslavii, Vitellii, Zoravii, vel aliorum brevibus elogiis metricis: Quâ verò de causâ, compoſitâ Centum tantum virorum narratione, filum abrumpere, & non paucos parvi meriti exponere, illuſtriores autem multo, in catalogo centum ſeptuaginta quinque in fine libelli expreſſos, planè omittere maluerit, nemo divinabit.

Hoc certè de libello hocce judicium cuivis Lectori emunctæ naris exprimitur: Supinâ negligentiâ, brevitate famelicâ, immani odio vel ſtudio rectis & probis damnato, ingenio parvo, judicio nullo, ætate quâ vixerunt ſœpè omiſſâ, adeò ſcriptum eſſe, ut non multa de ſcriptorum virtutibus vel vitiis cognoſcere poſſis; Niſi in illis, quos à perſecutione fidelium triſti crudelitatis elogio commendat; Authoris quoque in plerisque ſuſpectæ ſententiæ Lector plus diffidere quàm credere, proindè nullum unquàm Biographum pejus ſcripſiſſe fateri cogitur. Ut hæc demonſtrem, attendamus hìc paucis e. g. Kadlubkonem cui nomen absque ullo dubio Vincentii fuit, in Catalogo ſub Literâ J. nominat Joannem, Joannis Demetrii Sulicovii minuta quædam Opuſcula & epiſtolas enumerat, ſed hiſtoriam ejus rerum Polonicarum, ab exceſſu Sigismundi Auguſti Regis, quæ laudem & utilitatem præcipuam viri

 me-

meruit, negligentèr omiſit. Andreæ Lipskio Obſervationum Juris duas Centurias oſcitanter tribuit, cum tantum unam cum dimidiâ ediderit. Felicem Herburtum, veterem ſcriptorem Polonicum Kadlubkonem pulvere erutum, notis & ſententiis graviſſimis exornaſſe, nimis ignorantèr refert: Cum ipſum Herburtum in præfatione ad Lectorem, de Commentatore Kadlubkonis profitentem, eum Iagellonum Regum tempore vixiſſe, legere debuiſſet. Jacobo Priluſio ineptè objicit, quod ad evertendam eccleſiaſticam diſciplinam natus, & lenones Saxonicos illos imitatus ſit: Cum nullus unquàm Polonorum, plus & cordatius, pro reſtaurandâ diſciplinâ eccleſiaſticâ, palam in opere Statutorum commentatus ſit.

Porrò Lutherum & alios, antiquæ Chriſti doctrinæ & pietatis veræ ſtrenuos reſtauratores, ubique convitiorum veneno aſperſit. Sed quia religionis ejus aſſeclis ſolenne hoc peccatum eſt, in tremendo judicio Dei eluendum, patientiâ & contemptu talia tranſeo. Enim vero quis, etiam ex ipſis Catholicorum doctis & probis viris, mendacium Authoris non agnoſcat & increpet? Quod Lutherum, Bucerum, Melanchthonem, & alios notiſſimæ orbi eruditionis viros, cum quibus illi in Catalogo Scriptorum Polonorum, nulla res, aut eorum meminiſſe rationabilis cauſa fuit, tanquam perfidos & perditos homines, nullo literarum præſidio, novam (imò ſi ſapuiſſet, antiquiſſimam dixiſſet) religionis faciem inducere conatos, ab Andreâ Patricio (Viro ultrà Poloniæ fines illo ſeculo nulli noto, in angulo Livoniæ latente) depreſſos & ſcriptis jugulatos, zelo inſipienti & cœco jactare auſus ſit. Convitiis ſuis procacibus igitur lutulenti ſubulci, nefariis dogmatibus & opinionibus imbuti titulum, ipſe juſtiùs meruit, quàm tanto talique viro, per quem Deus O. M. mirabilia ſua,

in

Digitized by Google

in adſtruenda veritate eloquiorum ſuorum, fecit, cui ob pietatis & fidei Chriſti intimam cognitionem, & eruditionem quoque, corrigiam calcei ſolvere Starovolſcius vix fuit dignus, inuſſit. Certè, ſi de ipsâ religione lis eſt, omne convitium & blaſphemia, hominum nedum Chriſtianorum, vitium profanum; ſed ubi mentio tantum civilis doctorum fit, convitiari phreneſis & furor eſt. Superſtitioſæ denique relationes, quas ex aliis legendis collectas ſuis Coriphæis affinxit, imbecillitatem judicii & fidei ſcriptoris ſummoperè produnt. Licet autem hoc ſcriptum ſterile, mutilum, breve, & non ingenuum ſit, nihilominus quia in hoc genere, præter Varſevicii Catalogum, nullum habemus typis vulgatum, â Polonis ipſis de ſuis Scriptoribus compoſitum, qui notitiam illorum amant, hoc qualicunque libello hisce præmoniti, uti poſſunt.

XXV. MATTHÆI DARGODZKY *Przeſtroga o Titulach y Dignitarſtvvach cudzoziemskich, w Polskim Kroleſtvvie y Panſtvvach do niego nalezacych*: Admonitio de titulis & dignitatibus extraneis, in Regno Poloniæ & Provinciis ei annexis, Anno 1634. cum præfatione ad Ordinem Equeſtrem, ſub nomine hoc ficto, impreſſa. Sed mox iterum Anno 1637. â *Georgio Imielinskio*, ſub prælum revocata, & vero Authori, nempe *Adamo in Wyſzyn Grodzieckio*, Caſtellano Miedzyrzecenſi, tunc Marſchalco Tribunalis Regni dedicata.

Iſte igitur Perſonatus Dargocius i. e. verus Grodziecius, multis rationibus deducit probatque, *Titulos extraneos Principum, Comitum, Baronum, Marchionum, acquiri contra jura Regni, & eſſe periculoſos Equeſtri Ordini, quia contra æqualitatem tendunt, matrem illam libertatis*: Satis proviſum eſſe Polonis dignitatibus, qui ab antiquo nullos Principes præter Regem agnoſcant, & loco Principum externorum ſuos Palatinos, pro Comitibus,

& Baronibus, Staroſtas ſive arcium Capitaneos, pro Marchionibus, Succamerarios & Cuſtodes limitaneos Straznicios ſuos creent. Hinc neque ipſis Ducibus Volhynienſibus, ab antiquâ proſapiâ Ruſſorum Lithuanorumque Kniazorum oriundis, in actis publicis, unico ſummo poſt Regem Principe, â Republ. creato, Archiepiſcopo Gnieſnenſi, & tempore interregni Vice-Rege excepto, titulum Ducalem appoſitum fuiſſe. *Hinc*, inquit, *Nicolaus Radzivilius, Palatinus poſteà Trocenſis, cum ſibi & fratris Filiis, Nicolao atque Johanni, Titulum Principis â Cæſare Carolo V. Anno* 1546. *impetraſſet, & propterea ad Judicia comitialia citatus, invidiam Statuum publicam præſenſiſſet, ante Regem Sigiſmundum Primum proſtratus, diploma Cæſareum ad pedes Regis depoſuit, gratiaeque Regiæ, aut abolendum aut reſumendum permiſit. Quâ ſua humiliatione vir tantus, Regis & Ordinum omnium animos emollivit, ut publico aſſenſu dignitas Principis illi relinqueretur.* Nihilominùs in publicis ſcriptis, vel orationibus â Rege & Republicâ nunquam titulum, quemadmodum nec Kniazii illi Ruſſici Lituanique ſangvinis, accipiunt. Cæterum ſolus Radzivilius in hoc Regno fuit, cui talis favor Regis & Reipubl. obtigit, quam poſtea per Conjugium Sororis ſuæ, Barbaræ, cum Rege Sigiſmundo Auguſto, propter affinitatem conſervare facile potuit (vid. Kojalowicz Hiſt. Lithuan. P. 2. pag. 405. & 415.) *Quanto minus*, porrò Author contendit: *nunc hi, qui pro legatione aliqua, aut oblatione doni nuptialis, apud Cæſarem titulos extraneos emendicatos domum afferunt, Nobilitatis avorum ſuorum faſtidioſi. novitatores, tolerandi.*

Subjunxit Author ſcripto ſuo epiſtolam latinam Firlei, Caſtellani Woynicenſis, ad Filium Andream, qui in peregrinatione cum aliis adoleſcentibus Polonis, ſuper hac affectatâ titulari Nobilitate contentionem habens, patris conſilium requi-

requiſiverat. In eâ hic antiquæ virtutis parens, multis rationibus & exemplis evicit: *Falſos eſſe, qui extra patriam Nobiliores cupiunt eſſe quam ſint in patria, Nobilitatemque Polonam adeò liberam, & omnibus dignitatibus titulisve extraneis potiorem, umbris illis poſtponere inepte contendant, inque vera æſtimatione Nobilitatis ſuæ Filium animoſe confirmavit.*

Huic libello ſe oppoſuit, vel potius ad explicationem ejus æquiorem Polonis perſvadendam, elucidavit, alius libellus titulo: *Obrona titulovv, Kſonzecych od Rzepltey uchvvala ſeymovva pozvvolonych*, i. e. Defenſio titulorum Ducalium, â Republicâ lege comitiali conceſſorum, Anno 1641. typis impreſſus, Authore HIEREMIA BIELEIOWSKII, qui ſcriptum hoc Hieremiæ Michaeli Koribut Duci Viſnovecio dedicavit.

In quo quidem ad rationes in genere contra dignitates titulatas, extra Poloniam quæſitas, à Dargocio impugnatas reſpondet: Specialiter tamen hoc tantum agit, ut opinionem iniquam, ex Dargocii libello male intellecto, vulgo impreſſam, (quaſi omnes dignitates penitus eliminandæ forent) mitigaret, atque ex ipſo Dargocio probaret: *Dignitates Principum antiquas, ante unionem Poloniæ cum Lithuania, naſcendi ſorte, aut alio legitimo modo acquiſitas & derivatas, ac à Republ. aſſenſu Ordinum publico confirmatas, nemini absque violatione juſtitiæ & maximo motu interno eripi poſſe.* De aliis recentioribus varie in Regnum illatis, & in poſterùm acquirendis, Principum, Marchionum, Comitum & Baronum titulis, cum Dargocio planè convenit: Obicem a Republ. lege publica iis eſſe ponendum, ne ulterius tituli externi Regnum inundare poſſint. Hæc duo ſcripta raro jam viſuntur, digna lectu pro hujus controverſiæ juſta cognitione.

Anim-

Digitized by Google

Animadverti Hartknochium in Exercitatione illâ celebri, ad Jus publicum Chwalkovii, hunc exagitaſſe, quod inter Scriptores Polonos ſub litera V. Andream Vargocium poſüerit, qui de Nobilitatis Poloniæ clinodiis ſive armis ſcripſerit, ex hoc ſcripto Dargocii errorem Chwalkovii arguens. Enimverò facile Chwalkovio ſuccuritur, ex libro Starovolſcii de centum illuſtribus Poloniæ ſcriptoribus, qui pag. 121. Andream Vargocium narrat fuiſſe patria Przemislienſem, profeſſione Sacerdotem Cracovienſem, Concionatorem excellentem, qui inter undecim ingenii ſui fœtus, librum quoque Clenodiorum, ſeu Nobilitatis Polonæ armorum ſcripſerit, ſed hæc molientem mors abripuerit. Undè patet, fuiſſe revera & ſcripſiſſe opus aliquod, de armis Nobilitatis Polonæ, Andream Vargocium, ſed & diverſum ab hoc perſonato Matthæo Dargocio, & Chwalkovio nunquam viſum opus, cui ſecundum Starovolſcium Author immortuus eſt. Satius igitur non viſos libellos, nec unquam editos, fide aliena non allegaſſet, maxime cum Starovolſcium non recte inſpiciens Chwalkovius, librum Vargocii tanquam editum & viſum inter Authores numeraverit.

XXVI. STANISLAI LOCHOWSKI *Proceſſus judiciarius granicialis Regni Poloniæ*, Cracoviæ Anno 1641. impreſſus. Quoniam multæ lites pro limitibus agrorum in Polonia, ſicut & alibi inter Nobiles ſtrepunt, titulus libri hujus forenſium talium litium, ex praxi magis quam legibus definitarum, juſtitias cognoſcere cupientibus, deſiderium movet. Verùm quia præter formam proceſſus & citationum in cauſis finium regundorum, nulla materialia tractat, idcirco non niſi procuratoribus & ſcribis forenſibus in Poloniâ utilis eſſe poteſt.

Methodum verò & regulas inveniendi antiquos agrorum terminos, cauſasque limitum decidendi, compendioſe exhibet Jus

Digitized by Google

Jus Terreſtre Nobilitatis Pruſſiæ Polonicæ Tit. 7. In Compilationibus quoque Statutorum Regni, præſertim in Statuto Lituanico, multi caſus finium regundorum deciſi reperiuntur. Adjecit Author hic in fine, appendicem phraſium ſtyli forenſis Latini; ſed & in eo nihil præter commune dictionarium Synonymorum, quæ in ſtylo forenſi occurrunt, exhibet, pleriſque barbariſmis, quorum forenſia acta præſertim in Polonia ſunt feracia, vocabulis quoque obſcuris omiſſis.

XXVII. GEORGII OSSOLINSKII, Regni Poloniæ Cancellarii ſupremi, *Orationes ad Pontificem Romanum, Cæſarem & Principes Imperii, Regem Angliæ Jacobum I. Reginam Poloniæ Ludovicam, ad Ducem & Senatum Venetiarum, & in Colloquio Charitativo Thorunienſi.* No. VI. in Annis 1633. 37. 21. 46. 33. & 45. dictæ, Forſteri bibliopolæ Gedanenſis curâ typis optimis excuſæ Anno 1647. tantique habitæ, ut dedicatione, ceu magnum cimelium, magno tunc in Galliâ Miniſtro Status, Cardinali Mazarinio offerrentur.

Certe ex actis publicis Poloniæ conſtat, Oſſolinskium ſuo ævo fuiſſe virum magnum in Rep. Regibus ſuis charum, & propterea à Cæſare dignitate Principis Imperii ornatum; Eruditum quoque ſeu bonis literis deditum, præprimis facundiâ virili, non inani verboſitate potentem. Idcircò ſi plures ipſius Orationes & Epiſtolæ typis expreſſæ forent, prorſus dignæ lectione, & ad imitandum in publico verſantibus, præ ſcholaſticorum anxie conſutis declamationibus eligendæ. Polonica quædam Oſſolinskii in Senatu Regni dicta conſervata viſuntur, ſed maxima pars lucem non viderunt. Fuit Oſſolinii tempore Regnum Poloniæ intrà in maximo flore, extra, ob felicia imperia Regum in ampliſſimo honore. Talis temporum felicitas, ſicuti magnis in Republ. viris ſpiritum excellenter

loquendi & ſcribendi, ita poſteritati ea legendi jucunditatem infundit eximiam.

Præcipua in his Sex orationibus illa eſt, ad Urbanum Papam VIII. quæ ex genere dictionis, apertum, ingenuum, rerumque magis quam verborum ſtudioſum fuiſſe Oſſolinium teſtatur. Nihilominùs hoc evincit, in hac corruptâ mortalitate, optima quoque hominum, absque nævo adulationis vel figmenti laudari non poſſe; quaſi deficiente verborum proprietate, ad rerum & perſonarum verum Statum juſtè applicanda. Sic Oſſolinius, dum Regem ſuum coram Pontifice, ab amplitudine Imperii laudare voluit, totius ſeptentrionis populos, & vaſtiſſimum Imperium Moſcoviticum, in adorationem ejus triumpho induxit. Enimverò Imperium Moſcoviticum Vladislaus Rex nunquam adierat, armis tantum Zolkevii Ducis, poſt victoriam Cluſzinenſem, abrogatio Suiſcii Zari, & pro Vladislao Principe expreſſa fuere vota Ruſſorum, non ultra neceſſitatem præſentem valitura, ideò â Rege patre Sigiſmundo neglecta, mox & pactis ſolennibus renunciata. Namque Anno 1610. Vladislaum Ruſſi hi (vafro quidem conſilio, ad avertendam offâ hâc vim Polonorum, prout Piaſecius Chron. pag. 317. fatetur) Magnum Ducem ſuum dixere, ſed ſequenti ſtatim Anno 1611. metu panico ſoluti, Michaelem Federovitzium, Philareti Fedor Mickitovicz Metropolitæ Roſtovienſis, in Polonia captivi, poſteà Patriarchæ Ruſſorum, filium, Dynaſtiæ præſentis Ruſſicæ Conditorem, ſangvinem tamen maternum à Joanne Baſilide, & ſic prioribus Zaris ducentem, elegerunt. Cum quo tandem Anno 1618. pactis induciarum Divilinenſibus, tantopere â Polonis deſideratis (quod verba Conſtit. 1616. f. 2. & 1618. aperte innuunt) demum perpetuâ pace Anno 1634. confirmatis, reddito diplomate Electionis, transacta res eſt. Quomodo

Digitized by Google

modo igitur Oſſolinius Anno 1633. Vladiſlaum, tanquam adhuc Moſcoviæ Ducem, cum univerſo Septentrione coram Pontifice Romano procumbentem, introducere potuit? Nempe eadem veritate quâ titulis Vladiſlai Regis in Conſtitutione Regni Anno eodem 1633. hic quoque: *Electus Magnus Zarus Moſcoviæ ſubſcriptus fuit.*

Planè ita comparata, quæ de Sveciæ dominio jactat: Vladiſlaus enim, à Parente ſuo titulum quidem Regni aviti, ſed loco poſſeſſionis & fructuum, damna immenſa in Livoniâ & Pruſſia, cum tot cladibus, hereditate acceperat. *Tituli tantum craſſamentum, imaginariam Majeſtatem, & Sereniſſimum nihil,* de re eâ inquit Kochowski Clim. II. Lib. 6. pag. 435. Paulo quoque ante, nempe Anno 1629. iterùm Anno 1635. in pactis induciarum titulus Regius familiæ Sveticæ datus, Legatique Regis Sveciæ in Comitiis Electionis Anno 1632. publice auditi. Proindè jus aliquod ad Sveciam quidem prætendere potuit, à fratre Johanne Caſimiro & Polonis proh! caro pretio, patriæ ſcilicet ruinis luendum & expiandum. Sveciæ tamen jam ab Anno 1604. à Carolo, & filio ejus Guſtavo Adolpho poſſeſſæ, Monarcham dicere, populosque illos, & tot alios totius ſeptentrionis, ad venerationem Romæ ciere non potuit: Præſertim cum Moſcoviæ & Sveciæ gentes, Vicarium illum Capitis Eccleſiæ Chriſti, & Monarcham univerſalem mundi non agnoſcant; Dania vero, Norvegia, & tot vaſtiſſimæ Septentrionis Regiones, ad Polonicum axioma ne ſomnio quidem unquam pertinuerint. Ita humana ambitio verbis inanibus ſibi ipſi illudit.

In eadem quoque Oratione Oſſolinius jactat; *Vladiſlaum Donationis Conſtantinianæ Græcum Diploma, ex gazophylacio Moſcovitico direpto, vindicaſſe, & tanquam pro Romano Pontifice pugnaſſet,*

 ei

*ei Romam etiam hoſtium ſpoliis aſſeruiſſe.* Sed Hiſtorici, iſti Polonorum in Moſcuam irruptioni coævi, Zolkevii Ducis expeditionem, quâ Anno 1610. in Metropolim Ruſſorum penetrarat, atque præſidii Polonici ſub Alexandro Gonſievio Anno ſequenti 1611. in tumultu horrendo ab incolis ipſis excitato, factam direptionem gazæ Ruſſicæ deſcribentes, videlicet Piaſecius in Chron. pag. 325. Kobierzycki Hiſt. Vladislai lib. 7. p. 459. gemmarum, unionum, vaſorum, cimeliorum pretioſiſſimorum, auri & argenti ingentem quidem ineunt numerum; Usque adeò, ut Samuel Wenslawsky in libello, quem de vita & cæde Vincentii Gonſievii, iſtius Alexandri filii, ſcripſit, Cap. 8. pag. 307. addat: *Theſaurus*, inquit, *à milite direptus, pretii incredibilis, usque adeo opulentus, ut nauſeans opes peditum vulgus, bombardas groſſiſſimis gemmis oneratas exoneraret in aerem, diademata, ſceptra, unicornua auro & adamantibus veſtita, partim militi præſidiario, partim populo ſeditioſo ceſſerunt in ſpolium.*

Diplomatis vero hujusmodi nullus Hiſtoricus mentionem facit, quaſi licet fuiſſet, in tumultu, quo civitas tota conflagravit, & gemmæ ipſæ diripientibus nauſeam moverunt, tabularum & chartarum cura haberi à quoquam potuiſſet? Enimvero quâ occaſione diploma hoc ex ærario Conſtantinopolitano in Moſcuam urbem delatum ſit, ex hiſtoriâ ratio ſana & apta iniri nusquam poteſt. Ruſſi enim gazam Impp. Græcorum nunquam expilarunt, nec dono accipere & æſtimare potuerunt, quod tota Græca Eccleſia damnat. Denique meritò miremur, Inſtrumentum donationis non apud donatarium Romæ, ſed apud donantem Bizantii repoſitum fuiſſe; Cum privilegia donationum, apud accipientem beneficium quæri, ſana ratio jubeat. Sed quam inconditum figmentum illud Donationis Conſtantinianæ fuerit, graves & talium impatien-

dentes viri ipſi Catholico-Romani, Laurentius Valla, Marſilius Patavinus, Petrus de Vineis, Dantes, Aventinus, & ipſi Cuſanus atque Æneas Sylvius Cardinales, ampliſſime oſtenderunt, nec ſine ſtomacho in Authores mendacii tam evidentis, cum poſt Conſtantinum Imp. ultra trecentos Annos, ſucceſſores ejus Romam & Italiam ſub Imperio ſuo retinuerint, invecti ſunt. Sic enim Aventinus Annal. Bojorum lib. 2. §. 50. acri claudit Epilogo: *Quæ de Sylveſtro & donatione Conſtantini prædicantur, ficta, falſa, inepta, pugnantia ſunt: miror, extare tam ſtolidos, qui credant, & tam impudentes qui defendere audeant; præcipue cum etiam Pius Secundus Pontifex Max. Vir harum rerum peritus, nugas hujusmodi ut commenta anilia fabulamque inanem rideat.*

Dubio igitur procul Oſſolinius, vir illuſtris & gravis, falſâ hominis eccleſiaſtici relatione deceptus, rem planè improbabilem ſolenni ſuæ Orationi inſeruit. Qui error omnes literarum ſtudioſos admonet, quàm caute Virorum, quâvis dignitate eminentium dicta & ſcripta legere, neu absque inquiſitione veritatis approbare debeant. Cæterùm ſummi hujus in Republicâ Viri proſapia, poſt fata ejus parem ex nepotibus hactenus non produxit, donec hocce Seculo ineunte Illuſtris Maximilianus Comes Oſſolinski, jam Theſaurarius Curiæ Regni Poloniæ emerſit, mox magni veſtigiis atavi, ad faſtigium virtutum & dignitatum par eniſurus.

XXVIII. DICTIONARIUM LATINO-GERMANICO-POLONICUM, olìm à PETRO DASYPODIO adornatum, ſed poſtea in Academia Colonienſi reformatum & auctum, Dantiſci Anno 1642. editum. Typographus Dantiſcanus, Andreas Hunefeld, in dedicatione ſuâ ad



Digitized by Google

Regis Poloniæ Vladislai filiolum refert: Petrum Daſypodium, Profeſſorem Argentoratenſem, circa Annum 1560. Dictionarium Latino-Germanicum hoc compoſuiſſe, magno adoleſcentum commodo, quod Jeſuitæ Colonienſes dignum judicarint diſcipulis ſuis commendare, & ne honor Daſypodio Evangelico in ſcholis Pontificiis integer ſervaretur, reformatis nonnullis vocibus ad ſenſum ſuæ Religionis, ſub titulo, Daſypodii Catholici Coloniæ prælo recuderint, cui in editione hâc, cura Hunefeldii Polonica addita ſunt vocabula, & ſic in uſum Scholarum Polonico-Pruſſicarum hâc ultimâ impreſſione recuſa ſit.

Non enim ineptè ille Typographus ibi cenſuit: quodſi quis Hoſpitem in totâ Europa agere nolit, is trium lingvarum harum Latinæ, Germanicæ, & Sarmaticæ peritiam ſibi neceſſariò comparare debeat. Proindè in aurea Bulla Imper. Caroli IV. Electorum Filiis in Imperio, trium iſtarum lingvarum ſtudium commendatum & ferè imperatum eſſe. Sed poſtquàm â Gallis Seculo proximè elapſo, Majeſtas Imperii Germanici, per continua & juſto Dei judicio illis felicia bella, multum imminuta eſt (fatali jam antiquiſſimis temporibus vitio, ut victricis gentis lingvæ, veſtes & mores, ab ipſis hoſtibus expetita ſint) Germani & Poloni, ſuis propriis lingvis neglectis, Gallicam, ex Latinâ corruptam, tanquam univerſalem totius Europæ operoſe excolunt.

XXIX. STEPHANI DAMALEWICZ, S. Theol. D. Canonici Vladiſlavienſis & Cruſvicenſis, *Vitæ Vladiſlavienſium Epiſcoporum*; typis editæ Cracoviæ Anno 1642. In panegyrico ad Matthiam Lubienskium Archiepiſcop. Gneſn. & paſſim alibi in Libro, Author fatetur, ſe ab eodem Archiepſc. vitas has ex Dlugoſſo collectas, juſſum diſpoſuiſſe, ex Archivo Vla-

Vladislavienſi auxiſſe & edidiſſe. Sed oblitus hujus gloriæ, pag. 258. allegat MSCriptum Dlugoſſi librum, in quo ipſe Dlugoſſus vitas has ad ſua tempora collegerat. In aſſignandis tamen temporibus, Dlugoſſum & Paprocium aliquoties non infeliciter correxit.

De cætero boni officium Biographi & Hiſtorici probi, odiis vel ſtudiis non infecti, Authorem non impleviſſe, ingenuus Lector facile videt. Omnis certè facundia ejus in laudibus Epiſcoporum illorum, qui augmentis bonorum ſuæ Eccleſiæ acerrimè incubuere expletur; hæc fere unica gloriæ materies. Proinde maxima quoque ſedulitas, in annectendo Catalogo acquiſitorum per ſingulos Epiſcopos bonorum, conſpicua eſt. Et eatenus tantum ex Archivo Vladiſlavienſi, de quo ſibi gratulatur, noſcitur profeciſſe.

Quam caute tamen diplomata & documenta ab ipſo allegata accipienda ſint, vel ex iſto quod Cap. 2. pag. 32. exhibet, capiat lector experimentum. Ex eo probare vult, Pomerelliam cum Gedano jam â fundatione Eccleſiæ Cruſvicenſis eidem innexam fuiſſe. Verùm Hartknochius invincibiles rationes, in Hiſt. Eccleſ. Pruten. Lib. I. Cap. 3. pag. 176. affert, quibus totum illud diploma ſuppoſititium eſſe arguit. Ac licet Damalevicius circa deductionem & diſſonantiam evidentem illius diplomatis, cum Catalogo Epiſcoporum conciliandam, pag. 118. & 131. ſeſe torqueat, nihilominus plura dubia majora, in Hartknochio allata, eo ipſo non reſolvit.

Stylo præterea aſpero, ſæpiſſimè non latino ſatis uſus eſt. Ubi ad cauſas bellorum, & res politicas vicinorum excurrit, in hiſtoria hallucinatur, & infenſo calamo enormes audacter ſpargit falſitates: Præprimis in rebus, quas ſæpe contra Crucigeros, Pruſſiæ tunc Dominos, acerbo abreptus odio refert.



Digitized by Google

Quarum nullam notitiam, licet archiva & alia monumenta jactet, habuit, niſi quam ex Dlugoſſo excerpſit, quibus multa immodeſtius fingendo ſuperaddidit.

Talia recenſere ſupervacaneum eſt, quia Lectori, rerum Pruſſicarum gnaro, ultro occurrunt. Nihilominus quædam potiora hic enumerare non pigebit: Sic. Cap. 6. præliminari aſſerit; Conradum Mazoviæ, in præjudicium cæterorum Ducum Poloniæ, cum Crucigeris, ſuper occupandâ Pruſſia paciſci non potuiſſe. Qui Conradus tamen ſuos Ducatus independenter à fratre Leſcone, ex diviſione avi Boleslai Crivouſti poſſedit, & pro poſſeſſione totius Poloniæ cum Patruo poſtea bella geſſit. Neque Zemovitus Dux Mazoviæ, ante Annum 1355. antiquam libertatem feudi jugo contaminare voluit, donec ad illud â Caſimiro M. Rege adigeretur, ita loquente Dlugoſſo Lib. IX. ad Annum illum 1355. Pactam autem fuiſſe cum Conrado reſtitutionem terræ Culmenſis, & diviſionem Pruſſiæ, ſangvine Crucigerorum infidelibus prius eripiendæ, cum cæteris hiſtoricis Polonis referens, quæ ſibi contrarie oppoſita ſunt cumulat; dicens, revera Conradum donaſſe Ordini Culmenſem terram; Et iterum, eandem reddi debere â Conrado pactum fuiſſe. Porrò Fratres Dobrinenſes ex hoc Ordine Teutonico fuiſſe; Hermannum de Salza & Hermanum Balke unum eundemque Ordinis Magiſtrum facit; Crucigerorum numeroſum exercitum Anno 1331. ad Plowce in Cujavia, â Vladislao Cubitali integrum victum & cæſum fuiſſe, & ſecundum Dlugoſſi traditionem 40. millia Teutonum, Polonorum tantum 42. capitibus amiſſis, interiſſe. Anno 1410. in prælio Tannebergenſi exercitum Cruciferorum triplo majorem numero fuiſſe, quàm Polonorum & Lituanorum cum auxiliariis Ruſſis atque Tataris, illorumque 50. millia cæſa, 40. millia capta refert: Albertum Ducem Pruſſiæ profanum & perfidum appellat. Sven-

Digitized by Google

Sventopelcum Nobilem Polonum de Gryphonum gente, à Leſcone Albo demùm circa Annum 1210. Pomeraniæ adminiſtrationem adeptum, Ducalem ſibi dignitatem rapuiſſe (cum f. p. 133. ipſe dixiſſet, jam Anno 1178. Ducem Pomeraniæ, Samborium Olivæ monaſterium propè Gedanum erexiſſe; Et pag. 85. in Archiep. Gneſnenſium vitis idem Author jam Anno 1050. Verceslaum Ducem Pomeraniæ ad Chriſtum converſum fuiſſe) atque Dominum ſuum tandem ex inſidiis necaſſe, falſo ſed cum aliis narrat, pag. 159. & 165. In Mieſciugum Pomeraniæ Ducem Gedanenſes rebelles fuiſſe p. 197. apertè fallit, cum ex partitione patris Sventopelci, non in Mieſciugi, ſed fratris ejus Vartislai dominio & poſſeſſione fuerint, Gedanum & Caſſubiæ Ducatus.

Pag. 207. inſigni metabaſi temporum audacter fingit, Hermannum Balke Magiſtrum Pruſſiæ, partem prædii in Zlotoriâ, inter Viſtulam & Drivenzam amnes, cum ſylva Mokry dictam, Epiſcopo Vladislavienſi Vislao, circa Annum 1290. dediſſe. Cum Hermannus ille Balke jam Anno 1239. Livoniæ Magiſter factus, & Anno 1245. in eâdem provincia mortuus fuerit.

Pag. 237. Caſimirum M. Poloniæ Regem Anno 1335. in præcipitatâ pacificatione, ſine Conſenſu Ordinum Regni, Cruciferis Pomeraniam NB. *divinæ retributionis causâ, & ob remedium animarum Prædeceſſorum ſuorum ac ſuæ ſalutis, in perpetuam eleemoſynam donaſſe*: Quam tamen donationem ſequenti ſtatim Anno, â Papa Benedicto Judices delegatos, odio Ludovici Impis, cui adhæſerunt Cruciferi, reſcidiſſe; Utrumque abſurde credit & aliis perſvadere vult. Veriorem enim hiſtoriam & rationes ſaniores rei hujus, ex Dlugoſſi Lib. IX. ad Annum 1338. & 1343. quo pax conſenſu Statuum Regni



Digitized by Google

tranſacta fuit, legere potuiſſet. Cruciferis ubique ingratitudinem in Polonos, Patronos & Benefactores ſuos exprobrans, usque adeò ut de Regno Poloniæ integro occupando, furioſâ cupidine conſultarint.

Verùm omnia hæc ex Chronicis fide dignioribus Schütꝫii, Micrælii, & aliorum argumentis hiſtoricis, atque rationi convenientioribus, evidenter refutantur; Quod illos, qui Chronica Prutenica & Pomeranica juxta Polona, prudenter & ſine ſtudio partium conferunt, non poteſt latere.

Porro hic idem Damalewicz in convitiis contra fideles, (qui antiquiſſimam Evangelii Chriſti puritatem contra fermentum humanarum traditionum, quibus verbi divini lumen obſcuratur, & vis Conſcientiis, ſoli Dei verbo ſecure credentibus, dira infligitur, ſectantur) usque ad blasphemias rabiem ſuam extendit. Veram & puram, verbi Dei prædicationem, *furentem hæreſin, fidem quæ nulla bona opera requirit, inimicos Crucis Chriſti, abominandos inconditè pſallentium & monſtroſiſſime ululantium ritus, ſuperſtitionem execrandam, impiorum dogmatum veſaniam,* animo & lingva ab orco inflammatis (Jacobi c. 3. v. 6.) vocat. Ipſum Epiſcopum Vladislavienſem Drojewskium, qui tamen Anno 1526. in cauſa Gedanenſium, ſe ſangvinarium Regi Sigismundo conſultorem contra Evangelium renaſcens præſtitit; quia non ſicut alii ſatis atrox fidelium perſecutor eſſe, & in innocentes furere, huic pio Authori viſus, Idolum, canem mutum, virumque perfidum & infamem appellare, pro impietate ſuâ non veritus. I nunc Lector, & à Scriptore hoc hiſtoriæ, usque ad furorem debachato, fidem narrationis omni odio vacuam, aut vera piorum Antiſtitum elogia expecta; Adhuc à Viro Sacerdotali, à cujus ore deberet procedere veritas & prudentia. Quemadmodum antiquorum Patrum Ser-

mo-

Digitized by Google

mones funebres & alia ſcripta teſtantur, quibus defunctos Epiſcopos & Sacerdotes, â virtutum & pietatis amorisque divini fructibus, non ab acquiſitione bonorum, & â perſecutione hominum eloquia Dei pure prædicantium, nullius erroris vel ſceleris, ſed nimiæ obedientiæ Domini & Servatoris ſui reorum, laudarunt. Huic autem Scriptori ex iniquitate & errore ejus, immoderatæ laudes inſignium fidelium perſecutorum profluxere: In quibus Karnkovium Epiſcopum divinis mactat encomiis, quæ tamen veriori Judicio prudentiſſimi Epiſcopi Piaſecii in Chron. pag. 106. moderari & ablui poſſunt: *Joannes Tarnowski Vice-Cancellarius Regni*, inquit, *cum aliquando Karncovium de ſuis geſtis gloriantem audiſſet, reſpondiſſe fertur: Quicquid maximum præſtitiſſet, etiamſi centena Gymnaſia quale Kaliſſii, conſtruxiſſet, nunquam damnum quod ſeditioſo illo Kolenſi conventu* (Anno 1590. magno errore imò & malitia) *Reipubl. intulerat, compenſare poſſet.* Plura adhuc mala idem Karncovius, verus Gedanenſium & Elbingenſinm hoſtis, Commiſſione ſuâ, Juribus Pruſſiæ intulit, ab ipſo tandem Rege Stephano obelis confixa & reſciſſa.

Certè illuminatis â veritate divinâ mentibus, juſtius in ſuperſtitiones hujus viri abſurdas, verbo Dei & ſanæ rationi contrarias, huic hiſtoriæ interſparſas, tam virulenter detonare liceret, niſi modeſtiâ Chriſtiana Deo potius omne Judicium veritatis committerent. Coram illius tremendo tribunali, hic & tot alii in felle amaritudinis & obligatione iniquitatis, antiquam Chriſti fidem, propter ſecularem ſuam potentiam firmandam blaſphemantes, rationem diſtrictam reddent, niſi per veram nutheſian mentem amiſſam, in hoc adhuc tempore gratiæ repoſuerint.



Digitized by Google

XXX. *Idem ille* DAMALEVICIUS, *Seriem & res geſtas Archiepiſcoporum Gneſnenſium* Varſaviæ Anno 1649. mandato & ſumptu Matthiæ Lubienskii Archiep. edidit typis. Eadem certe fide, adulatione Patronorum, & odio virulento fidelium corruptâ, quibus ante Vladislavienſium vitas contexuerat, eodem ſtylo, narratione ob ſterilitatem Archivi Gneſnenſis perindè conciſâ, geminis denique erroribus Hiſtoricis.

Quorum pauciſſimos hic produco: Lechum, inquit, Vandaliæ, Sarmatiæ & Germaniæ magnæ parti imperaſſe; cùm illius ex Illyrico exulis ævo, tot populi Slavici vel Venedici generis, ſinguli ſuum axioma Reipublicæ ſub propriis Ducibus tenerent. Henricos de Ketliz I. & II. Archiepiſcopos Gneſnenſes, Ducum Bremenſium proſapiam facit. Quos è Moraviâ excitos, fortè in Brin Duces, non ab ſede Archiepiſcopali Bremenſi in Germania, quæ nunquam ante Pacem Monaſterienſem Anno 1648. quâ Svecis titulo Principatus ceſſit, Duces habuit, deducere debuiſſet. Porrò Epiſcopatum Mariæverdenſem, ſeu potius Pomeſanienſem, in Pomeraniâ ponit, qui eſt in Pruſſiâ. Bonam Reginam cum opibus è Poloniâ in Hiſpaniam abiiſſe dicit, quæ omnino in Italiam profecta. Figmentum de Sventopolco, quaſi primo Duce Pomeraniæ, â Leſco Albo, Duce Poloniæ, tantum ad Capitaneatum eo miſſo, cum antiquioribus Poloniæ Scriptoribus toties recoctum, jam ſuperius ex ipſius Authoris contrariis relationibus refutavi; Et ſic in aliis.

Cæterùm fabulis ſuperſtitioſis nimiùm Author hic, uſque ad riſum ſapientum virorum etiàm Romano-Catholicorum, indulſit, quibus fortè ſicut Livius narratione prodigiorum, hiſtoriam illuſtrare voluit. In hujuſmodi enim (lumine veri-

tatis

Digitized by Google

tatis ex verbo Dei illuſtratis planè abſonis, imò fundamenta fidei ſubruentibus) fabellis, præterea in laudibus Præſulum, abſque curâ animarum, terrenis Eccleſiæ opibus ſatiatorum, & illis augendis acerrime incumbentium, facundia Authoris expletur tota.

XXXI. EVERHARDI WASSENBERGII, Embricenſis, Regii Hiſtoriographi, *Geſta Vladiſlai IV. Principis, deindè etiam Regis Poloniæ*, Partibus II. panegyricè repræſentata, typis edita Gedani Anno 1643. Deduxit ille ſcriptum ſuum ab Anno nativitatis Vladislai, videlicet 1595. usque ad Annum 1640. quo eidem Regi filius natus fuit.

Niſi ipſe Author in præfatione ad Lectorem faſſus eſſet: *Se non niſi externa lineamenta virtutum Vladislai, omiſſis conſiliorum publicorum intimioribus, tradere, quæ magnis in Rep. Polonâ viris narranda relinquat: Deindè, ſe panegyricum interſertis continuis Senecæ ſententiis ſcripſiſſe: Porrò vera omnia ſe tradidiſſe, exceptâ ſolâ hiſtoriâ de Demetriis Moſcovitis obtruſis, propter Authorum variationem.* Hæc inquam niſi ipſe præfatus fuiſſet, à rerum gnaris acriorem cenſuram meruiſſet. Certè Author exquiſito verborum ſcrutinio Senecam æmulatus, ſtylique ſui, utut ſæpe non ſatis Latini, lenocinio captus, & gratiam aulæ ad quam venerat aucupatus, de Vladislai vitâ panegyricum delineavit, non Hiſtoriam ſcripſit, quam nihilominus titulo libelli præfigere auſus eſt; minus advertens, quantum Hiſtoricus ab Oratore diſtet, cui auribus hominum non veritati litare mos eſt.

Porrò quod non Conſiliariis Reipubl. hiſtoriam formare voluiſſe excuſet, hoc certe ad commendationem operis nihil facit. Multi ſunt docti, prudentes, & ſæpe præ Conſiliariis Regum gnari rerum viri, quibus inanes ſermones ad imitationem veterum collecti, nauſeam movent, nec niſi Scholaſticis &

verborum Venatoribus placent. Sola ſane utilitas hiſtoriæ eſt, ſecundum eam conſilia prudenter formare; Atqui ad fidem hiſtoriæ ſuæ faciendam, ſæpius ad lectionem ſcripti viri Senatorii Poloniæ provocat. Quodſi Kobierzyckium (cujus hiſtoriam MSCriptam habuiſſe credo, typis plus decennio poſt demùm editam) indigitet, certè bonum illum Authorem Waſſenbergius conſpurcavit non illuſtravit: Hiſtoricus autem non unius ſed plurium teſtimonio niti debet.

Hinc ſuſpicio manifeſta fit, quod Waſſenbergius non hiſtoriam, ſed meram Orationem laudatoriam ſcribere voluerit. Ideò de Sigiſmundi III. moroſitate, & ex conſiliis Confeſſionarii ſui pendentis, vitiis regnandi, quibus Sveciam amiſit, & Remp. ad Civile Bellum præcipitavit. Item de Vladislai morbo comitiali, venere indomita, rebusque contra Svecos male geſtis penitùs ſilet, quæ ex aliis Hiſtoricis, ad hiſtoriam veram, utut Stylo compto & puerili pertexendam, diſcere potuiſſet. De Demetriis Moſcoviæ audaci fabulâ obtruſis, & ingentibus malis Regni Poloniæ ab Exercitu Demetriano inflictis, Rege & Clero ſpei ſuæ immenſæ illudentibus, cordatiorum hiſtoricorum ſatis certæ, non ambiguæ hujusmodi extant relationes. Sed hic Waſſenbergius Authorum iſtius fabulæ alumnus, fucum illum alio fuco oblinire voluit. Propterea non adeo aberravit Struvius in Bibliothecâ Hiſtor. pag. 458. ita de Waſſenbergii Floro Germanico judicans. *Author*, inquit, *eſt mordax, qui multa ex odiò ſcripſit contra Proteſtantes, & Latinitate utitur corrupta.*

Quod denique ex Commentariis Senecæ ſapere, & alienis quam ſuis verbis geſta tanti Principis buccinare amaverit, usque adeò ut Chriſti oblivîſci maluerit, quam Senecæ profana vota pro infante Vladislai recenter nato non imitari: *Dii illum inquiens, Deæque omnes terris diu commodent*, nauſeam Lecto-

Lectori pio movet non voluptatem; Adeò ſtolidi verborum adoratores, ſono vocabulorum abrepti, veritatem Deumque ipſum gentilibus tenebris involvunt! Et panegyrici hujusmodi adulatoribus præſenti tempore, ob gratiam laudatorum, poſſunt eſſe utiles, ſed poſteritati inviſi, & ad cognitionem veritatis, multis hyperbolis abſconditæ, admodum nocent.

Annexum eſt libro aliud ejusdem Waſſenbergii Scriptum, *Carcer nempe Gallicus Joannis Caſimiri Poloniæ tunc Principis*, Gedani Anno 1644. typis impreſſum.

Videlicet Joannes ille Caſimirus Princeps, Anno 1638. paucis comitibus Hiſpaniam petere decreverat, obtentu vindicandæ hæreditatis, â Bonâ Sfortia Sigiſmundi I. Regis viduâ, proaviâ filiorum Sigiſmundi III. Regis, in Regno Neapolitano, Ducatu nempe Barenſi & Comitatu Ruſſilionenſi, relictæ, atque â Regibus Hiſpaniæ hactenus detentæ: Tandem Genuâ triremi ſolvens, ſed ob tempeſtatem portum Gallicum intrare coactus, â præfecto Gallico, tanquam Auſtriaci ſangvinis Princeps, ad hoſtem navigans, & â Rege Hiſpaniæ Vice-Regis Luſitaniæ atque Archithalaſſi munia accepturus, captus, fere integro biennio Salonæ detentus, & variis prætextibus dilatus fuit; donec ad feriam interceſſionem Regis Poloniæ fratris, Anno 1640. demùm è carcere dimiſſus, iter per Belgium retro in Poloniam reſumere coactus fuit.

Hanc igitur Captivationis hiſtoriam, Waſſenbergius, cum omnibus circa eandem actis & ſcriptis negotiis, jam non panegyrico tumido, ſed quia in re triſti, humiliori ſtylo perſecutus eſt.

XXXII. POLONIA DEFENSA *contra Joannem Barclajum* Anno 1648. Gedani, curâ Forſteri Bibliopolæ, prodiit typis excuſa. Author hujus ſcripti, qui nomen non appoſuit,

Digitized by Google

fuit, fuit Lucas Opalinski, Marſchallus poſtea Curiæ Regni Poloniæ, vir eruditus, quod alii ejusdem libelli quoque evincunt.

Nempe Barclajus in Icone animorum, dum gentium multarum genium moresque facundè magis quam verè deſcripſit, impetu haud quaquam probando, in Polonos tàm acerbè invectus, falſa multa aut paucis convenientia, ipſe ab aliis ſeductus aut proprio motu, non viſa indeterius auxit, ut tandem Opalinskii ſeveritas proterviam viri exotici non ferret, ſed Patriæ civiumque famam vindicans, non malè hoc libello retunderet. Fieri tamen non potuit, qvin fervore laudandi ſua in alterum impegerit, quæ ſanè humanius tolerantur, quàm vituperia uni perſonæ, nedum toti tam Illuſtri in Europâ genti inuſta ab extraneis.

Certè Poloni jàm diu ante Barclay ævum barbarie depoſitâ, cultioribus Europæ nationibus vix concedunt, imo luxu ab abundantiâ alios præcedunt. Si qua crimina, rixæ, tumultus, homicidia, mitius apud illos, non tamen ſine exemplo Juris Civilis Romani & Canonici, æquè nobilibus ac Clericis parcentium puniuntur, libertatis non gentis hoc vitium eſt. Cætera in plebe ruſticâ, quæ puram Nobilibus ſervitutem ſervit, aſpera & inculta, in aliis quoque Regnis ſæpè adeò agreſtia prout in Poloniâ, viſuntur. Opalinskium tamen in quibusdam nimium fuiſſe, in aliis Barclajo non ſatis erprobaſſe patet.

Omnes ſanè qui cum Polonis aliquot annis converſati, altius genium eorum introſpexere, niſi præjudiciis odioſis abrepti fuerint, fateri oportet: Gentem Polonam ut plurimum naturâ flexilem, hoſpitalem, ad virtutes, præſertim reverentiamDei, honeſtatem, miſericordiam, bonosque mores proclivem in

Digitized by Google

in vitiis non obſtinatam ſed corrigibilem eſſe, neque in tumultibus usque ad interitum durare: Niſi quod immenſa libertas bonos quoque animos, præſertim, ubi mala conſilia & factiones nonnullorum, extra oleas decurrere populum coëgerint, facile feroces faciat & corrumpat. Qui Græcorum in plena libertate tumultus, diſcordias civiles, latrocinia, vitia, cædes, & usque ad interitum ſuum furores; Qui in Germanorum, Svecorum, & aliarum gentium quoque, non usquequaque populari libertate, mediis illis Seculis gaudentium, rixas & Thracias cædes relegens perpendit: Polonorum vitia publica & privata luſus æſtimabit.

XXXIII. AARONIS ALEXANDRI OLIZAROVII, I. U. D. & Profeſſoris Wilnenſis, Ser. Principis Neoburgenſis Conſiliarii, *de politica hominum ſocietate*, Lib. tres, Gedani 1651. typis editi.

Liber hic ad imitationem Lipſii, Arniſæi, Schonborneri, & centum fere talium, qui doctrinam politicam conſvetâ methodo & definitionibus, atque verbis ac ſententiis veterum Philoſophorum & JCtorum tradentes, locis communibus exornarunt, ſcriptus, nihil planè ab ingenio Authoris, ſed omnia ex aliorum Commentariis ſapit. Hoc ſi excipias, quod â viro Lituano ex aliis congeſtus, & elegantibus typis Amſtelodamenſibus, curâ Forſteri, Bibliopolæ Gedanenſis, excuſus ſit, nullam Orbis literatus ei gratiam debet.

Miror bonum hunc virum ingenii ſui vim ſudoremque corporis, non potius eo applicuiſſe, ut (quoniam in Præfatione ad lectorem queritur, ſibi non tale ingenium eſſe, quod inſtar araneæ ex ſe ipſo, opus aliquod conficere poſſit, ſed inſtar apis confectum jam mel de floribus colligentis) de patriis moribus formaque ſocietatis civilis, domeſtica exempla adcitando, bona



Digitized by Google

laudaſſet, mala reprobaſſet. Sic enim concives ſuos ad imitationem bonorum præceptorum inſtruxiſſet. Non, quod generalia capita politica, ſecundum Authores pleroſque veteres vel recentiores exſcripſerit, nulli uſui niſi ſcholarum, quibus tamen melioribus multo Compendiis proviſum eſt.

In toto tamen opere, quod 37. Capitibus & multis ſectionibus conſtat, unicam Lib. II. Cap. 11. affert quæſtionem, de patriæ Juribus ſumptam & utilem. An nimirùm ruſtici in Polonia pro ſervis juſte, an verò pro liberis hominibus habendi ſint? eamque recte decidit: Ex inſtituto gentis agreſtes non eſſe ſervos, ſed colonos cenſiticios, quod vel inde probetur, quia omnibus, qui in bonis Regiis habitant, liber ſemper ſit, quocunque voluerint abire, tranſitus. Sed Nobiles ſuos colonos immani & violento dominio feciſſe glebæ adſcriptitios, quibus laboribus quotidianis & extorſionibus usque adeo duri imperent, ut vitam miſerorum hominum viliorem, quam canum ſuorum, nonnulli ferociores domini habeant: eam crudelitatem Deum ſæpe plagis ſuis publicis ultum eſſe, & ulterius acerbioribus ulturum.

Quodſi Author perrexiſſet hujusmodi quæſtiones domeſticas, rationibus juſtitiæ naturalis, & temperamenti charitatis Chriſtianæ, perpetuis denique legibus Patriæ, & ſapientum Polonorum ac exterorum dictis enodare, dignam ſcriptionis procul dubio retuliſſet laudem & utilitatem. Nunc non niſi famelicis illis, qui meliorum ſunt ignari, in pretio eſſe poteſt.

XXXIV. ANDREÆ DE PILCA KORICINSKII, Caſtellani Viſlicenſis, *Perſpectiva Politica Regni Poloniæ, per quam quid & quomodo Regi & Regno proſpiciendum ſit, cognoſcitur*, cum præfatione ad fratris filium Stephanum, Anno 1652. Gedani curâ Forſteri typis pulcherrimis Belgicis edita.

Com-

Compoſuit Author libellum hunc ſtylo cunctante & poëticò, Ordine Emblematico, & ut ſententiarum ligamentis ſerviret, coactiſſimo; ſub imaginibus priſcarum Poloniæ formarum, Reipubl. Monarchicæ videlicet & Ariſtocraticæ, à primo Lecho usque ad Piaſtum, ex Hiſtoricis Dlugoſſo & Cromero deſumptis, perfectiſſimas leges electionis Regum, & totius gubernationis Reipubl. Polonæ adumbrans. Sic nepotem ſuum, Stephanum, ad electionem, poſt fata Vladislai IV. Regis Varſaviam tendentem, præceptis ſapientum copioſe inſtruxit.

De hoc Stephano Koriczynskio, Kochowski Climact. II. lib. 4. p. 301. honorificentiſſimè refert: Quod ſub Rege, Joh. Caſimiro, Cancellarii Regni munere fama integerrimâ functus, Anno 1658. mortuus ſit.

Non indignus quidem lectu libellus eſt, præſertim, ſi cui actis politicis præcepta moralia accommodare volupe ſit. Sed quia carmine melior, quam proſa genius Authoris fuit, ideò ſtudio argutiarum nimio, ſtylus impeditiſſimus lectorem fatigat magis, quam delectat.

Et dum gloriæ ac libertati Patriæ plane ſicut Deabus litat, intolerandas hyperboles inſperſit. E. g. à duodecim Palatinis, poſt Lechi ſtirpem electis, inquit: *Jus dicendum erat Germaniæ, Daniæ, aliis non Provinciis ſed Regnis, quæ Polona ſub Sceptra armis ierant.* Huc erroris exſtatici, Authorem & plures bonos viros, fabula de Viſimiro, & Imperio Polonorum in Slavos Venedos, de quâ jam ſuperius ſatis dictum fuit, deduxit. Et multa his ſimilia, in perſpicaciſſimis ejus Conſultationibus, occurrunt parodoxa, imò & quædam figmenta. Quodſi ad inſtar ipſius doctrinæ, Poloni reperirent Reges, & ipſi ſe Nobiles componerent, non in hâc ſentinâ vitiorum humanorum, ſed in Rep. Platonicâ, vel Mori Utopia, imo in Paradyſo Dei habitari dici poſſent.



Digitized by Google

XXXV. JOACHIMI PASTORII *Bellum Scythico-Coſaticum contra Regnum Poloniæ, ſub Rege Joanne Caſimiro profligatum.* Dantiſci Anno 1652.

Continet hic libellus motuum, â Coſacis Regno Poloniæ factorum, annos tres, videlicet â morte Vladislai IV. quæ in Majo Anno 1648. accidit, usque ad ſecundam cum Coſacis pactionem ad Bialacerkwam, ultimis Septembris Anno 1651, compoſitam. Sed non juſtæ hiſtoriæ Paſtorius rationem in hoc libello habuit, tantum ut Regi & Proceribus placeret, (cum adhuc Medicinæ Doctor cum titulo Hiſtoriographi Regii, & in eo eſſet, ut ejuratâ fide Evangelicâ, nomen Nobile ab Hirtenberg, mox & pingviora Eccleſiaſtica munia apud Romano-Catholicos ad dies curtæ vitæ hujus, vir inſipiens, utut doctus, emendicaret) has pagellas, ex Commentariis & Epiſtolis atque Relationibus Polonicis, quas in præfatione ad lectorem enumerat, Operi plenioris Hiſtoriæ, quod tunc meditabatur, maturè præmiſit.

Enimverò nec Hiſtoria hujus belli Scythico-Coſatici plenior, poſtea Anno 1680. ab Authore eodem, in octavo Gedani typis edita, adeò plena eſt, ut non ex Kochovio multis ſuppleri poſſit, neque ad plures quam hic prodromus annos, niſi ſeptem menſes, videlicet ad Majum 1652. cladem nempe Batovianam extenſa eſt. Sed de hâc Hiſtoriâ pleniori inferius dicendum erit.

Tantum hic noto: Paſtorium Panegyriſtam in dedicatione hujus libelli, fruſtra & vanè de ſtupendâ fortunæ & virtutum Regis Caſimiri commendatione laboraſſe, & hyperbolicas ſuas laudationes exhauſiſſe. Vidit enim Orbis mox ſeqvutis annis, ſtupendos nævos imperandi, iſtius externis factionibus Conjugis ſuæ obnoxii Regis, quibus internam quietem

Rei-

Digitized by Google

Reipubl. per oppreſſiones potentiſſimorum inſontium Civium, externam per inanem tituli Regni Sveciæ ambitionem, usque adeò turbavit, ut cladibus & devaſtationibus miſere afflictum Regnum vix, & vicinorum Principum ope retineret. Tandem cum bonâ gratiâ Polonorum, qui vivos Reges non ſine maximis motibus dimittere ſolent, de Throno ad Abbatiam Gallicam ceſſit.

XXXVI. RERUM, IN LITUANIA *per tempus rebellionis Ruſſicæ h. e. Coſacorum geſtarum Commentarius*, Libris duobus Elbingæ typis Anno 1655. editus. Continet hic quoque libellus, præcipue in Lituaniâ, & ab exercitu Lituano, contra rebelles Coſacos, Duce Januſſio Radzivilio, ab obitu Vladislai IV. Regis, nempe Majo 1648. Anni, usque ad compoſitionem ad Bialocerkwam, Septembrem videlicet Anno 1651. geſta: adductis etiam breviter quæ in Poloniâ acciderunt. Idcircò Paſtorii libello, hunc de rebus planè ejusdem tenoris, proximè apponendum duxi.

De Authore hujus Commentarii neminem legi quæſiviſſe, nedum notitiam anonymi profeſſum eſſe. Mihi legenti Paſtorii proximè elucidatum libellum, de bello Scytico-Coſatico, in cujus Præloquii ad Lectorem fine ita ſcripſit: *Sed de Lituanicis rebus legere quoque mihi contigit ipſius, qui præcipua ibi auſpiciis Regis geſſit, Illuſtriſſimi Principis Ianuſzii Radzivilii relationem.* Vero igitur ſimile videtur maximè, hunc eundem Commentarium, cujus delineationem manu ſcriptam Paſtorius inſpexerat, ab Alberto Wyjuk Kojalowicio melius elaboratum, notis rerum in Poloniâ tunc quoque geſtarum diductum, primo Regiomonti in duodecimo typis expreſſum Anno 1655. & iterùm Anno 1655. Elbingæ in formâ hâc quarta recuſum eſſe. Nam & brevis, ſed oculariter inſpectarum rerum narratio, &

 inge-

Digitized by Google

ingenuum ac judicioſum genus ſcribendi, facile ſententiam firmat, Principem Radzivilium diaria ſua viro docto & judicioſo, Kojalowicio, ad componendum hunc Commentarium ſuppeditaviſſe.

XXXVII. ADRIANI REGENVOLSCII SYSTEMA, *Hiſtorico-Chronologicum Eccleſiarum Slavonicarum, præcipuè Poloniæ, Bohemiæ, Lituaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ & Moraviæ*, Trajecti ad Rhenum typis impreſſum Anno 1652. Continet libellus hic Hiſtoriam Eccleſiaſticam, à Chriſti & Apoſtolorum tempore usque ad Annum 1650.

Sed opuſculum titulo ampliſſimo, non niſi arctiſſimi compendii nomine correſpondet. Et miramur omnes, neminem hucusque laborem ſumpſiſſe, Authorem hunc ad Hiſtoriam adeò neceſſarium, notis augendi atque ad noſtra tempora, quibus Eccleſiarum Evangelicarum in Slavonicis Provinciis miſerrima facies eſt, & usque ad fundum, quo jam pervenit decrementum, continuandi. Tale tamen opus ſub manibus doctiſſimorum Virorum Gedani atque Berolini, jam ſudare ſpes nobis facta: utinam juſtâ prolixitate, proportione tot diffuſiſſimarum Provinciarum Slavonicarum compoſitum, tandem in lucem prodeat!

Quis verus Auctor hujus Compendii adeò laudati fuerit, aliquâ obvolutum fuit dubietate. Giſebertus Voetius, Theol. in Acad. Ultraj. Prof. in præfatione fatetur: *Nihil in eo libro ſuum eſſe, ſed ſolummodò opus fidei ſuæ commiſſum Typographo traditum, & ad prælum porrectum fuiſſe.* Nomen tamen Authoris non expreſſit: ſed inde colligitur, Authorem in Belgio non fuiſſe circa editionem libri.

Hartknochius in Exercit. ad Chwalkovii Jus Publ. pag. 18. Item in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ Prutenicâ pag. 305. ſeqq.

No-

Digitized by Google

Nomen Adriani Regenvolſcii non eſſe genuinum, ſed ex Andreæ Wengerſcii nomine prono anagrammate effictum conjecit: Idque facile probare videtur, quod idem liber Amſtelodami Anno 1679. ſub nomine Andreæ Wengerſcii prodierit. Enimvero hæc opinio Hartknochii ſuas adhuc habuit difficultates. Author enim hujus libri pag. 417. 419. 433. 435. narrat, Andream Wengerſcium, Wenceslai filium, Alberti nepotem, Thomæ, Johannis, Alberti & Matthiæ fratrem, presbyterum Reformatæ Confeſſionis, jam Anno 1649. poſtquam incendio hoſtili Coſacorum omnia, in iis quoque Bibliothecam inſtructiſſimam perdidiſſet; Oreskoviæ in Majori Poloniâ mortuum fuiſſe. Cum igitur demum Anno 1652. liber publicatus fuerit typis, cauſam metus perſecutionis aut quamvis aliam non video, quare ſub ficto nomine liber impreſſus, & usque ad Annum 1650. ab anonymo editore continuatus ſit.

Nicolai Bergii, per Livoniam Superintendentis rationes, in Exercit. de Statu Eccleſ. & Religionis Moſcov. Anno 1704. Holmiæ editâ, & Lubecæ Anno 1709. recuſa, pag. 29. 30. quibus contra Wengerſcium, ſecundum editorem hujus libri pugnat, planè non ſunt aliæ, quàm quod Regenvolſcium verum fuiſſe Authorem hujus operis præſupponens, Wengerſcium, eundem librum Amſtelodami Anno 1679. tantum Colloquio cum Socinianis, & aliis paucis in appendice additis, ſub nomine ſuo Orbi exponentem, inter Plagiarios, quotquot ſol unquam viderat, impudentiſſimum dicit: ſed præterea nihil ad veri Authoris inquiſitionem affert.

Sed ſuper his dubiis quæſitus â me Vir doctus, & illarum rerum Eccleſiaſticarum apprimè gnarus, Chodowiecki, Rector Scholæ Reformatæ Gedanenſis, me monuit, omninò ita rem ſe habere. Quod nempe Thomas Wengerſcius, frater Andreæ

Digitized by Google

dreæ, Opuſculum hoc flammis hoſtilibus ereptum, poſt obitum fratris ab interitu vindicans, idem cum continuatione pauculâ, metu perſecutorum Romanenſium, ſub ficto nomine Regenvolſcii, ope Voëtii typis Ultrajecti ediderit. Cujus libri cum bibliopola multis adhuc exemplaribus oneratus eſſet, Socinianus quidam, eundem planè librum inſigni, ſed bibliopolis uſitato fuco, mutato titulô priori, & adiectâ appendice, in quâ errores ſuos heterodoxos aſperſit, atque, ut tanquam novum opus magis commendaret, veri Authoris, nomine, videlicet Andreæ Wengerſcii ſubſcripto, Amſtelodami divulgavit Anno 1679. Huic igitur vero ſimili narrationi acquieſco, quam in futurâ editione libri hujus, ad noſtra tempora continuati (in quâ etiam hic Chodoviecius laborat) evidentiùs lectori expoſitum iri ſpero.

Cæterùm Author hic hiſtoriam libris quatuor (1.) de origine & ſucceſſu Eccleſiarum Chriſti in Regnis Slavonicis, ab initio lucis Evangelicæ uſque ad Annum 1650. (2) de perſecutionibus Eccleſiarum harum. (3) de Theologis & Paſtoribus Eccleſiarum fidelium. (4) de Græco-Ruſſorum Eccleſiis in Poloniâ & Lithuaniâ, brevitèr quidem, ſed ſatis accuratè, ex quamplurimis ſcriniis doctorum, actis publicis, & Authoribus manuſcriptis vel etiam impreſſis, ingenio & modeſtia ſingulari, abſque ullius objurgatione, aut diſſentiendi ſtudio, fideque inculpatâ pertractavit.

Ita ut opus digniſſimum fecerint, quicunque hunc librum, exponendo cauſas & modos ferè jam exſtirpatarum Eccleſiarum Evangelicarum in Regnis Slavonicis (quod juſto quidem judicio Dei accidit, qui ingratos homines in illis quoque Regnis, ſicut olim in Aſiaticis, tanquam indignos hoc ſale ſapientiæ ſuæ ſpoliat, & enormia peccata incolarum ſiti ac fame verbi ſui vindicat) continuare velint & poſſint. XXXVIII.

Digitized by Google

XXXVIII. ALBERTI WYUK KOIALOWICZY, Soc. Jeſ. & S. Theologiæ Doctoris, *Hiſtoriæ Lituaniæ pars prior*, res Lituanorum ab Anno Chriſti 366, ex traditionibus & conjecturis incertis collectas, usque ad Annum 1386. quo Lituania per Ducem Jagellonem Poloniæ juncta, & ad Chriſtum converſa eſt, formâ typisque elegantibus, curâ Fœrſteri Bibliopolæ Gedanenſis Anno 1650. edita. *Item pars altera*, res Litnanorum, â conjunctione illa Poloniæ, ab Anno 1387. usque ad Annum 1572. nempe perfectam tunc reipſa unionem horum Regnorum, & mortem Regis Sigiſmundi Auguſti, narrans; eodem Authore Antwerpiæ Anno 1669. typis Jacobi Meurſii edita.

Verba initialia libri primi P. I. aperte docent, Authorem hunc non ex ſuis Commentariis compoſuiſſe hanc hiſtoriam; ſed eandem ex Chronico magno Matthiæ Strikowski Oſſoſtovicii Polonico idiomate ſcripto, inter Polonicas, Ruſſicas, Pruſſicas, Livonicas & Moſcoviticas, initio medio & fine ſparſas res Lituanicas collegiſſe, ſecundum artem judicio bono diſpoſuiſſe, & Latinè transtuliſſe. Promiſit quidem Strykovius in ſuo Chronico illo Polonico Regiomonti Anno 1587. edito, ſe librum ſuum tanto labore congeſtum, dum vita ſuppeteret, Latinè & Germanicè quoque editurum: verum morte præventus, utilisſimum hunc laborem, viro digniſſimo Kojałovicio reliquit. Qui Strykovium, ob paucitatem exemplarium paucis jam, & quidem Polonicæ tantùm lingvæ gnaris notum, quantum ad res Lituanicas, ab interitu vindicans, propoſitum opus multâ laude perfecit.

Prima ingenuitatis ejus laus eſt, quod Viro optimè de patriâ ſua merito, Strykovio, integram prout ipſe loquitur, reſervaverit opinionem. Secunda, quod ſtylo perviriii & æquabili



Digitized by Google

bili ſcripſerit. Tertia, quod nullo adulationis aut odii pruritu infectus, res ferè ſemper quales in Strykovio & paucis aliis invenit, aut rationabiliter veræ ipſi ſunt viſæ, probâ narratione perſequatur. Mihi certè hæ virtutes, quo magis Hiſtorico neceſſariæ, corruptiſſimis Seculis his, præſertim Viris Eccleſiaſticis, quibus tantum ex dirâ perſecutione fidelium paratiſſima laus eſt, mitiora autem ingenia ſine gloriâ ſunt, rariſſimæ & dignæ videntur omni luculento elogio.

Quam vulgare crimen plagii inter literatos ſit, quo fuci mel à laborioſis apibus congeſtum, vi aut clam depaſcere, laudemque ſuam alieno ornatu præripere audent, paſſim ingenuis probisque viris doletur. Et hic ipſe Strykovius, in ſuâ Sarmatiâ Europæa, adhuc vivus à Thraſone Gvagnino paſſus eſt. Quid niſi probitas Kojalovicio obſtitit, quo minus excerptas ex Strykovii Chronico res Lituanicas, Latinè recoctas, ſuo proprio titulo inſcripſerit: Strykovio cum aliis Chronicorum vel annalium Scriptoribus, in indicem Authorum, quos ſe habere fingere potuiſſet, rejecto. Neque hoc ipſi facile fraudi fuiſſet, cum Strykovii liber jam ſit rariſſimus, & collatio diffuſi rebus tot Slavonicarum nationum Chronici, cum hac Kojalovicii ordinate & continuè ſcriptâ Hiſtoria, difficillima.

Stylus Authoris propterea laudandus eſt, quod non ſecundum ingenium aliorum auresque ſeculi, effœminatum dicendi genus ex centonibus phraſium conſuere, ſed ex genio ſuo & naturâ ſpontè fluente facundiâ uti maluerit: (Eſt enim ſermo Flumen animi, cuique, licet arte quæſitâ copia dicendi, naturali inſtinctu quaſi proprium:) Et propterea, omnis fucatæ dicacitatis in rebus ſeriis inimicus, P. II. Lib. 6. ſapientèr proclamat: *Nondum*, inquit, *Respubl. à manu rebusque gerendis, ad linguam & umbratiles ac propè de ludo facundorum concertationes translata fuerat.*

In

In rebus porrò narrandis, rara hujus viri eminet modeſtia, ob Religionem aut hoſtilitatem patriæ, non, prout ferè quam plurimi Scriptores, conviciorum & maledicentiæ ſtercus Lectori ingerit, ſed res nude abſque præjudicio ſuo exponit, perſonalibus odiis prudentiſſimè omiſſis. Quam virtutem in rebus Crucigerorum, & Magnatum patriæ ſuæ, à religione Romanâ diſſidentium, evidenter ſervavit.

Idcircò P. II. Lib. 7. Alberti Ducis Pruſſiæ mutatam Religionem, & extinctum Ordinem Crucigerorum tangens, nullum ipſi probrum, ſicut alii prætextu errantis conſcientiæ ſuæ, maledicere ſoliti, facit. Et dum in Præfat. P. II. juxta laudes Pauli Sapiehæ Palatini Vilnenſis, Januſzy Radzivilii Ducis (Reformatæ Religionis) præcipitatam deditionem Svecis Anno 1655. factam, commodè cum aliis perſtringere potuiſſet, ipſe rariſſima Clericorum modeſtiâ, factum Ducis velare quam infenſo calamo lacerare maluit: *Rempubl.* inquiens, *ab ipſo deſertam, quia deperditam putabat, & ſic coactus ſub nova Imperia conceſſit.* Nam & cæteri dediti tunc Svecis exercitus Regni Poloniæ, cum Ducibus ſuis utut Romano-Catholicis, juſtam Authori ingenuo exculpandi factum Radzivilii præbuerant cauſam, quam alii zelo Religionis cœci non attenderunt. Denique laudibus Sapiehanæ domus præfationes Primæ & Secundæ Partis impendens, nihil adulationi aut inviſo verborum lenocinio conceſſit; Adeò Vir probus, mitis, conſtans tamen & ſeverus in omni parte operis ſui apparet.

Utinam talem prudentiæ & pietatis opinionem, rudibus & fabuloſis Miſcellaneis (ſi, quod valdè dubito, ipſius fœtus eſt) de rebus Eccleſiaſticis Lituaniæ, Vilnæ Anno 1650. typis editis, ac laudem quam Hiſtoriæ hujus opere meruit, non fœdaſſet. Nam in iis præter convitia in fideles, & ſuperſtitioſa ſuo-



Digitized by Google

rum canoniſatorum encomia, fabuloſus adeò eſt, ut Nicolaum Ducem Radzivilium, miraculo caponis aſſati, die Veneris appoſiti, ex paropſide in pedes erecti, & concuſſis alis cantantis, ab Evangelicorum ad Pontificiam doctrinam converſum fuiſſe credat, virisque prudentibus obtrudere auſus ſit. Sudrovium, pietatis & eruditionis magnæ apud ſuos Eccleſiaſten Reformatum, Regenvolſcio in Syſt. Eccl. pag. 439. tantoperè laudatum, odio planè inhumano, fide, in arte convitiandi exercitatiſſimi Cichocii, Carnificem Leopoli egiſſe, mentiri non erubuit. De Sanctis verò ſuis & Imaginibus, tantas fabulas ex ſomniis, quibus Socii ejus tres Orbis partes humeris portare viſi, etiam cum Juramento aſſerere non dubitavit. Itaque Hiſtoriam ejus Lituaniæ legentibus, magna ſuſpicio fraudis, Schediaſma hoc nomini tam judicioſi viri ab impoſtore ſubjectum, aut Koialovicium talia orbi publicantem mente motum fuiſſe ſuboriatur.

Optandum magis ut Pars tertia hiſtoriæ hujus, ab Authore perfecta luci detur, ſicut ipſe in Præfat. P. II. promiſit. Fortè enim fato præventi Authoris opus perfectum latet, & â ſociis amicis ejus hactenus neglectum fuit: Sin periit, ut illud par probitate & ingenio Hiſtoricus, ad noſtra usque tempora proſequatur.

Nihilominùs, quia non niſi eventus bellorum & actorum publicorum Lituaniæ narrat, prout in rebus vetuſtis, quarum ultimæ Seculo integro ipſum anteceſſerunt, aliter non potuit, quemadmodum à Strikovio accepit: Ideò ad claſſem principum Hiſtoricorum, qui deliberationes & conſilia rebus geſtis præmittunt, Kojalovicius non pertingit, ſed boni Compendiatoris laudem eximiè meretur.

Occurrunt etiam in illo errores quidam hiſtorici, e. g. quod

quod Magiſtrum Pruſſiæ Anno 1410. in prælio Tannebergenſi cæſum, Conradum appellat, qui tunc, Conrado triennio ante hoc prælium jam mortuo, fuit Ulricus. Item, quod Sigismundum Imperatorem, & Venceslaum Anno 1410. Romanorum Regem facit: Cum Venceslaus jam Anno 1400. ab Imperio depoſitus, & Sigismundus frater Rex Hungariæ, poſt eundem Venceslaum, Friderico Brunſvicenſi, Ruperto Palatino, & Jodoco Moravienſi, demùm Anno 1411. in Imperio ſucceſſerit.

In cauſis quoque juſtificis bellorum cum Crucigeris, ſemper his inquior, injuſta acta & fraudes Vitoldi ſilentio obvolvit. Sed virum hunc in cæteris ſatis æquum, Scriptorum Polonorum, extranea perpetuò vituperantium, ſua vero nimis juſtificantium conſenſu abreptum, Prutenicorum Chronicorum plane expertem, ita illis conſonare, quis miretur? Indicem quoque nullum operi adjecit, quæ negligentia Polonis Scriptoribus familiaris, Lectoribus difficilem relinquit evolvendi laborem.

XXXIX. STANISLAI KOBIERZYCKI, Caſtellani Gedanenſis, *Hiſtoria Vladislai Poloniæ Principis*, typis pulcherrimis edita â Forſtero Gedani Anno 1655.

In hâc Hiſtoriâ Author, non adeò vitam Principis Regii Vladislai (quem ut orientem ſolem, præ Patre ſcripto hoc adorare voluit) quàm præcipuas res ab Anno 1595. ad Annum 1633. mortem videlicet Sigiſmundi III. Regis, & ſucceſſionem Vladislai in Thronum paternum, publicè in Regno Poloniæ, difficillimis ſed proſperis bellis contra Moſchos, Turcas, & Tataros geſtas, ſtylo bono & virili, fide cæteris quoque Scriptoribus illius temporis probatâ, modo certè ſummis Hiſtoricis competenti, videlicet potiſſimis rerum eventibus & actis publicis



Digitized by Google

Conſilia & deliberationes agentium præmittens, deſcripſit; adeò optimis Polonorum merito accenſendus eſt Scriptoribus.

Niſi quod arctis nimium cancellis ſeſe continens, res quibus Vladislaus Princeps annis illis non intervenit, per remiſſionem ad alios Scriptores attingere tantum voluerit. Quo majus deſiderium his, qui bonitatem hiſtoriæ intelligunt, reliquit, videndi ejusdem Authoris Commentarios, quibus ſe tempora Vladislai hujus jam Regis, ab Anno ſcilicet 1633. ad finem vitæ ejus Annum 1648. publico communicaturum, præfationis initio promiſit, qui tamen ſocordiâ heredum tanti viri, ſuppreſſi aut planè deperditi ſunt.

XXXX. ALBERTI INES Soc. Jeſu. *Lechias, i. e. Ducum ac Regum Poloniæ, à Lecho usque, Elogia Hiſtorico-Politica, & Panegyrico-Lyrica*, Cracoviæ Anno 1655. typis expreſſa. Si quos animum à lectione veræ & planæ hiſtoriæ, verborum popiſmo demulcere & reficere juvat, iis hic Author voluptatem afferre poteſt, præ aliis in hoc genere rudioribus. Et tales facile veniam dabunt erroribus ejus hiſtoricis, ſuperſtitioſis gentilium expreſſionibus, & adulationibus. Dum e. g. Philoſophum Ethnicum, in divinis rebus ſolo rationis lumine, quaſi de ſylveſtri cacumine, quod ait S. Auguſtinus, nec ſibi neu aliis veram cœleſtis patriæ viam monſtrantem, divinum Platonem; coecam injuſtamque fortunam, Johannem Caſimirum Regem poſt Reges natos fortiſſimum & fortunatiſſimum, & mille hujusmodi, vel pejora, homine Chriſtiano ſevero & probo indigna, propter commodam aliquam ſententiæ connnexionem, aut ob metrum intruſit.

Ita nempe periculi falſarum opinionum incurioſi, titillatione vocabulorum capti, nugas & affabre aſperſa perſonis & rebus figmenta, aut ſi quid ex vero habent, multis involuta fabu-

Digitized by Google

fabulis, ſectantur Chriſtianæ veritatis alumni, ultrò cum Ethnicis cœcis delirantes. Sic inexpertam juventutem, ad ſolem veritatis nictare, apertis autem oculis in illorum profanas tenebras præcipitare docent Poëtæ. Quibus ſcandaloſis ſtudiis, tanquam Flumini Tartareo, quibus filii Adam volvuntur, propterea Sanctus Auguſtinus Lib. 1. Confeſſ. Cap. 16. væ inclamat!

Jam ipſi cordatiores Ethnicorum agnoverunt, Poëſin fabuloſam illam, qualis quidem fere omnis adhuc eſt, eſſe veritati damnoſiſſimam; Adeò, ut Socrates non putarit eſſe Poëſin, à quâ abeſſet mendacium. Plutarchus de Aud. Poë. §. 6. Qui Solonem Tragœdo exprobrantem, *quod eum in tanta multitudine Virorum tanta mendacia proferre non puderet, & huic, quod luſus tantum ſit excuſanti, reſpondiſſe: Sed ea mox in Contractibus videbimus*, refert in Solone. Et Ælianus de Var. Hiſt. Lib. 5. cap. 21. Euripidem fabulam de Medeâ & Colchide finxiſſe, à Corinthiis rogatum: *Sic*, inquit, *à mendacio veritas ſuperata eſt, propter Poëtæ præſtantiam.*

Quomodo igitur putes, in horrendo illo judicio Dei evaſuros Poëtas Chriſtianos, qui vix ullum verſum absque dæmonum & fabularum gentilium luſu, ad imitationem lingentium vomitum Homeri, componunt! Quod Deus ſeverè prohibuit: Nomen externorum Deorum non audietur de ore veſtro, Exodi cap. 23.

XLI. JOANNES STEPHANUS WYDZGA, Epiſcopus Luceorcenſis (poſtea Varmienſis, denique Archiep. Gneſnenſ.) tunc Cancellarius Reginæ Ludovicæ Mariæ, eidemque comes in Sileſiam, à Svecis è Regno, ſimul cum marito Rege Johanne Caſimiro Anno 1655. exulis, ſcripſit *Hiſtoriam præcipuarum rerum, tempore belli cum Svecis ab Anno* 1655. *ad An-*

Digitized by Google

*Annum* 1660. *in aulâ regia Pol. geſtarum*, lingvâ patriâ. Qui libellus in Poloniâ, præter Magnates nonnullos, quorum avis opuſculum Author ipſe diſtribuerat, pauciſſimis impreſſis exemplaribus, omiſſo quoque ex opinione dignitatis ſuæ nomine, locoque ac Typographo, ignotiſſimus eſt: Me quoque latuiſſet, niſi Hartknochius in Exercitatione ad Jus publicum Chwalkowii pag. 10. de eo monuiſſet.

Enimverò rubrum libri, ampliſſimam cognitionem arcanorum iſtius ævi promittens, Author in nigro, ad ſola Conſilia geſta & Virtutes Ludovicæ Reginæ, quam impensè laudat, & ad ſolum hunc Scopum expreſſis pag. 3. verbis reduxit. *De adulationis crimine, tanquàm nulla re, quapropter adulari cogeretur, opus haberet, nec ei de vento tali cibus, neu promptum in adulationes ingenium ſit.* pag. 5. ſeverò proteſtatus. Sed qui ex actis illius temporis, Kochowskii quoque annalibus, factiones iſtius Reginæ, duorum fratrum uxoris, tum mores ejus â teneris, ex relationibus exterorum legit, vafrum quidem, & propter cognati ſangvinis ſui ad Thronum evectionem, usque ad perditionem Regni, ac usque adeò probroſam abdicationem Regis, fiti ipſius mariti, ſtrenuè laborioſum ingenium fœminæ, quæ ad omnia Regem miſerè ſequacem perpulit, non ingenuas Regnoque ſalutares virtutes ejus admiratur.

Cæterum ex propoſito Authori Reginæ ſuæ præconio, facile conjicere lector poteſt, quod pro beneficiis honorum ei obnoxius, ſimul commodè collectas Scriptorum Veterum Sententias, è ſcriniis ſuis oſtentaturus, (nam pag. 5. Aphoriſmos Statûs, monita, doctrinas, & obſervata politica, Authorum verbis adſcripta, ipſe commendat) opuſculum hoc, non utilitati publicæ, quam præ ſe fert, ſed permulcendis in Reginam exacerbatis Polonorum animis, ſcripſerit. Idque Anno 1665.

vi-

vivente Regina, & fumante adhuc civili buſto, quod fax illa adverſus Mareſchallum Regni Lubomirſcium, qui mox ſecum exercitum ac pleroſque Palatinatus traxit, incenderat. Nam pag. 114. pacem internam Patriæ optat, quæ demùm Anno 1666. proxime mortem Reginæ contigit: pag. 60. autem Archiepiſcopum Gneſnenſem, Venceslaum Leſcinskium (is enim de pace cum Electore, adhuc Epiſcopus Varmienſis unà cum Gonſzewskio, Theſaurario M. D. Lit. Regiomonti tractaverat) tunc, quando ſcripſit, memorat; qui Anno 1666. mortuus eſt.

Quia nihilominùs omnia rara, licet minus pretioſa, ſunt chara, hic quoque libellus dignum inter Scriptores Polonos locum occupat, & his, qui curioſa magis quam utilia aucupantur, poteſt eſſe gratus, ſed parum utilis.

XLII. SAMUEL Z SKRZYPNY TWARDOWSKI, *Legationem Chriſtophori Ducis in Zbaras*, à Rege Sigismundo III. poſt felicem ad Chocimum Oſmani Turcarum Sultani, immani exercitu Poloniæ interitum minati, repulſum, ad confirmationem novæ amicitiæ Byzantium Anno 1621. miſſi, patrio carmine cecinit. Quod Cracoviæ primò, nunc Vilnæ typis Societatis Jeſuiticæ recuſum Anno 1706.

Quandoquidem Author comes à ſecretis Epiſtolis Legato illi fuit, pleraque viſa & audita fide bonâ connotavit, quæ lingvæ Polonæ gnaris, præſertim Turcarum mores & ceremonias aulicas, militares & domeſticas, noſcere cupientibus, legere jucundum: Et quoniam Twardowski adhuc juvenis hìc Spiritus poeticos altè extulit, artisque Coryphæos antiquos, digreſſionibus, allegoriis & ſententiis non infeliciter imitatus, etiam amœnum eſt. Eandem hanc Legationem Samuel Kuſzewicz,

 pro-

Digitized by Google

proſa, ſtylo exculto, ſed narratione in pluribus rebus decurtatâ Anno 1645. Gedanenſibus typis edidit.

Ejusdem Authoris *Miſcellanea Selecta*, Caliſii impreſſa Anno 1681. In his panegyrica & epicedia Vladislao IV. Regi, Alexandro Carolo fratri ejus, ac nonnullis Senatoribus Regni ſcripta, Polonici carminis amantes digna lectu; Sed quæ ſequuntur ejusdem imitamenta odarum Horatii & Sarbievii, eodem lepore Polonico expreſſa judicabunt, quo Latina Poëtarum illorum circum præcordia ludunt.

Enimverò in ſolenni carmine præſagium ejus, quo Regi Veciæ Carolo Guſtavo, perpetuam jam dominationem, & cum Veciâ conjunctionem Regni Poloniæ ominatus eſt, imbecillitas humana Authori expreſſit: Qui in illo Patriæ per tot hoſtes laceratæ tumultu, relucentem usquàm ſolem tranquillitatis proſpicere non potuit; Cujus præcipitati ominis eum poſteà pœnituiſſe non dubito.

XLIII. CASIMIRUS ZAWADSKI, Capitaneus Pucenſis, poſteà Caſtellanus Culmenſis, adhuc juvenis ſcripſit Anno 1670. geſta Comitiorum electionis Michaelis Regis, titulo tali: *Gloria orbi Sarmatico conſenſu monſtrata, â Deo data.*

In eo Scripto, ſtylo quidem inæquali & impedito, nonnullis quoque Solœciſmis verborum vitiato, ſed mordacibus ſententiis, Civium ſuorum tumultuarias, factionibus diſtractas, aut largitionibus corruptas deliberationes publicas, verâ ſatis, ſed præmaturâ parænesi taxavit. Ipſe non usque adeò â vitiis illis libertatis purus, niſi quod naturâ moroſus, ideò â ſocietatibus factioſorum neglectus, ad caſtigandum aliorum mores proclivior eſſet.

Narrat autem omnia acta iſtorum Comitiorum, prout dietim in Publico geſta ſunt, nullis factioſorum arcanis (quod tamen

tamen præ ſe fert) cum exterorum Candidatorum miniſtris, aut Reipubl. capitibus, Coronam ambientibus, negotiationibus patefactis; Quæ illi tanquam juveni forte & inſociabili non innotuerunt. Proindè ſcriptum hoc meri Electionis diarii vicem ſupplet, & exteris confuſionem conſiliorum Poloniæ arguentibus, Authoris emphatica teſtimonia ſuppeditat.

Idem acta Comitiorum ſub eodem Rege Michaele omnium titulo: HISTORIÆ ARCANÆ, *ſive Annalium Polonicorum Libris VII.* diligens connotavit, quæ poſt ejus fata Anno 1699. prodiere. Primus equidem liber hujusce ſcripti, diarium Electionis Annó 1670. titulo Gloriæ Orbi Sarmatico conſenſu monſtratæ, jam publicatum, verbotenus exhibet. In ſecundo & ſequentibus, ob immane odium Capitum Reipubl. inertiam Regis deſpicientium, & ad Abdicationem Sceptri eum propellentium, ſeceſſione â partibus Regiis factâ, ruptisque quatuor Comitiorum Regni Conſiliis, Turcis & Tataris, poſt occupationem Kameneci Podoliæ, interim usque cis Leopolim omnia ferro & igne ſecurè vaſtantibus, habuit Zawadski quod pro patria zelaret, mores civium increparet, connatamque acerbitatem ſuam, cum omine perituræ Reipublicæ, in factioſos effunderet.

Sed arcanorum in toto libello invenias nihil, quæ aut ipſe neſcivit, aut potentiâ illorum territus ſiluit. Annalium quoque titulo abuſus eſt: nam præter ephemerides illas Comitiorum, quæ in aulâ Regiâ, in exercitu, & alibi publice geſta ſunt, ne Commentarii quidem brevitate narrat, ſed plane omittit. Juſtam ſanè hiſtoriam Poloniæ, ab exceſſu Johannis Caſimiri Regis, cum quo Kochowski finiit, Michaelis nempe & Johannis Regum Imperia, qui compoſuerit, hactenùs apparuit nemo.



Digitized by Google

XLIV. Idem CASIMIRUS ZAWADSKI, adhuc Capitaneus Pucenſis, domi ſuæ elaborata monita politica, usque ad Regiæ Majeſtatis imperandi regulam evalitura perſvaſus, Anno 1676. in Comitiis Coronationis Cracoviæ, typis ibidem excuſum, ***Exilem Tractatum ſuper advertentiam defectuum in capitibus Imperii Sarmatici***, Regi Johanni tanquam normam regnandi obtulit. Quem Rex prudens, ob liberrime objurgata vitia Ordinum, viri audaciam diſſimulans benignè ſuſcepit; Seculares quoque Senatorii ac Equeſtris Ordinum, in eodem libello correpti, aut neglexerunt, aut contempſerunt.

Quem admodùm nec olim ***Franciſco Goſlavo de Nadarzice*** damno vel injuriæ evenit ***Parœneſis***, Anno 1577. electo Regi Stephano oblata, & Poſnaniæ Anno 1578. typis publicata: Quâ Regem de corrigendis Judiciis, violentiis, & corruptiſſimis Polonorum, domi, militiæ, & in publicis negotiis, moribus, liberè ſed modeſtè admonuit.

Aſt Eccleſiaſtici, ad quaſvis correctiones morum, quos libertatis & immunitatis Ordinis ſacri titulo obvolvunt, implacabiles, ſtatim magno ardore vindictam ſpirarunt. Et Zawadskium metu tantæ potentiæ Cracoviâ elapſum, Epiſcopus Cracovienſis, Citatione die 13. Maji 1676. his verbis ſcriptâ. ***Pro crimine, quod libellum, cum vilipendio Jurisdictionis noſtræ, typis vulgare, inque eo Statum Eccleſiaſticum, & alios magnos Viros in Republ detractorie & indignè tractare præſumpſerit: Ad videndum libellum infamem declarari, & ad rogum publicum condemnari, pœnasque legum in foro competenti contra eum urgeri &c.*** ad tribunal ſuum evocavit. Donec interceſſione amicorum Epiſcopis ægrè placatis, per humilem deprecationem, & amiſſionem plerorumque exemplarium iſtius libelli, pœnas ſibi imminentes

Author

Author evaſit. Quod ipſe Author jam Caſtellanus, mihi aliquoties cum dolore narravit.

Certè ea quæ contra abuſus & nimiam potentiam Cleri parcè ſatis cap. 4. peroravit, tam duram vindictam & judicium non meruerunt. Enimverò acerbæ & falſæ relationes, quibus in jura vicinorum Principum, & Civitatum Pruſſiæ Polonicæ, invectus eſt, eam pœnam juſtiori animadverſione illi accerſivere. Nihilominùs idem Zawadskius jam Senator, favore aulæ Regiæ & ſua Authoritate nixus, inimicos primæ hujus editionis, alterâ Varſaviæ Anno 1690. impreſſâ ultus eſt. Quam adjectis periodis nonnullis, & apographis Pactorum Velavienſium, Proceſſus judiciarii Ducis Curlandiæ in cauſâ Piltinenſi, item decretis & literis Regiis, quibus in Principes vicinos, atque Civitates Gedanenſem & Elbingenſem, odium ſuum explevit, tertiâ parte auctiorem, ſub diplomate approbationis Regiæ, recoxit. Nulla reprehenſione Cleri prioris editionis omiſſa, eâdem acerbitate ſtyli tetrici & merè epanorthotici, erroribus falſisque invectivis ſuis (in illâ maturâ ætate, quâ veriora de negotiis quæ declamare propoſuerat, ſcire debuit) nullibi correctis, imo atrâ ſuâ bile magis infectis.

Non eſt inſtituti mei hìc errores Authoris, in hiſtoriâ, Juribus, negotiis publicis, neu virulentos ejus diſcurſus adverſus Sereniſſimam Domum Brandeburgicam, aut ea quæ contra Civitates Gedanum atque Elbingam injurioſe detonuit, juſtis rationibus refutare. De illis enim in Animadverſionibus ad jura Pruſſiæ cardinalia eorumque uſum modernum, commodè egi: Cætera contemptu, quia rerum gnaris non vera eſſe primo intuitu conſtat, aut morâ jam eviluerunt. Hoc tantum lectorem libelli præmoneo, quid Author vir naturâ tetricus, hominum, præſertim Principum & Civitatum opulentarum ac bene



Digitized by Google

ordinatarum oſor, invidiâ flagrans, fiduciâ ſtyli affectati & mordacis, negotia nunquam ſatis ex actis publicis evoluta & cognita, malevolorum aliorum, ignorantiâ & affectibus abreptorum ſermones, pro documentis ſequutus, multa ex falſis diſcurſibus Cenſuræ Candidatorum Electionis Regiæ Anno 1669. editæ, & ſimilibus hauſit, & quicquid iræ ſuæ placitum inveniſſet, nullâ alteriùs partis argumentorum habitâ ratione, ſuo aſſeruit commentario. Qui ſolennis mos eſt Scriptorum laboris impatientium, affectibus indulgentium, & ſcientiæ ſuæ umbras dictis & ſcriptis antecurrentium, ut in iis magis odioſi animi impetus, quam religioſæ orationis ſub teſtibus fides appareat.

Inde Authoris ſphalmata hiſtorica, temporum perſonarumve metabaſes, & ob neglectam laborioſam evolutionem librorum, actorumque & urium oppoſitorum, rerum ipſarum ignorantia, denique animus in perniciem vicinorum anhelans, quâ tamen claſſicum canentis patria (ſi Regem infenſiſſimè ſcripto audientem habuiſſet) & ipſe inter primos conflagraſſet. Sed Rex ille prudens, ſilentio aut contemptu faces hujusmodi, quales iterùm poſt Zawadskium, Opalinski Epiſcopus Culmenſis ante alios irâ præceps, incendere amavit, extinxit. Idem Rex ſæpe de violentiis hujus Caſtellani, hominis inquieti per paucos iræ ſuæ miniſtros, inſtar militum armatos, vicinis Nobilibus, Civibus, & Inſulanis Mariæburgenſibus illatis, ut terrori in Pruſſiâ Polona eſſet omnibus, audiens, eum Ordam Pruſſicam, h. e. Tatarorum manum appellavit.

Tandem multis doloribus & morbis fractus, à moroſitate inhumanâ hic Caſtellanus reſipuit, de anteactis & ſcriptis multum pœnituit, & ſi omnia virulenti hujus tractatus exilis exemplaria redimere potuiſſet, igne delere ſibi peroptavit. Cum vicinis & notis amicè ultimos annos vitæ exegit, denique Anno

Digitized by Google

Anno 1691. ipſa nocte Reſurrectionis Chriſti, ſuper hunc lapidem ſalutis, abjectis omnibus humanis fabulis, Medici Mariæburgenſis (qui morbi ejus adminiſter fuerat, & mihi hoc retulit,) piis adhortationibus erectus, in Domino obdormivit.

XLV. NICOLAI CHWALKOWSKI Ducis Curlandiæ in aula Regiâ Pol. reſidentis Conſiliarii, *Jus publicum Regni Poloniæ*, alterâ hâc editione prodiit Anno 1684. Regiomonti.

Quam indiligenter, absque accuratâ, & pro tantâ materiâ ampliſſimè deductâ tractatione, Author librum hunc deproperaverit, ſatis *Exercitatio*, quæ tribuitur Hartknochio Anno ſequenti 1685. edita, & huic volumini annexa, ſicut virum ſedulum, & nihil, niſi quoad induſtriâ ſuâ humanâ usque pertingere potuit, ſcribere ſvetum, decuit, ſatis evidenter demonſtrat. Proindè Exercitatio ea omni lectori, qui vera â falſis aut negligenter omiſſis cognoſcere cupit, ſummopere neceſſaria eſt.

Habuit Chwalkowskius impulſum ad ſcribendum aliquid, opinionemque ſibi ſcientiæ & eruditionis in aulâ Polonâ acquirendam, ſed judicii & induſtriæ ad benè & exactè ſcribendum utilia, habuit parum. Quod etiam *Effata Regum Poloniæ*, ab eo Varſaviæ Anno 1694. item *Singularia Poloniæ*, ibidem Anno 1696. edita teſtantur. Paſſim enim in Hiſtoricis obvia, ſine ſelectu exſcripſit aut trita aut inutilia, quæ ad cognitionem Hiſtoriæ vel Juris Publici nihil juvant.

XLVI. GASPARUS CICHOCKI Anatomiam Conſilii de pellendis Regno Jeſuitis (quod ſcriptum Anonymi per Poloniam tunc circumferebatur) Anno 1611. Cracoviæ; Et mox ad ejus complementum, *Alloquiorum Oſiecenſium* titulo, Libris V. Anno 1615. tanquam Sermones Sympoſiacos ſive convivales, imitatione Plutarchi & aliorum, typis publicavit.

In

Digitized by Google

In amplis his capitibus verò, occaſione cauſæ pro Jeſuitis ſuſceptæ, omnes ingenii & facundiæ ſuæ vires, in convitiis, objurgationibus, calumniis, ac falſis criminationibus, quicquid irarum immanis furor ciere poteſt, adverſus Diſſidentes â Romanâ Eccleſiâ explevit. Nec quidem ſuper articulis doctrinæ, prout aliis, ipſi fuit tantus zelus, ſed meris perſonalibus odiis in viros Eccleſiaſticos Diſſidentium, imo in Reges & Principes ſeſe ſatiavit, ingeniumque multis inanibus, & ut riſum ſuis moveret, ineptis propoſitionibus jocisque aculeatiſſimis exercuit: e. g. ut Germanis improperium faceret, caligas eorum Polonis à Plutone Pludry vocari inepte jocatus; ſimiliter in cæteris. Catalogum tamen inſignium virorum Nobilium Poloniæ, ab agnitâ veritate Evangelii, ad excelſam potentiſſimamque in hoc ſeculo religionem relapſorum, cum elogiis familiarum iſtarum Lib. 2. contexuit.

Quodſi vir ille ſatis bonis literis inſtructus, lingvâ & calamo potens, melioribus vim ingenii exercuiſſet, ſtipularum harum & fœni (non tamen fidei Chriſtianæ fundamento, neque ex ejus Spiritu charitatis & manſvetudinis ſuperædificatorum) in die illo ignis, tam ingens damnum non foret paſſurus; Qui diu adhuc poſt mortem ſuam impio labore ſuo peccat, & peccare facit. Omnes enim Polonorum & Lituanorum Scriptores Eccleſiaſtici immodeſti, blaſphemiis & convitiis, ex hoc Cichocio, tanquam avthenticis, in Diſſidentes debachantur. Cæterùm hæc tantum ad præcautionem eorum qui titulo Alloquiorum decepti, quævis alia utilia ſibi promittere poſſint, quemadmodum mihi quoque accidit, recenſere volui: Nam inhumanè rixoſorum hujusmodi Schediaſmatum pertæſum, ſingula contenta libri examinare piget. Ad cujus plenam commendationem, ex Interceſſione Legati Angliæ, Johannis Dikenſonii, die

Digitized by Google

die 16. Septembris Anno 1615. Regis ſui Jacobi VI. nomine, Sigismundo III. Poloniæ Regi in ſcripto oblata (quod habeo in formâ Avthentica) hæc Compendio annotare volui. Accuſavit nimirum Legatus ille in eo ſcripto Cichocium (atque ſimul ejus patronos, Abbatem Oſſolinskium & Cochlevium, quos in præfatione tanquam approbatores & promotores libri laudavit) *Quod in famoſo illo libello, præter multos magnos in Eccleſiis diſſidentium viros, Regum quoque ſacras perſonas & dignitates, blaſphemiis maledictis & vix auditis, inceſſere non fuerit veritus, præſertim Libri III. â II. ad VII. Caput. Inter alios Regem Angliæ, & ipſius Majores, ex obſcurâ Stuartorum gente, apud Chriſtianos ob hæreſin infames, in inferno cum Juliano Apoſtatâ ſepultos, falsò perſecutores Romanæ Religionis, homines parricidiales Phalaridis immanis Tyranni, hoſtis fallentiis, Antichriſti, Neronis, Decii, Maximiani nominibus, qui ſe Chriſtianum mentiatur, ſceleſtiſſimum mortalium, perfidum, parricidam, ſcelerato ore & calamo proclamans. Ob immanem conjurationem juſtiſſime damnatos, contra omnium Hiſtoricorum fidem, bonos viros appellavit, Regi ad Scotiæ Regnum Jus omne abjudicavit, nec inter Reges Chriſtianos numerandum, ſed hæreticum, apoſtatam, omni execratione dignum cenſuit. Quapropter Legatus ex mandato Regis ſui, Poloniæ Regem, ad remedia juris gentium, ad cauſam communem Regum & Principum, atque amicitiæ ſuæ Regiæ vinculum provocans, juſtitiam poſtulavit, ad ſatisfactionem criminis Cichocii, atque Patronorum promotorum libri ejus, proportionatam. Videlicet, ut in eos pro atrocitate delicti animadvertatur, ut liber undiquè conquiſitus palàm in foro concremetur, cum Oratione viri conſpicui ad populum de cauſa pœnæ & cum criminis deteſtatione, utque Rex publico ſcripto Latino indignationem ſuam propter talem violationem Amici Regis, cujus amicitiam tueri velit, proteſtetur. Hoc niſi fiat, Legatus juſſus amicitiam Regis Domini ſui, quam nuper Rex Poloniæ*



Digitized by Google

*ad Tractatus cum Svecia Regno ſummoperè petiit, Regi Poloniæ renunciat, tanquam qui ſilentio ſuo atrocia convitia Cichocii approbet, Regemque Angliæ non pro Chriſtiano, nedum pro Rege habeat.* Quid Rex Sigiſmundus ad hoc ſcriptum Legati egerit vel reſcripſerit, non comperi. Sed ſi hujusmodi belluinis imò infernalibus injuriis Cichocius Reges allatrare auſus fuit, quid lector de cæteris bonis viris, quos conviciari propoſuit, expectare boni vel æqui & ſani poſſit? Quorum pœnas ſi in hâc lernâ perſecutionis fidelium effugere potuit, certè in diſtricto illo judicio, horrendas jam expertus eſt.

XLVII. JOANNES MARKIEWICZ I. V. D. Canonicus Cracovienſis atque Varmienſis, cum Anno 1633. Collegium Jeſuiticum Jaroslavienſe, â viduâ Duce in Oſtrorog & Jaroslaw, Palatinâ Vilnenſi, ante obitum, ingentia bona terreſtria, præ hæredibus ejus, aucupatum eſſet, odii in eam Societatem ex litibus privatis contracti ſtimulo, libellum typis Gedanenſibus Anno 1654. titulo *Scandali expurgati* publicavit.

Quo per Inſtitutionis ejus Societatis regulas authenticas demonſtravit: Jeſuitis non licere bona quævis immobilia poſſidere, hæreditates quaſcunque non capere, legata nullà emendicare, neu Magnatum Aulas frequentare; imò â Medicinæ Legumque ſtudio, mercaturâ, & quibusvis lucris quærendis, rebus pretioſis, atque univerſim ab officiis & negotiis ſecularibus aliis abſtinere, ſed tantum in paupertate evidenti, â commoditatibus vitæ alieni, ex eleemoſynis ſpontè oblatis, vivere & erudiendis juvenum animis vacare. Quemadmodum Paulus III. Papa Anno 1540. & Julius III. Anno 1550. oblatas â Fundatore regulas confirmarunt: Qui tale fundationis ſuæ inſtitutum pro baſi Paulo III. obtulerat: *Velle ſe nempe fundare Societatem omnium pauperrimam, ſedi Apoſtolicæ obedientiſſimam, ad miſſio-*

Digitized by Google

*miſſiones de propagandâ fide promptiſſimam, & ad juventutem in literis & moribus erudiendam aptiſſimam.* Exindè tandem conclusit, Jeſuitis concedi non poſſe, ut ampliſſimam hæreditatem viduæ circumventæ adeant.

Sed ingens aculeatorum examen eo ſcripto concitatum, ille mox ſenſit Markiewicz, reſponſoriis ſub ficto nomine ſcriptis eum lethaliter pungentibus; Et cùm ille injuriam ſuam, ratione depulſionis, operâ Jeſuitarum, â Præpoſiturâ Tarnovienſi vindicaturus, ſimul cum facultate procuratoriâ ab hæredibus defunctæ Palatinæ, Lubomierſciis nimirum & Zamoiſcio, Romam adiiſſet, apud Capitulum Varmienſe, propter imputata abſenti multa conficta crimina, ſolenni decreto exauthorationem â Collegio ſuo, præterea Romæ carcerem ſemeſtrem, per ſecretas criminationes, quaſi cum Svecis colluderet, eidem procurantibus. Nequicquam Markievicio coram Rotâ Romanâ innocentiæ ſuæ documenta, præprimis inſigne teſtimonium probitatis & virtutum, eidem â Collegio capitulari Cracovienſi ſolenniter expeditum, allegante; & ipſo Pontifice quidem inculpatum Markewiczium agnoſcente, nihilominùs per Mediatores deputatos, eundem ad reverſales literas, de relinquenda omni actione contra Jeſuitas, ante dimiſſionem è carcere, adigente.

Unde reverſus cauſam hanc apologeticè pertractatam, poſt aliquot annos, in libello, qui *Carcer Romanus* inſcribitur, Pariſiis typis edidit Anno 1666. Denique Anno 1671. aliud ſcriptum, *Veritas bonæ Vitæ*, & mox Anno 1672. aliud, nempe: *Summus Pontifex Innocentius X. de duplici inſtituto Societatis Jeſu, ejusque Conſtitutionibus & Declarationibus, optimè informatus.*

 Qui-

Quibus latè deduxit, Societatem eam contra jus faſque & ſacramenti ſui conſcientiam, antiquum fundationis ſuæ inſtitutum, per declarationes ſuas, imprimis operâ Claudii Aquavivæ, Generalis S. J. Præpoſiti, inclinaſſe, deſeruiſſe, convulſiſſe, & penitùs novam Societatem erexiſſe: Quos propterea non Ignatianos, ſed jam Claudianos, â Præpoſito illo Generali appellari debere, contendit.

Ex ſcriptis hiſce ad præmunitionem lectoris, hoc tantum notare volo: Markievicium adverſarios ſuos quidem gravibus documentis illorum domeſticis urſiſſe, & invidiâ coram univerſis Chriſtianis oneraſſe, ut quod alii tot Scriptores, ſed plerique exemplis magis crudelibus & factioſis, quam probationibus domeſticis Societati imputarunt, jam ex teſtimoniis & documentis hujusce Canonici viri, magis credant. Sed quid inde in ipſius proprium, vel patriæ, vel Eccleſiæ commodum emanarit, quod tanto ardore cum Societate potentiſſimâ, ipſis jam Regnis & Principatibus, ob nimium aulæ Romanæ favorem venerandâ, fidelibus autem, ob perſecutionem non jam ſcriptis & argumentis, ſicut olim, ſed inſidiis crudelibus ubique formidandâ, contenderit, nemo â ſtudio partium alienus videt. Manet enim Societas ea, etiamſi regulas ſuas priores, repagulis paupertatis & humilitatis perruptis, deſeruerit, aut prout ipſi dicent, in melius correxerit, ubique ampliſſima, opulentiſſima, & ante omnes alias, in hoc ſeculo apud Romano-Catholicos, ob flagrantiſſimum â Sede Romanâ diſſidentium odium clariſſima.

Fuit enim Markiewicz ille vir litigioſus, irâ implacabili ſibi ipſi rixoſas miſerias faciens, tantum ut adverſariis irritò oblatraret. Similis Eurylocho Philoſopho Sceptico; qui adeò irâ excanduit ut omnis contradictionis impatiens, aliquando

co-

Digitized by Google

coquum ſibi obloquentem, arrepto de igne veru cum carnibus in forum usque perſequeretur: Et Elide quæſtionibus Sophiſticis fatigatus, abjecto pallio Alpheum fluvium tranarit. Laërtius Lib. 9. §. 68. in Pyrrhone.

XLVIII. *Pamietnik, albo Kronika Pruskich Miſtrzow y Ksiozent Pruskich, tudzieſz Hiſtoria Inflantska y Kurlandska, przez* NIKOLAIA CHWALKOWSKIEGO h. e. Memoriale ſeu Chronicon Magiſtrorum & Ducum Pruſſiæ, item hiſtoria Livoniæ & Curlandiæ, per Nicolaum Chwalkowskium congeſta, Anno 1712. Poſnaniæ typis edita.

Perlecto libello hocce, in Chwalkovii ruditatem ſcribendi, ineptam diſpoſitionem, elumbem & incompletam narrationem, rerumque Pruſſicarum, cum Pomeranicis, Livonienſibus, Ruſſicis, Moſcoviticis, & Turcicis, verarum falſarum ſusque deque mixturam, invectus fui. Sed collatâ hâc rapſodiâ cum Murinii Polonicè edito Chronico Pruſſiæ, de quo ſuperius dictum eſt, exactè ab initio ad finem usque hiſtoriæ Pruſſicæ, per capita & ſingula verba congruere inveni. Denique poſt Pruſſicas res in geographica deſcriptione, ex multoties interjecto hæreſeos in fideles convitio, ex multum laudato cultu novorum Sanctorum, & ex phraſibus ad res politicas ineptiſſimis, ungvem viri Eccleſiaſtici alicujus Poloni prominentem agnovi, hiſtoriæ perquam rudis.

Idcirco farturam talem, multis mendis geographicis & hiſtoricis ſcatentem, ab hujusmodi incurioſo & ignaro rei artifice, non ex Chwalkovii collectaneis ita proveniſſe, & â Typographo monſtroſa confuſione editum fuiſſe judico. Qui non levi cenſurâ dignus eſt, quod præter titulum, in dedicatione ſuâ ad Illuſtriſſimum Principem, Januſzum Wieſniovecium

 Pala-

Palatinum Cracovienſem (cui non ſine læſæ Majeſtatis Regiæ crimine, ſi ſceptrum pro ſcipione Tribunalitio ferret, feliciſſimum Regnum vovendo, abblanditus) tanquam ad Chwalkovii imperfectum opus, nomen defuncti egregii viri ementiri auſus fuerit.

# POLONICI SCRIPTORES
## IN OCTAVO ET MINORI FORMA.

### I.

VINCENTII KADLUBEK, Epiſcopi Cracovienſ. *Hiſtoria Polonica*, Dobromili Anno 1612. typis excuſa. Commentator Kadlubkonis in Præloquio, varios titulos huic Chronico præfixos ſe legiſſe teſtatur; exin colligit, totius hiſtoriæ hujus tres viros inſignes fuiſſe Authores, Joannem Archiep. Matthæum, & Vincentium, Epiſcopos Cracovienſes. Et quidem primos illos, tres libros priores dialogice congeſſiſſe, quos poſteà Vincentius ſub epiſtolarum titulis redegerit in formam, & de proximis ætati ſuæ actis publicis, quartum librum in capita diſtinctum, adjecerit: Quod etiam Hartknochius Lib. de Rep. Pol. p. 11. ita credidit.

Mihi tamen planè abſonum videtur, Matthæum Cracov. Epiſcopum, hominem ſumptuoſum, prodigum & guloſum (qui Anno 1143. pro pecuniâ à Vladislao Duce Epiſcopatum nactus, totis 23. Annis, quibus præfuit, inertem & luxurioſam vitam egit, adeò ut nuncios Ducis Boleslai, ſubſidium pecuniarium petentes, ad cloacam ſuam deduxerit, innuens, ſe ſingulos Epiſcopatus reditus per gulam & ventrem conſumpſiſſe, inque eo loco theſauros ſuos repoſuiſſe) talem, inquam, otioſum decoctorem credere, hiſtoriæ illo ævo obſcuriſſimæ componendæ

Digitized by Google

nendæ vacaſſe, idque commercio literario cum Joanne, ſive Janick vel Janislao, Archiepiſcopo Gneſnenſi, viro pio & bono, qui cum fatre Clemente, ex hæreditariis terris ſuis, famoſum cœnobium Andrejovienſe fundavit & dotavit. De quorum virorum diverſiſſimis moribus quæ hìc retuli, in Dlugoſſi Lib. V. relegi poſſunt.

Porrò nec ulla Vincentio cum illis intercedere potuit notitia, nedum familiaritas, ut qui ambo Anno 1165. & ſequenti mortui ſunt, 41. annis, antequam ad Epiſcopatum Cracovienſem vocatus fuiſſet Kadlubek. Ex prima quoque epiſtolâ, Johanni Archiep. pag. 24. inſcripta, hoc ſatis elucet; In eâ ſiquidem Author ita loquitur: *Memini collocutionis mutuæ Virorum Illuſtrium, quorum tanto fidelior eſt recordatio, quanto celebrior eſt Authoritas. Diſputabant ambo Johannes & Matthæus, ambo grandævi, ambo ſententiis graves, de hujus Reipubl. origine, progreſſu & conſummatione &c.* quæ verba Johannes Archiep. de ſe ipſo non prædicare; Vincentius verò ante 50. annos vix puer, eos noſcere nedum audire potuit.

Magis igitur vero ſimile eſt, quod Commentator Vincentii, pag. 9. allegat: *Ajunt quidam*, inquit, *Vincentium Epiſc. Cracov. hujus operis eſſe Authorem, qui cum fuiſſet verus cultor humilitatis, nomen ſuum ſubticuit.* Hanc ego ſententiam ſequor, Kadlubkonem ſcilicet ex obſcuris ſchedulis & traditionibus, conſvetas fabulas magis quam hiſtorias vetuſtiores Poloniæ, collectas, ſubſtitutione nominum defunctorum, Johannis & Matthæi, ne famæ ſuæ nocerent, velare, aut ſi mitius dixeris, humilitatis ſpecie involvere voluiſſe.

Proindè priores tres libros ita Epiſtolis Dialogicis compoſuit, ut Matthæo Epiſcopo narrationem, Joanni Archiepiſcopo in reſponſionibus confirmationem dictorum, per diſcurſus Theo-

Digitized by Google

Theologico-Philoſophicos affingeret. Qui ità in narrationibus fabuloſus, hiſtoriis vulgaribus contrarius, & portentoſus eſt, ut exſiccatæ ac cœnoſæ paludi, aquam ex Oratoriâ aç morali ſupellectile ſuâ, & hanc limoſam ſatis, affundere neceſſum haberet, ad complendas paginas.

Quartus liber magis hiſtoricus & veritati ſimilior, quia ætati Authoris proxima & coæva narrat.: Nihilominus attracto per minutal illud fabularum contagio, aut per naturam Authoris, lutulentâ facundiâ profluit.

Cæterùm quia Vincentius Anno 1207. Epiſcopus factus, cui muneri Anno 1217. renunciavit, & Anno 1223. in cœnobio ſuo Andrejovienſi obiit', ante Epiſcopatum jam hiſtoriæ huic incubuiſſe evincitur. Nam diſertè ait, *ſe ad eam ſcribendam â Duce Caſimiro Juſto* (cui immodicis laudibus adulatur) *impulſum fuiſſe*: Atqui vero Caſimirus Dux Anno 1194. jam vita functus. Continuavit autem Vincentius ſuccedentium Caſimiro Principum, Leſci Albi, & Miecislai Senis viciſſitudines Imperii, usque ad Principatum Vladislai Laſconogi, qui Patri Miecislao ſeni Anno 1203. ſucceſſerat. Ceſſionem verò Imperii â Vladislao hoc in Leſcum Album, quæ Anno 1206. contigit, jam Kadlubek non memorat.

Pertingit igitur hiſtoria Vincentii usque ad Annum 1204. De Anonymo Commentatore Kadlubkonis, Starovolſcius in Libro de C. Illuſtr. Pol. Script. pag. 43. inſignem errorem erravit, ſcribens: *Felicem Herburtum Kadlubkum Epiſcop. Cracov. veterem illum rerum Polonicarum Scriptorem, è pulvere erutum, notis & ſententiis graviſſimis exornaviſſe.* Quod ſolus aſpectus libri, & ipſius Herburti præfatio (*Commentator*, inquit, *iſte quis fuerit, ſcire non poſſumus; poſteriorem tamen fuiſſe facile intelligimus, cum Jagellonicrum meminerit; Non ovum ovo ſimilius, eadem ratio*

*rerum*

*rerum & verborum*) Starovolſcium docere potuiſſent. Sed fortè librum nunquam vidit; nam in Catalogo dicto ſuo de C. Scriptoribus appenſo, Joannem Kadlubkum appellat, qui nemini aliter quam Vincentius dictus.

Commentator autem ille homo fuit purè Scholaſticus, pedantiſmi tenax, hiſtoriæ & politices rudis, quod ex loquaci illo Commentario ſatis patet. In quo fabulas Vincentii nunquam corrigit ſed commendat, adeò ut pag. 4. dicat: *Chronica Vincentiana inter cæteras præcipua, in hiſtoriis veriſſima, in ſerie verborum prædiſerta.* Magis in explicatione puerili verborum per declinationes & conjugationes, quàm in rerum elucidatione occupatus.

Infelix Vincentius quod non eruditum & politum aliquem Correctorem nactus fuerit. In fine meminit Vladislai Jagellonidis, mortuo Patre Jagellone Anno 1434. regnantis: Vocationem ejusdem Vladislai ad Coronam Hungariæ, quæ Anno 1440. contigit, non tangit, proindè Commentarium hunc, ceu pullum ineptum proximè antè Annum 1440. ſuperfœtavit.

Herburtus quoque in præfatione ſua procul dubio falſus, ſcribens: *Miror, quod Cromerus Kadlubkum primum ſcripſiſſe hiſtoriam dicat, cum nos duos priores, Gallum Anonymum, & Baskonem, Cuſtodem Poſnanienſem, habeamus, lectorique daturi ſumus Deo duce.* Hartknochius certè in Exercit. Criticâ ad Chwalkovium pag. 13. ex Varſevicii Catalogo Scriptorum Polonicorum rectè evicit: *Baskonem Anno* 1370. *ſub Caſimiro M. hiſtoriam ſuam,* 164. *Annis poſt finitos Annales Vincentii, ſcripſiſſe.* Herburtus autem, licet Baskonis manuſcriptum habuerit, de ætate tamen Authoris falli potuit. Sed Dlugoſſus Lib. VII. ad Annum 1257. aliam Baskoni ætatem aſſignari videtur, ita ſcribens: *Hunc Principem (nempe Pramislaum, Ducem Poſnanienſem, Pramislai poſtea Regis*



Digitized by Google

*Poloniæ Patrem*) *Baſzko Cuſtos Poſnanienſis in ſuis ſcriptis & annalibus plurimâ laude celebrat.* Verum etiam ſic res Polonicas dimidio ſeculo poſt Kadlubkonis annales ſcripſit Basko.

Enimverò de Gallo Scriptore Anonymo aliud, ſecundum tradita Cromeri, dicendum erit, qui cum de Baſzkone Lib. IX. pag. 158. ingenuè faſſus eſſet: *Sed ejus*, inquit, *Baſzkonis ſcripta nos non vidimus.* In fine tamen Lib. III. & principio L. IV. ſcribit. *Gallus quidam, qui non multo poſt hæc tempora, Boleslai Tertii* (*i. e. Crivouſti*) *& ſuperiorum Regum Poloniæ res geſtas tribus libris complexus eſt, nullam neque de fratre Meſconis, neque de ulla Conradi Imp. hujus expeditione in Poloniam facit mentionem.* Boleslaus verò ille Anno 1139. obiit; Idcircò teſtimonio Cromeri, qui ſe Gallum legiſſe innuit, Hiſtoria Galli circà medium Seculum XII. adeoque integris 50. Annis ante Kadlubkonem ſcriptam eſſe dicendum. Vellem tamen Cromerum fuiſſe magis memorem illius ſui Galli, dum Lib. VII. pag. 127. ubi de Vincentio, Magiſtro & Præpoſito Sendomirienſi, cognomento Kadlubek, viro docto, ut tunc ferebant tempora & pio, addit: *Qui primus Polonorum gentis ſuæ hiſtoriam conſcripſit.* Niſi fortè Cromerus Gallum tanquam extraneum, & paucis notum, inter primos Poloniæ Scriptores non poſuiſſe, intelligendus ſit.

Addidit quidem Herburtus in d. præf. *Hoc mihi dolet, quod meminit aliorum ante ſe Scriptorum, & eos non nominat.* Enimverò Kadlubek nuſquam in textu aliorum ante ſe Hiſtoricorum Poloniæ mentionem facit, ſed Commentator ejus ſæpe interſerit: *Secundùm aliam Chronicam.* Item, *prout Annales narrant.* Ille verò Commentator, Anno 1440. ſcribens, facile aliorum quoque potuit Chronicorum meminiſſe, quia præter Galli & Baſzkonis compendia, jam tunc Dlugoſſi ampli annales innoteſcere



Digitized by Google

teſcere cœperant. Ideò idem Commentator ad Cap. I. lib. 4. ſcribit: *Non dicit D. Vincentius, ſe aliquid adinveniſſe, ſed ſolum geſta hinc indè ſparſim conſcripta, in unum Librum ordinate repoſuiſſe.*

Quod ad ipſam Hiſtoriam Kadlubkonis attinet; dum (1) non à Lecho, ſicut alii, ſed à Craco, tanquam primo Polonorum Principe, incipit, eique tempus famoſæ migrationis Gallorum (cum quibus Polonis fœdus ſociale, & partitionem Regnorum interceſſiſſe, fingit) in Græciam, aſſignat, quæ Olympiade 125. ante Chriſtum 279. annis contigit: Neque tamen alios Principes Craco ſuccedentes affert, quàm illos, quos alia Chronica Polonorum, ordine ſuo novem, recitant, usque ad Piaſtum, cui Annus Chriſti 842, convenit, & Craco annum Chriſti 700. rectiùs aſſerunt. Hinc ignorantia Chronologica craſſa Kadlubkonis arguenda, qui ad ſupplendum Imperantium in Polonia, integri millenarii annorum hiatum, torpuit, utut gentis ſuæ hiſtoriam (altâ oblivione, ſicut & cæterarum gentium tunc barbararum ſepultam) ſimplici aſſertione ſuâ, decem Seculis augere voluerit.

Ineptus autem Commentator ejus ad talia notatu digna cœcus, inutili paraphraſi fabulam auxit, non correxit. Migrationem Gallorum in Græciam, & tempus Craci pag. 31. & 38. Annis plus 400. ante Chriſtum, & ferè 100. ante Alexandrum M. ſupponens, ſcilicet migrationem Gallorum in Italiam, quâ Romam captam incenderant, quæ Olympiade 98. contigit, cum hâc in Græciam expeditione, confundens.

(2) Magis adhuc Kadlubkonis ignorantia hiſtorica patet, ex fabulâ quam Epiſt. 16. Lib. 1. de Lesko III. Poloniæ Rege narrat: Scilicet quod is Julium Cæſarem tribus præliis fuderit, & Craſſum apud Parthos, cum omnibus copiis deleverit. Item



Digitized by Google

quod tandem Sororem ſuam Juliam, Cæſar, cum dotali Bavariâ Leſco elocarit, cui maritus Contra-dotem in Sambienſi provincia (quæ eſt pars Pruſſiæ ad Regiomontum) aſſignarit: Ipſa verò oppidum Julinum exſtruxerit, quod nunc Lublinum vocetur. Certè Julius Cæſar 50. Annis ante Chriſtum natum, poſt victoriam Pharſalicam, Monarchiam fundavit. Quodſi Cracus primus Rex Polonorum, ſecundum Kadlubkonem, annis plus 400. ante Chriſtum imperavit, Leſcus autem III. Rex ſeptimus â Craco fuit, ſequitur ſingulos Reges dimidio Seculo imperaſſe (imò plus integro, quia Craci filiis, Vendæ & Leſcis duobus, atque Popielis duobus, breviſſimam vitam tribuit) ſi Leskum III. Cæſari coævum facere voluit.

Commentator Kadlubkonis fabulam magis infecit, & ad Valerii librum de Vitâ Cæſaris provocat. Fuit quidem Valerius Marcellinus Scriptor hiſtoriæ Auguſtææ, ſed inter deperditos numerandus. Idcircò benè ceſſiſſet Commentatori Scriptoris deperditi allegatio, niſi ex Svetonio, & omnibus Hiſtoriæ Romanæ Scriptoribus, fabula de Julii Cæſaris in Poloniam & Pruſſiam expeditione, exploderetur.

Dicit autem hic Commentator egregius; *Hic Leſco quendam tyrannum, Craſſum, Regem Parthorum, in Pruſſiâ prælio vicit, omnibus bonis expilavit, & aurum liquefactum in os infudit, dicens: Aurum bibe. Item: Hic Lesko Gethis, i. e. Pruthenis, & Parthis, i. e. Ruthenis, & aliis Regionibus usque ad Orientem, poſt Rutenos imperavit. Ex matrimonio verò Leſci cum Julia,* inquit, *natum fuiſſe filium â Cæſare appellatum Pompilium, qui fuit pater Popieli, quem mures devorarunt.*

Talia certè ſine nauſea legi non poſſunt, & de puerili ruditate Kadlubkonem æque ac Commentatorem ejus arguunt, qui ex parvâ ſimilitudine vocabulorum, Craſſi, Julii, Pompeji, Par-

Digitized by Google

Parthorum, Seleuciæ, &c. tam immenſò diſtantia tempora, hominesque & Regiones confundere potuerint. Sileſios faciunt Seleucios, qui Alexandro M. tributum denegarint, Pezingos Ruſſos, appellant Parthos, quos unà cum Craſſo Poloni devicerint, qui cum Scythis Philippum Regem, Alexandri Patrem, ceperint, & alia hujusmodi miſeranda: Nam ex Aſia translatis vocabulis omnia miſcent cum Europæis.

In eo non falſi, quod Gallorum nomine, qui Italiam, Græciam, & Aſiam minorem inundarunt, Germanos intelligant. Notatu quoque dignum eſt, quod adhuc Kadlubkonis ætate, Gothi & Getæ (diverſiſſimæ Originis populi, illi Teutonicæ, hi Venidicæ & Slavicæ) in Pruſſiâ habitarint, quos perpetuò ita appellat. Undè lucem affundit Epitaphio, in Æde Poſnanienſi Boleslao Chrobrio Regi Poloniæ poſito, â Lubienskio in Vitis Epiſc. Ploc. pag. 315. & â Starovolſcio, in monumentis Sarmatarum pag. 447. recitato. Ibi: *Tu poſſediſti velut athleta Chriſti, Regnum Slavorum* (h. e. Ruthenorum) *Gothorum* (h. e. Pruſſorum) *ſeu* (pro, &, more iſtius ævi) *Polonorum*. Nam & Eraſmus Stella, & quod magis notandum, Laskius in præf. Statuti fol. 3. b. Pruſſos, Getas, Conradi Maſoviæ Ducis tempore, adhuc Seculo XIII. appellatos, aſſerunt. Sed Germanos idem Kadlubek poſteà, in recitatis bellis cum Polonis, contemptim Lemanos h. e. feudales vocat.

(3) Quod penitùs nullum tempus hiſtoriis ſuis Kadlubek apponat, ignorantiam ejus ſummopere arguit, aut certè ſententiam adverſariorum ejus, de quibus Lib. II. Ep. 2. tantoperè queritur, confirmat: *Dicunt enim*, ait, *haud facile deprehenditur mentiens in his, quæ nemo novit, nec facile falſitatem vitare poteſt, qui de ignotis multa præſumit*. Nam fortè tempus nullum expreſſit, ut ſecurior fabulis indulgere poſſet.



Digitized by Google

(4) In illis ipſis geſtis ſui ævi enormiter quoque hallucinatur, e. g. In Concilio octo Epiſcopor. Poloniæ Anno 1180. â Caſimiro Juſto congregato, numerat Lupum Epiſcopum Plocenſem, de quo Dlugoſſus Lib. VI. diſertè teſtatur, jam Anno præcedente mortuum fuiſſe. Deindè ponit Conradum Epiſc. Pomeſanienſem in illo numero. Sed Epiſcopatus Pomeſanienſis in Pruſſiâ, demùm Anno 1243. ſimul cum cæteris Pruſſiæ Epiſcopatibus (excepto Culmenſi, cui Chriſtianus Monachus jam Anno 1215. præfectus, licet diploma Conradi Ducis ſuper fundatione hujus Epiſcop. â Cromero Lib. VII. p. 131. demum ſub Anno 1222. exhibeatur) ab Innocentii Papæ IV. Legato Wilhelmo Epiſcopo Mutinenſi inſtitutus, eidemque primus Epiſcopus Erneſtus, qui Anno 1269. obiit, præfectus fuit. Licet autem Culmenſis ille Epiſcopus primus Chriſtianus, â Duſburgio & aliis appelletur Epiſcopus de Pruſchia, Pomeſanorum vero ſignificatione largâ, omnes ſubinde Pruſſi tunc appellati ſint (quod in Privilegio Culmenſi diſertè aſſeritur) adeoque videri poſſit, Kadlubkonem intelligere Epiſcopum Pruſſiæ hunc, titulo Pomeſaniæ: Nihilominùs præter temporis hiatum Kadlubek non Chriſtianum, ſed expreſſe Conradum ponit; tale autem nomen inter omnes Epiſcopos Pruſſiæ nusquam reperias.

Dlugoſſus errorem hunc Kadlubkonis enucleaſſe ſibi viſus, quem Cromerus ſequitur, ponit Conradum Caminecenſem ſive Caminenſem Pomeraniæ Epiſcopum, loco Pomeſanienſis. Et hoc apparentius eſt: Nam Conradus I. Epiſcopus Anno 1175. Julino cum Epiſcopatu ſuo Caminum translatus, usque ad Annum 1185. præfuit, quo obiit. Quid vero Caminenſis Epiſcopus, qui nullum Patronum habuit, præter ſolos Caſimirum I. & Boguslaum I. fratres, Duces Pomeraniæ Occiden-

dentalis, qui ipſi primi Principes Imperii ab Imperat. Friderico Barbaroſſa Anno 1180. facti, nullum Dominum Superiorem niſi Cæſarem agnoverunt; quid inquam ille in Comitiis Regni, vel Concilio Epiſcopali Poloniæ fecerit? non difficile divinare liceret, ſi Caminenſis & Libuſſienſis Epiſcopatus, tanquam Venedicæ ſeu Slavonicæ lingvæ & nationis, Metropolitanæ Gneſnenſi ſubordinati fuiſſent.

Sed hoc eſt quod Mycrælius Chron. Pomeraniæ Lib. III. Part. 2. pag. 641. & 643. Lib. 6. pag. 436. latè deduxit: Caminenſem Epiſcopatum, â fundatione ſuâ, privilegio Papali, ab omni Metropolitanâ Jurisdictione exemtum, ſoli ſedi Romanæ reſervatum, decretis quoque Papalibus adverſus Archiepiſcopum Gneſnenſem in eo confirmatum fuiſſe; Quod etiam Æneæ Sylvii & aliorum teſtimonio ibi probat. Manifeſto igitur fallit Dlugoſſus, dum ad Annum 966. in novem Epiſcopatibus â Micislao Duce Poloniæ fundatis, Culmenſem, Lubuſſenſem, & Caminenſem ſeu Caminecenſem, numerat. Quod ipſum Cromerus de Culmenſi quidem Lib. III. arguit, ſed de poſterioribus æquè â Dlugoſſo fictis, tacet.

Quam cautè vero Hiſtoricis, viris Clericis præſertim in rebus Eccleſiaſticis credendum, & quàm periculoſe fidendum ſit, vel hic locus Dlugoſſi evincit, qui d. l. ad Annum 1045. cum exultatione patriam ſuam ſedi Romanæ facit tributariam & feudalem. Quod ſanè omnes cordati Poloni hactenus, pro convitio non laude gentis ſuæ accepere. De Lubuſſenſi Diſtrictu autem Dlugoſſus veriora narrat, quod ad Sileſiam, quæ tunc pars Poloniæ fuit, pertinuerit, & â Boleslao Lignicenſi Anno 1250. Marchionibus Brandeburgenſibus venditus fuerit.

Denique Kadlubek & Commentator ejus Lib. I. Ep. 16. nar-

Digitized by Google

narrant, quod Leſcus III. naturalibus filiis ſuis, in cæteris provinciis, Pomeraniam quoque diſtribuerit, & Dlugoſſus de verbo ferè figmentum hoc exſcripſit, quem omnes Hiſtorici Poloni ſequuntur. Sed præterquam quod hæc hiſtoria circa nativitatem Chriſti ab iis collocatur, quo tempore non Venidici ſeu Slavici populi, ſed Gothi & Svevi Teutonici Pomeraniam inhabitarunt, hoc certè ex Ditmaro Mersburgenſi, Ottone Friſingenſi, Cranzio, & aliis Mycrælius ſatis probavit: Polonos nihil unquàm juris in Pomeraniam, niſi â Miecislai II. tempore ad Pomerelliam & Caſſubiam, jure victoriæ, habuiſſe. Et licet Boleslaus Crivouſtus, fidei propagandæ cauſa, junctus Danis, usque Stetinum penetrarit, tamen filius ejusdem Vladislaus mox omnia amiſit, & jam inde Poloni, tot incurſionibus & bellis ſuis ultrà Colbergenſes montes penetrare neqviverunt.

Hinc nec Cromerus plures, quam Gedanenſem & Svecenſem Palatinatus Polonicos, in Pomeraniâ enumerare potuit. Quid igitur fidei hiſtoriis Kadlubkonis remaneat, cordate ſatis Fœlix Herburtus, editor ipſius, in præfatione ſuâ ad lectorem expreſſit: *Adfert hiſtorias*, inquit, *incertas, confuſas, perplexas, quas nos bonâ fide, ut purum putum daremus, nec attingere voluimus, quamvis NB. aliter ſe rem habere ſciremus, forte aut lapſus memoriâ, aut librariorum ignorantiâ.*

Adhuc quoque miror, Kadlubkonem, licet S. Adalberti adventum in Poloniam ad Boleslaum, & venerationem ejus ab Imper. Ottone III. pag. 128. brevibus expoſuerit, pag. autem 508. Sanctiſſimum Polonorum Patronum appellarit; nihilominus martyrii ejus miracula, tantoperè aliis laudata, ne verbo quidem attigiſſe. Commentatorem vero pag. 133. paucis quidem de Martyrio Adalberti in Pruſſiâ paſſi, ſed nihil omnino de miraculis narrare. Cum tamen Ep. 21. lib. 2. Kadlubek de

Digitized by Google

de truculentâ cæde Stanislai Episc. Cracovienſis, & miraculis circa corpus occiſi verboſè diſſeruiſſet, atque paſſim in textu ſuperſtitionis ejus veſtigia appareant, ut ſi quid de S. Adalberti miraculis ſciviſſet, dubio procul talia non omiſiſſet. Undè colligo; miracula illa circa cædem Adalberti, ad circumveniendum ſimplices, à ſuperſtitioſo Clero, poſt Kadlubkonem demùm efficta, Dlugoſſo credita, & ſic multorum Hiſtoriæ inſerta fuiſſe.

Quantum tandem ad genus ſcriptionis Kadlubkonis pertinet, judicium Herburti in Præfat. non ſufficit, dicentis: *Latinitas non probatur tibi, ſed nec mihi: vitium Kadlubkonis non eſt, ætatis eſt; reverà illi ingenium non defuit, & arguta verborum ac ſententiarum compoſitio. Loquebatur illâ linguâ, qua tunc omnes elegantiſſimè.* Nam præter barbariſmi vitium, quod in plerisque illius ævi Scriptoribus eſt; Certè ſtylus Kadlubkonis non tantum rudis, ſed ænigmaticus, parabolicus, & agreſtibus vulgi apologis (non ad ſignificandas res, ſed ad ornatum verborum) copioſus, quod Herburtus ſententioſum vocat, ſalivam movet. Ideò Lectorem non adeo vocabula illius ætatis, in Latinitate infimæ, e. g. *prædocinia, doctrinatio, ſacciparium, eſingultivè, tentula, promptificare,* & mille hujusmodi; quàm intricata periphraſis parabolica, quâ rem non explicare, ſed mera ænigmata proponere contendit. e. g. *Alterimur? Altriminum enim hæc eſt natura, ut integra minus oxedinio habeant, crebrius altrita ſentiri acriora.* Pauciſſimæ ſententiæ reperiuntur, quæ verbis non ineptè ludunt. e. g. *Tam ſubitò ſubitos non competit eſſe peritos, difficiles aditus quisque ſubit ſubitus.* Item *Semine dapſilitas largò pluit aurea, famæ, falx in meſſe ſonat, plus das mihi, plus metis à me.* Item *in hujusce noſtri tempuſculi tempeſtate, fides non parit fidem, ſed ſi concipit, prius abortit quàm pariat, prius exſpirat par-*



Digitized by Google

*partus, quàm ſpirare incipiat; ſi ad fidei pia ubera gemmina pendent viperarum, catuli ſugunt perfidi, à quibus non ſolùm amici, ſed & Domini plus dolo coluntur quàm fide.* : Quâ ſententiâ, Commentator Polonorum corruptos mores ab Authore perſtringi putat.

Ego ex omnibus argutiis, hæc tria ſapienter dicta, cætera vix lectu digna judicavi. Et propterea prolixior in cenſurâ Kadlubkonis fui, ut hiſtoriæ ſtudioſi, antiquorum Scriptorum eousque ſint curioſi, quatenùs ſanæ rationi & communi gentium traditioni hiſtoricæ, probatisque Authoribus non enarrant contraria. Quæ de ſtylo hujus Authoris annexi, magis ad refutandum eos, qui Kadlubkonem inter optimos ſui ævi ponunt, dixi, quàm ut in Hiſtorico, præſertim antiquò, verborum rationem præ rebus haberi putem. Sic ut Dlugoſſi Judicium de hoc Vincentio planè ſit ineptum, dum ad Annum 1223. de eo ſcribit: *Vivacitate ingenii, quâ pollebat, de rebus geſtis patriæ, diſerto politoque ſtylo edidit Chronicam, quam ſic accuratè cogitatòque ſcripſit, ut ad priſcorum laudem maximè acceſſerit; quos tantoperè admirantur.* Et ad Annum 1207. *Sine externæ opis adminiculo condidit corpus Hiſtoriæ, de Annalibus Polonorum, magnificum per ſcriptum literarum ſenſum expreſſit.* Quamvis nec Dlugoſſus fabulis ejus penitus adhæſit, ſed correxit.

Ità Scriptores illi ſe invicem fricare, & ſæpè vilia ſua vulgo laudare aſſvevere. Kadlubek Lib. IV. Cap. 17. de Petro Archi-Epiſcopo, eodem vitio ſcribit: *Vir,* inquit, *omni ſcientiæ, omni ſapientiæ quadratus induſtriâ, cujus etſi me rupero, merita dictis non aſſequar.*

*Eſt petra namque Petri celſior arce montis,*
*Pſallant centimetro tot vatum ſecula Petro,*
*Claudent omne metrum, non capit omne Petrum.*

*Vis*

*Vis bene noſſe Viram, coeli circumſpice gyrum,*
*Deſpice quoque ſolo, ſolus hic abſque dolo:*
*Nectare fons plenus, ſol ſidere blandus, amœnus,*
*Sidere nectareus, nectare ſidereus &c.*

Si quis dicet illâ ætate talem Poëſin valuiſſe, dicam ego, ſed & propterea infimæ Claſſi Scholaſticorum, non Hiſtorico judicioſo, qui veritati & verborum acribiæ præ omnibus ſtudere debet, conveniſſe. Ex quibus tandem omnibus ſequitur, Kadlubkonem, propter ſolam antiquitatem, cum cæteris quisquiliis veterum, ſed ob aliam utilitatem planè nullam, mereri locum inter Scriptores Poloniæ.

II. STANISLAI ORICHOVII ANNALES, *adjunctâ vitâ Petri Kmitæ*, Dobromili Anno 1611. Opuſculum hoc in Libris 1. 2. 3. & 4. initia Imperii Sigismundi Auguſti Regis Poloniæ, à morte Parentis Sigismundi I. quæ contigit Anno 1548. usque ad finem Anni 1551. gravi ſtylo explicat.

Et quoniam hunc Regem ſtatim libidines & luxus, ita à matre educatum, privatim, publicè factiones potentiſſimæ æqualiter vexarunt, unde graviſſimi ipſius Regis & populi motus pullularunt, ſub titulo Commentarii brevitèr ſed judicioſè ſcripti, Lectore quovis dignus eſt: annalium verò nomen, ob brevitatem temporis, vix meretur.

In quinto Libro geſta quidem Comitiorum Anni 1552. & Wallachiæ ſubjectionem, atque profectionem Regis in Pruſſiam & Lituaniam deſcribit, ſed præcipuè actionem ſuam cum Epiſcopis, propter uxorem, quam in Clericatu duxerat Author, & jam in Libro quarto fuſiſſimè narratam, proſequitur. De quâ actione Herburtus, Editor Libri, multa recidit & occultavit, quæ tamen in MSCptis conſervata, nuper in editione hujus Libelli Lipſienſi, Tomo II. Dlugoſſi annexâ, plenè ſunt

inſerta, non autem, prout vulgo creditum, Gedanenſi tantum editioni Orichovii, ſed etiam huic Dobromilienſi defectus ille fuit.

Sextus denique annalis, ordinem cœptum planè turbat: nam omiſſa Hiſtoriâ geſtorum ſub Sigismundo Auguſto Rege; quam propoſuerat, ingentes illos motus Ordinis Equeſtris ad Leopolim, contra Patrem ejus Regis, Sigismundum I. quæ Anno 1537. accidit, narrat, & orationes ſeditioſorum atque factioſorum ex Senatu, verbotenus exhibet.

Unde ferè colligo, Orichovium, vafrum hominem, nunquam ſibi propoſuiſſe, juſtam Hiſtoriam Patriæ ſuæ componere; ſed annalium titulo abuſum eſſe, ut ſuam litem cum Epiſcopis, quæ ſub patrocinio Magnatum totam Rempubl. commoverat; commodè poſteritati tradere poſſet. Hinc maxima ejus cura, in explicandâ iſtâ actione ſuâ, ceteris geſtis Regis & Reipubl. tanquam fragmentis, hinc inde adſcriptis. Et cum priores annales, ſolenni Præfatione Regi obtuliſſet, in fine ſexti ait: *Se hac non collegiſſe, ut in vulgus ederet, ſed ut tempus falleret, & hac meditatione, otio & inertiâ languentem animum exerceret.* Quod non eſt ſinceri Scriptoris propoſitum, componentis Hiſtoriam.

Certè habuit vir iſte connatam & acquiſitam induſtriâ potentiſſimam vim dicendi, & ſicut Herburtus loquitur, rapidus fertur, atque ſaxa plurima evolvit; adeò ut Starovolſcius in Libro de C. Script. Polon. Demoſtheni Orichovium comparare audeat, nec ipſi aliud quam longioris hiſtoriæ materiam defuiſſe: Nihilominus moribus, quod magnis ingeniis ferè familiare eſt, levem, in erratis defendendis ambitioſe obſtinatum fuiſſe, nemo dubitet, qui carnali naturæ ſtimulo, nulla religionis libertate perſuaſus, uxorem ducens, omnia & patriam ipſam

Digitized by Google

ipſam in periculum dare potius, quam aut inſtitutis ſuæ Romanæ Eccleſiæ ſeſe ſubjicere, aut palam Evangelicam veritatem & libertatem conjugii agnoſcere, ſed inter utroſque fluctuare, & modo defenſione ſua adverſariis noceret, utriſque illudere maluit.

Author vitæ Kmitæ, ita de eo ſcribens: *Extant hæ ipſæ furentium hominum conciones, in caſtris ad Leopolim habitæ, conſcriptæ per hominem turbulentum ac ſeditioſum, Stanislaum Orzechowskium, Petri Kmitæ Servitorem, qui declamatoribus illis & eorum inſanis concionibus, veluti bellè ac ſapienter perorantibus, multa tribuere videtur*; ſi non ex toto audiendus, non omnino tamen rejiciendus eſt. Tumultibus enim Orichovium delectatum fuiſſe, narratio ſuæ ipſius cauſæ ſatis arguit.

Donec autem Epiſcopi graves illi incubuerant, ſimulatâ agnitione veritatis, multorum Evangelicorum amicitia eſt abuſus: Sed impetrata veniâ habendi uxorem, decretisque infamiæ, juſſu Pontificis reciſis ab Archiepiſcopo, in Comitiis Regni palam Anno 1552. religionis Pontificiæ capita, ſub ſacramento denuo profeſſus eſt; Quod ipſe Annali 5. Varſevicius quoque in Vitis parallelis, & tot alii referunt.

Porrò in declamationibus illis ſeditioſis, quæ tantoperè Orichovio placuerunt, ut ad verbum hiſtoriæ ſuæ insereret, multa facundè falſa occurrunt, quod etiam Author vitæ Kmitæ rectè notavit. Hac vice exemplo ſit ſententia Zebridovii Ep. Cracov. in Ann. 6. *In Germania*, inquit, *non prius exarſit bellum civile, non prius Cæſar agitari pellique cœpit, quam ex Germanorum animis reverentiam omnem ergà Epiſcopos extirpaſſet Lutherus, contemptu Pontificiæ dignitatis, quæ pacis & tranquillitatis cauſa inter homines divinitus eſt conſtituta.* Sed hoc argumentum ab eventu evidenter refutatur: Non enim unquàm, tot ante ſeculis, factione Pontificum, propter ſuam majeſtatem ſecularem, uſque ad

internecionem agitata, magis quievit Germania, quam imminutâ illâ horrendâ potentiâ Pontificia, Cæſari & Principibus ſua Majeſtas, â Chriſto & Apoſtolis, pacis & tranquillitatis cauſa 1. Tim. 2. v. 2. ipſis aſſerta, ſed quæ Eccleſiaſticis & Epiſcopis ſevere abjudicata Matth. 20. 25. ſqq. â Luthero revindicata eſt. Et Caroli V. atque Ferdinandi II. motus, ex crudelibus Pontificum conſiliis, nulla culpâ pacificorum, ſupplicia & exilia tantum naturali defenſione avertentium Evangelicorum, repullularunt, & ope Dei ſopita ſunt.

Vitam Petri Kmitæ Palatini Cracovienſis, abſque dubio Orichovius non ſcripſit, ſed alius quiſpiam Vir Eccleſiaſticus, veritatis non expers adeò, mordax tamen, & vitia cum convitio taxans. Encomia ab eo Orichovio tributa jam ſupra allegavi, eumque cum aliis parochis uxoratis Romanæ Eccleſiæ addictis, falſarios ac perjuros appellat. Sed Archiepiſcop. Orichovium conſenſu Papali abſolvens, ſanior judicavit: *Uxorem ducere Clerici culpam quidem eſſe, ſed non hæreſin.* Melius dixiſſet: Uxorem non ducere, & libidine vagâ uri, hæreſin maximam eſſe; conjugium verò uniuscujusque, juxta Apoſtoli verba, eſſe honorabile. In hâc autem vitâ Kmitæ, multa de procerum corruptis moribus, & Reip. malis, jam illâ ætate, conniventiâ Regum nimium auctis, referuntur, quæ cenſuram moderniorum Scriptorum Polonorum juvant.

*Oratio ejusdem Orichovii*, quâ Equites Polonos in bellum *adverſus Turcas* facundè ſatis excitare conatus eſt, Anno 1543. ſcripta & typis Cracoviæ excuſa. Duas in ea fortiſſimas cauſas præcipue ad bellum ſacrum tale ſuſcipiendum urget. (1) Quod Soliman verſutus ſenex, Polonos pacis & amicitiæ ſomno, ab auxiliis vicinæ Hungariæ ferendis abſtractos, poſt vicinos omnes ſingulatim devictos, ad ultimum ſuæ quoque devorationi

Digitized by Google

tioni deſtinarit. (2) Quod per Vallachiam Polonis tunc recenter extortam, munitiones ad Dnieſtrum h. e. Tyram amnem, Poloniæ limitem, moliens, interitum hujus Regni aperte ſtruat. Quodſi Orichovius vidiſſet, quod poſt Tehinam ſive Benderum ante tricennium circiter munitum, nunc jam proximum Poloniæ Chozimum maximis quoque circumdederit Turca munitionibus, adverſus expreſſa pacta antiqua & recentia cum Polonis, quaſi compendibus duobus graviſſimis exſtructis, maxima damna, & ni Deus prohibeat, interitum Poloniæ â vicinis adeo Turcis imminere, propius divinaſſet. Sed laborioſis hujusmodi demonſtrationibus Orichovii, Varſevicii, & aliorum non ineptè inſcripſit Jánitius in fronte hujus orationis:

*Quam ruit in Turcas facundâ Orichovius ore,*
*Tam ruerent cuncti juncto ſi fœdere Reges,*
*In præceps rueret Solimanni gloria, & eſſet,*
*Aut nihil aut ſervus Getes — — — —*
*Sed mallet decies Rex Gallicus ante perire,*
*Quam ſocius Magni Cæſaris eſſe ſemel.*

III. SIGISMUNDI AUGUSTI REGIS *Epiſtolæ, Legationes & reſponſa.* Item STEPHANI *Regis Epiſtolarum decas, & oratio cenſoria ad Ordines Poloniæ. Item acta & ſcripta circa electionem Regis Sigiſmundi III.* ex collectaneis H. de Huyſſen, typis edidit J. B. Menkenius J. U. D. Lipſiæ Anno 1703. Notandum hìc occurrit, epiſtolas has Sigiſmundi Auguſti Regis & legationes tantum ex biennio Imperii ejus, Annis videlicet 1562. 63. collectas eſſe.

Porrò quod Menkenius in præfat. credere videtur, ſcripta hæc fœtus ingenii Regis ipſius non ſunt, qui in laboribus tædioſiſſimus, in curis Reip. remiſſus, voluptatibus diffluens, literarum

rum parum amans, ab Orichovio, Varſevicio, & aliis coævis Scriptoribus, fuiſſe arguitur. Sed ſunt collectæ ſchedæ Cancellarii ejus temporis, qui quæ ad mandatum Regis in negotiis occurrentibus ſcripſit, & Polonicè per Regnum expedita, in Latinam lingvam converſa, ſibi ſervavit. Nam hoc æqualitas ſtyli, & quod quædam, utpote literæ vocatoriæ ad Comitia Regni, &c. originaliter omninò Polonicè ſcripta, ab eâdem manu latinè translata fuerint, evidenter docet.

Cancellarios autem priſcis illis temporibus, cæteris Secretariis & amanuenſibus raro eousque eruditis, ipſos ſcripſiſſe epiſtolas & inſtructiones Legatorum, vel ex annali 3. pag. 90. Orichovii conſtat, ubi inter laudes mortui Samuelis Maciejovii Epiſcopi Crac. & Cancellarii Regni ponit: *Romæ præ omnium Regum Epiſtolis, Poloniæ laudem meruiſſe, quarum*, inquit, *utique Scriptor hic Cancellarius fuit.* Huic autem Samueli ſucceſſerat Joannes Oſieskius, â bonâ latinitate ibidem pag. 91. Orichovio laudatus: Qui procul dubio harum epiſtolarum Author fuiſſe credendus. Nam adhuc Anno 1563. idem Johannes, Diploma Unionis Ducatuum Sator. & Oſviecim. ſubſcripſit in Volum. Conſtit. pag. 66. Qui eodem quoque Anno Herburti Statutum Præfat. commendavit.

Stylum planè virilem & realem harum epiſtolarum, meritò laudat Menkenius: eſt enim gravis, purus, perſpicuus, dignus viro in negotiis publicis (quæ moram non patiuntur, & rebus magis quam verbis pertractantur) verſato; Inſtructiones quoque articulatæ, plenæ, & legatis non multum arbitrii relinquentes.

Decas literarum Stephani Regis ad Carncovium Epiſcop. Vladiſlavienſem, non idem valent: Sed Oratio ejusdem Regis ad Ordines Regni, quâ in corruptos eorum mores, licentiæ

non

Digitized by Google

non libertati ordinatæ convenientes, acriter invectus, & cujus fragmenta paſſim Scriptores recitant, digna eſt memoriâ poſteritatis. Vid. Heidenſtein Hiſt. Lib. II. pag. 110.

Appendix adjuncta, nempè Ordinum Regni Poloniæ circà electionem Sigiſmundi III. cum eodem, & contra rivalem ejus Maximilianum Archiducem, acta. Item oratio Legatorum Sveticorum in Comitiis iſtius electionis, quâ immenſa bona Poloniæ, ab ambitioſis procis hiſce promittuntur, Cracoviæ Anno 1587. impreſſa typis, paſſim adhuc extant & à me quoque poſſidentur ſeorſivo libro.

IV. ANDREÆ FRICII MODREVII *Orationes, contra impiam legem de homicidiis, pœnâ pecuniariâ vindicandis:* Nempè Prima ad Regem Poloniæ Sigiſmundum Auguſtum, ſub nomine Laskii, Palatini tunc Siradienſis. Secunda ejusdem argumenti, ad Senatum, Equites, populumque Polonum; addita huic eſt alia contra Decretum Ordinum, quo pagi civibus oppidanis adimi permittuntur. Tertia ad Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Presbyteros Eccleſiarum Sarmaticarum, contra eandem legem homicidii. Quarta ad populum plebemque Poloniæ, querela eſt de contemptu legis divinæ in homicidas. Quinta ad Regem, Pontifices, Presbyteros, & populos Poloniæ ac reliquæ Sarmatiæ, de Legatis ad Concilium Chriſtianum Tridentum mittendis: adjecta gratulatione ad Leonhardum Altipolitam Mazovium, de Epiſcopatus Camenecenſis munere, à quo Epiſcopo Fricii eruditio, pietas, & ſingulare in Religionem Studium, in Præfatione ultimæ orationis ſummoperè commendantur. Cracoviæ typis Annis 1543. 1545. & 1546. excuſæ.

Digni ſunt hi ſermones, ut copioſiores impreſſi typis à multis relegerentur: nam judicio bono, zelo juſtitiæ & pie-

tatis ſummo, amore patriæ & libertate illo ævo inculpatâ, nunc intolerandâ, ſtylo denique virili, aperto, æquali, non fucato & anxiè quæſito, ſcripti ſunt. Ut ſatis bonitas Dei laudari non poſſit, quod tempore renaſcentis puræ veritatis Chriſtianæ, ad reformandam Eccleſiam in Capite & membris, doctrinâ & moribus (quod ante & poſt Lutherum Hiſtorici graves & pii ferè omnes, omnium bonorum commune votum fuiſſe, in totius Europæ Regnis, & ex ipſis Italis luculentus Hiſtoricus, Gvicciardinus, unanimes referunt) corruptiſſimis, tot ingenia magna & pia, omnibus Regnis dederit, quorum operâ mundus, ſi voluiſſet, reſipiſcere, & lumen veritatis ubique admittere potuiſſet.

V. CHRISTOPHORI HARTKNOCH, Profeſſoris Thorunienſis *de Republicâ Polonicâ, & connexarum Regno Provinciarum* Libri II. Lipſiæ Anno 1698. tertiò editi.

Quam egregie Hartknoch, illuſtrem hanc materiam, non ab alio ante eum digeſtam, ſed ſummâ diligentiâ, è profundis Hiſtoricorum & legum publicarum voluminibus erutam, primus in hunc Ordinem redegerit; Infinitas quæſtiones, judicio defæcato benè diſcuſſas definiverit, & quoad ſedulitate ſuâ pertingere potuit, opus perfecerit, nemo aliàs cognoſcit, niſi prius Polonorum de Republ. ſuâ anteà editos libellos, Crομeri, Gvagnini, Starovolſcii, Krziſtanowii, Michalonis, & hoc genus alia compendioſiſſima elementa perlegerit. Tunc enim, quæ omnes illi tædioſa brevitate, ex memoriâ ſuâ, ſine ordine, absque ulla probatione jurium publicorum, aut tantum per remiſſionem ad Hiſtoricos, ac legum publicarum fontes, delineaverunt, utilitate nec comparari huic Hartknochii operi digna. Et niſi ob paulùm antiquiora ipſorum de rebus cognitis teſtimonia, eaque pauciſſima, conſerventur, jam feliciter perire poſſe judicabit.

Enim-

Digitized by Google

Enimverò quod multi Politici & publicis negotiis admoti viri, ob Authoris Scholaſtici humilitatem, & à rerum publicarum prora longe remoti, imperitiam in hoc genere, nauſeam affectarint, Librumque hunc contempſerint, hoc per invidiam ipſorum accidit, nullâ Authoris culpâ. Quodſi negotiorum illi publicorum artifices, ſatis doctrinæ & diligentiæ, quæ ad hujusmodi accurati Syſtematis ſcriptionem, ſumma requiritur, haberent, nec otio vel luxu tempus ſubciſivum ſuum detererent, dubio procul rerum ipſis quotidie obverſantium notitiam pleniorem dare poſſent. Aſt in tanta eorum negligentiâ, & plerorumque ad res quas tractant erudite & cum fundamentali deductione, ut lectoribus plenam fidem faciant, ſcribendi ineptitudine, utique illuſtriſſimæ partes Politices, Hiſtoria & Jus Publ. ab aulâ ad ſcholas, in iisque ad viros pro pane & aquâ improbe, tanquam jumenta, laborantes, magno eruditi orbis dolore, remiſſæ ſunt. Et quodcunque ſubindè illi publici Miniſtri parturiunt, feſtinantèr deproperant, ac immaturum plerumque fœtum ejiciunt.

Nihilominus novi ego Illuſtres etiam in Polonia viros, quos Hartknochium ſecum ferre, & quæ ille laborioſe maturoque judicio congeſſit, tanquam bonum indicem rerum ſuarum publicarum adhibere, delectavit. Certè in nonnullis præſertim ceremonialibus, Hartknochium ſubinde hallucinatum fuiſſe, quædam quia ignoravit omiſiſſe, memini Virum Senatorium me coram carpſiſſe. Sed quæ hæc eſt pars Juris Publici? Et quamvis in aliis quoque quæſtionibus quicquam ignoravit, quid hoc ad vaſti, per immenſa ſpatia rerum, ab antiquo hucusque geſtarum, & per tot ſecula pedetentim ad hanc formam concretæ Reip. ampliſſimi Regni, cum certis documentis deducti operis ſyſtema? Idcircò donec illi ab aula & ſedibus curulibus, aut qui negotiis in-

innati ſunt publicis, nobis quid perfectius, ſed pari cum Hartknochio diligentiâ (cui aliqud addere jam proclive, & nihilominus ei qui glaciem fregit, impar foret labor) elaboratum exhibuerint, nemo qui inſignem hanc operam æſtimare novit, ingratus ſpectator erit. Sed illi viro ultrà Scholam judicioſo, benè, cum jam facere non poſſit, dicet, libroque hoc interim percommodè utetur fruetur.

VI. JOANNIS HERBINII, Miniſtri Evangelici Vilnenſis, *Cryptæ Religioſæ Kiovienſes*, *S.* KIOVIA SUBTERRANEA, Jenæ Anno 1675. edita.

Contraxerat Herbinius, natione Sileſius, ex Svecia Vilnam ad Eccleſiam fidelium vocatus, cum Abbate S. Baſilii Rhuteno amicitiam: Qui Anno 1673. Herbinio, Kioviam, pro exquirendo Fabricii Medici filio (ibi Anno 1648. apud Jeſuitas relicto, & in Coſacorum mox ſuborto tumultu perdito) Scrutatorem nuntium Vilnâ mittenti, literas ad Archimandritam Kiovienſem pro eo negotio, ſimul pro elucidatione quæſtionum de verâ Cryptarum harum, tantoperè inter Polonos & Ruſſos laudatarum, hiſtoriâ, ſitu, & aliis veris circumſtantiis, commendatitias exhibuit. Reverſus igitur Anno 1674. nuntius ille, ab Archimandrita humaniſſimam reſponſionem, ſimul librum Neſtoris Monachi cujusdam Rutheni, hiſtoriam omnem Kiovienſium Cryptarum, quibus Sanctorum ſuorum corpora, ab Annis ſexcentis abſcondita eſſe aſſerunt, enarrantem. Item alterum Rituale Ruthenicæ Eccleſiæ, etiam delineationem Cryptarum harum retulit.

Ex hiſce igitur Herbinius, tum Cryptarum deſcriptionem (quæ ſparſam de illis vulgi famam, quoad magnitudinem, longitudinem, & alia mirabilia, robuſtiſſimi mendacii arguit) compoſuit. Tum quæſtiones ſuper incorruptibilitate exuviarum

huma-

humanarum, atque aliis Ruthenorum ſuperſtitionibus propoſiſitas, enucleavit: Fervorem quoque cultus divini Monachorum illorum, & univerſim totius Eccleſiæ Ruthenæ, non ad quæſtum (nam miniſtri ejus plerique ſunt ſine opibus) quemadmodum aliorum bona opera ad lucrum Cleri, ſed ad ſolam religionem ſecundùm conſcientiam erroneam ordinatum; Præterea gratitudinem erga Prædeceſſores & Doctores ſuos, atque genus vitæ ſeriò adſtrictum, jejunia vera famique ſimillima, nullo potu calido vel aromatibus levata, ceu fortia fræna carnalium affectuum laudavit. Sed quod opinione meritorum ſuorum hæc patiantur, Sanctos ſuos ex hujusmodi meritis canoniſatos, ultra civilem gratitudinis modum, tanquàm Patronos & Auxiliatores ſuos coram Deo honorent, ſic fundamentum fidei Chriſtianæ, quod eſt in ſolo & perfectiſſimo merito Jeſu Chriſti, labefactent, hoc Herbinius meritò, ſed manſvetis argumentis improbavit. Et quoniam Kiovia Poloniæ contermina, aliquot ſeculis Regibus Poloniæ paruit, meritò cognitio iſtius Metropolis Ruſſiæ, inter res Polonicas refertur.

VII. DE SALINIS CRACOVIANIS *Obſervatio à Jodoco Willichio*, edita Cracoviæ Anno 1543. recuſa Gedani Anno 1645. Author hic parciſſimè, in arcto hoc libello philoſophatur, de naturâ ſalis nihil refert præter viſa & tentata, in deſcenſu ad locorum illorum cavernas, circa Bochniam & Veliciam.

Præterea nec hiſtoriam Salinarum harum, nec ullas quæſtiones politicas & negotiatorias, quæ aliunde petendæ ſunt, perſequitur. Pauciſſima tamen, præter volumen Conſtitutionum, novi ſcripta, quæ hunc defectum ſupplere poſſint, præſertim cum non ſolum in Cracoviano ſolo, ſed & in Palatinatu Ruſſiæ Rubræ, & in Lithuaniâ, Salinæ foſſiles & coctiles reperiantur.

 VIII.

Digitized by Google

VIII. IDEA APOCALYPTICA STANISLAI ORICHOWII, in quâ facies perturbatæ & afflictæ Reipublicæ Polonæ, ejusque reſtaurandæ ratio repræſentatur; poſt aliquot editiones anteriores, libellus hic recuſus eſt typis, Varſaviæ Anno 1696.

Depinxit Orzechowskius, pro ingenii ſui felicitate, Statum patriæ ſuæ publicum corruptiſſimum, in hoc ac ſi Somnio Scipionis apud Ciceronem & Macrobium, ſapienter; malisque ſi homines reſipiſcere & corrigi velint, excogitavit ſecundùm pietatem, juſtitiam, & charitatem Reipublicæ, remedia æquiſſima.

In eo tamen errore an odio in Ordinem Senatorium injurioſus videtur fuiſſe, quod illi ferè ſoli omnia mala Reipublicæ, â nimio rei privatæ ſtudio, imputet; Regi nullum vitium imperandi, Equeſtri autem Ordini potentiſſimo in Regno hoc, tanquam ſubditis oppreſſis â Superioribus, non niſi obſcurè & per conſequentiam demùm vitia objiciat. Nihilominùs libellus ſub viſionum talium imaginibus, vitia Regni Publica adumbrans, utilis ſubindè eſſe poteſt, viris ad Rempublicam pertinentibus, ad legendum offerri, & ſi cujus rei ſunt criminis vel vitii, ad conſcientiam refricandam.

IX. JOACHIMUS PASTORIUS, Profeſſor olim Gedanenſis, deindè ad Pontificios honorum aviditate prolapſus, Canonicus, Officialis, & Hiſtoriographus Regius, ad imitationem Flori, Compendiatoris hiſtoriæ Romanæ, *Florum Polonicum, ſeu Polonicæ hiſtoriæ epitomen*, primùm Lugduni Bat. Anno 1641. deindè aliquoties auctum, & ad Annum 1660. pacem nempè Olivenſem deductum, Gedani Anno 1679. edidit.

In

In quo Paſtorius, grande Cromeri volumen, ſtylo non affectato ſed libere & purè profluente, judicio quoque bono, feliciter contraxit. Et ubi ille deſiit, additis eâdem brevitate Sigiſmundis & Stephano Regibus, poſteà in Sigiſmundo III. & ejus filiis Vladislao atque Johanne Caſimiro, narrationem laxavit, quibus librum primæ editionis plus duplo auxit.

Quapropter hic libellus, volumina Hiſtoricorum diffuſa & ampla non legentibus, bonam introductionem ad cognitionem rerum Polonicarum abbreviatam; majorum autem voluminum gnaris, bonum indicem & cuſtodem memoriæ præſtat.

X. Idem JOACHIMUS PASTORIUS *Hiſtoriæ Polonæ plenioris partem I.* Anno 1680. & jam poſt obitum ejus, *Partem II. quoque* hæredes Anno 1685. Gedani typis exhibuerunt.

Non hic lector titulo deceptus, plenam aliquam hiſtoriam Poloniæ expectet, præter triennii, poſt exceſſum Vladislai IV. ſub infelici Rege Johanne Caſimiro (quo imperante Deo O. M. tàm barbaro Coſacorum & Tatarorum flagello Poloniam affligere placuit) geſta. Quorum prodromum idem Paſtorius, ut deſiderium hujus ſuæ Hiſtoriæ apud Magnates, Mæcenates ſuos, intenderet, jam Anno 1652. præmiſerat, de quo ſuprà inter libros formæ quartanæ dictum eſt.

Haud equidem indignus lectu hic liber eſt, ut qui multis literarum, diplomatum, & actorum publicorum, apographis refertus eſt, licet in filo narrationis, & rerum minutiis, aut jam in vulgo notis, aut cognitione hiſtoricâ indignis, vigor ille judicii Authoris, in decrepitâ ætate ſcribentis, ſubindè marcidus animadvertatur. Cæterùm nec adeò plena eſt hæc hiſtoria, quin ex diffuſo opere Kochovii multoties ſuppleri poſſit. Nihilominus in tanta hujus Hiſtorici Voluminum raritate,

Pa-

Digitized by Google

Paſtorius paſſim adhuc venalis, lectoribus pro tempore ſatisfacere poteſt.

Acceſſit huic filii editioni, Paſtorii *diſſertatio, de originibus Sarmaticis.* In quâ ille profectò multo diligentior, & ex collatione multorum Scriptorum antiquorum, veraciora, adeòque fide digniora ſcripſit, quàm Dlugoſſus, Varſevicius, Sarnicius, & ipſe illi tantoperè venerabilis Cromerus. Nihilominus, quod ille de Cromero excuſando ait: *Quod apertè fabuloſa & enormia ſecreviſſe contentus, in cæteris antiquæ traditionis hiſpidam velut canitiem comere & pectere quodammodò maluit, quàm prorſus abjicere*; Hoc pari conniventiâ, ex benigni lectoris judicio, & in Paſtorii quibusdam, ab eo timidiuſcule, ne â Polonis Scriptoribus nimium diſſentiret, conceſſis, emolliri poteſt & debet. Nam ſicut in tenebris offendentibus facilis venia eſt, ita Scriptoribus antiquitates chronologicas, præſertim migrationes gentium ſcrutantibus.

XI. JOHANNIS LASITII, Nobilis Poloni, *de Eccleſiaſticâ diſciplinâ, moribus & inſtitutis Fratrum Bohæmorum, cum admonitionibus ad reliquias iſtius Eccleſiæ, & cæteras Evangelicas,* curâ Johannis Amos Comenii primo Anno 1649. ſine loci expreſſione, editus libellus, & iterùm Amſtelodami Anno 1660.

Scripſerat idem Laſitius, Vir Helveticæ confeſſionis, â Rege Stephano legationibus obeundis admotus, de origine, progreſſu, & rebus proſperis vel adverſis fratrum, Libros octo, quorum hic de diſciplinâ octavus eſt: Sed iſti Libri VII. priores nimiâ præcautione Comenii dilati, tandem damno piorum planè deperditi ſunt; argumenta tamen brevia ſingulorum ſeptem librorum huic adjecta ſunt.

Non

Digitized by Google

Non ſolùm propter Authorem Polonum, ſed quia prima fundamenta reformationis in Poloniâ, per hos fatres de Bohæmiâ jacta ſunt, meritò libellus hic Polonicis annumeratur. Quicunque pius ſchema ordinatiſſimum fidelis coetus Chriſti, ſanam quoque doctrinam (licet primi illi fratres propter apertas quasdam heterodoxas opiniones, ab initio in Poloniâ ſub Vladislao Jagellone magnos motus excitarint, ut tanquam hæretici edictis Regiis & Statuum compeſcerentur, & poſteà Helveticæ Confeſſioni accederent, erroribus ſuis occultatis aut correctis,) mores denique Chriſtianorum inculpatos, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ rigorem certè ad normam Chriſti & Apoſtolorum, nusquam, neque in primâ Eccleſia melius ordinatam, cœleſtem inquam cœtum cognoſcere cupit: hìc formam leget, ſive verè â fratribus Bohæmis ſic creditæ, ſive ad fidelium confeſſiones conformatæ doctrinæ & diſciplinæ: Cui parænefes Comenii ante & poſt tractationem Laſitii adſcriptæ, pium addunt ornamentum. Et propter connexionem materiæ huic ſubjungo.

XII. HISTORIAM PERSECUTIONUM *Eccleſiæ Bohæmicæ, â converſione gentiliſmi usque ad Annum* 1632. ab Anonymo Anno 1648. typis Belgicis editam. Si quis ultimis hiſce Seculis, â Deo permiſſam in fideles ſuos crudelitatem hoſtium veritatis Evangelicæ, exempla ſangvinaria immenſa, & catalogum Sanctorum Martyrum recentium, brevi compendio cognoſcere cupit, hunc libellum legat; Et ſe ad ultimas, quæ adhuc ſecundum Apocalypſin fidelibus impendent, perſecutiones, hujusmodi conſtantiæ parvulorum Chriſti paradigmatibus fortiter confirmando, præparet. Nam & hi omnes propter verbum Chriſti, utut in Articulis non fundamentalibus â veritate aliqua deflexerint, paſſi ſunt.

XIII. STANISLAI LUBIENIECKII, illuſtri gente Polonâ prognati, *Hiſtoria Reformationis Poloniæ*, ſub ficto



Digitized by Google

Freiſtadii verbo, typis Belgicis Anno 1685. edita, illis meritò ſubjungitur.

Præmonendus eſt Lector, cui hic libellus in manus venerit: non agi ab Authore aliud, quàm ut paucis de Statu Eccleſiæ poſt Apoſtolos præmiſſis, ſtatim ad Authores in Poloniam advectæ ſectæ Unitorum, qui Trinitatem in Deo negant, deſcendat; Socini, Liſmanini, Serveti, Stancari, & eorum diſcipulorum acta diligenter notet, progreſſum, perſecutiones, ac denique publicâ lege Regni totâ Poloniâ ejectos ſequaces Arianiſmi, ſive potiùs Socianiſmi, enarret.

Cautè igitur libellus hic legendus eſt, ne occultum virus facundiâ Lubieniecii animum legentis inficiat. Fuit ſane Vir ille, qui multa in exilio ſuo perpeſſus eſt incommoda, compasſione dignus, quod ad ſcopulum verbi divini offendens, ſolius conſcientiæ ſtimulo, ſed in errore inſigni & fundamentali, tanta mala patienter ferre, quàm doctrinâ, ſapientiâ, moribusque ſuis inculpatis, patriæ inter Evangelicos lucere maluerit. Idem ille Author eſt magni Theatri Cometici operis, quod Regi Daniæ Anno 1667. obtulit. Tandem Hamburgi, Vir ille eruditus & bonus, veneno neſcitur à quo cibo ejus aſperſo, unà cum binis filiabus Anno 1675. periit. Ingemiſcere ſorti humanæ ſubit, quod neque hic exul miſer & pauper à Venenifero crudeli hoſte tutus fuerit.

XIV. LEONHARDI GORECKI, Equitis Poloni, *Deſcriptio belli Ivoniæ Wojewodæ Wallachiæ*, quod Anno 1574. cum Selimo II. Turcarum Imperatore geſſit. Item *Johannis Laſitii, de Ingreſſu Polonorum in Valachiam cum Bogdano, & cæde Turcarum*, Francofurti Anno 1578. edita.

Narrat Gorecius ſtupendam Ivoniæ Palatini fortunam bellicam, quâ ejuratâ cum fide Mahometanâ (quam olim ſpe honorum à Turcis obtinendorum, ultro amplexus fuerat)

Ser-

Servitute Turcarum, exercitu ſatis modico, paucis auxiliariis Polonorum & Coſacorum cohortibus aucto, Turcarum immanes cum auxiliis Hungarorum & Moldavorum, ad ducenta millia bellatorum collectas copias, aliquoties delevit, ut Selimum ipſum terror ab hoc bellatore invaderet. Tandem quomodo Ivonia â ſuis Vallachis proditus, in Turcarum poteſtatem, ſub fide ſalutis juratâ deditus, rupto ſacramento, crudeli morte affectus ſit.

Laudat Gorecius Hiſtoriam ſuam Poloniæ, viginti libris, usque ad exitum Sigiſmundi I. deductam; ſed quoniam nulli unquam Scriptori cognita fuit, ante editionem periiſſe credenda.

Laſitius verò hic, ea quæ in Vallachiâ ante Ivoniam (qui Bogdanum â gubernaculo, corruptis auro Purpuratis Turcarum detruſit) Anno 1572. contra Turcas, eorumque auxiliares exercitus præcipuè â Polonis amicis Bogdani, inſcio tamen Rege ſuccurrentibus geſta fuere, eo tandem exitu, ut potentiæ immani Turcarum, Ivanum in Provinciam deducentium, cedere coacti ſint. Sed Ivoniæ, victoriâ ſuâ crudelitate inhumanâ abuſo, eâdem menſurâ Deus poſteà rependit. Profitetur Laſitius, ſe in ea hiſtoriâ Paprocium ſeqvutum fuiſſe. Cum autem Paprocii nullum Hiſtoricum opus, præter Heraldicum illud, publicè cognitum ſit, manu tantum ſcriptum procul dubio fuit, quod ita ineditum quoque periit.

Idem Laſitius, *cladem Dantiſcanorum*, in bello contrà Regem Stephanum Anno 1577. â Polonis, Duce Johanne Sborowskio inflictam, iiſdem typis, Wallachicæ ſuæ hiſtoriæ adjecit. Sed in Cauſis hujus belli enarrandis, Gedanenſium juſta gravamina, Regi Stephano per malevolos Conſiliarios in malam partem detorta, Laſitius extenuat, acta omnia Gedanenſium indito genti ſuæ faſtu ſuperbè taxat, cladem nimium



Digitized by Google

amplificat, ſuis ubique abblanditur, & in omnibus numeris ſuſpectum ſe hiſtoricum exhibet. Qui enim alias in ea cauſa tunc temporis editas relationes legerit, facilè Laſitii fidem enervabit.

XV. ANDREÆ MAXIMILIANI FREDRO, Caſtellani Leopolienſis, *Geſta Poloniæ ſub Rege Henrico Valeſio*, Dantiſci Anno 1660. typis edita.

Incipit Author ab obitu ſterili Sigiſmundi Auguſti Regis Anno videlicet 1572. Deliberationes de inſolitâ hactenùs Electione Regis extra patriam, & diverſa Ordinum conſilia, tum acta Convocationis & Electionis, quæ tandem in Henricum Valeſium deſiit; porrò Legatorum Reipubl. Pariſiis cum Electo atque Miniſtris Regiis diſputata, tandem conventa pacta, ſive conditiones Imperii, coronationem, & poſt quinque menſes inſperatum diſceſſum Regis in Galliam; Indè animorum motus, & poſt denunciationem maturandi reditus Henrico factam, publicatum interregnum; In Comitiis Electionis autem Sciſſionem Ordinum, quorum una pars Maximilianum II. Cæſarem, altera Stephanum Tranſylvaniæ Principem, Regem, & ſimul maritum Annæ Sigiſmundi I. filiæ, proclamavit; Præterea Confirmationem ab armato Conventu potiſſimorum ex Senatu & Nobilitate, Andreoviæ Electi Stephani & Annæ; denique properatum Stephani Cracoviam adventum, enarrat, & ſic in Anno 1576. hiſtoriam finit. Interregnis illis duobus, tam in Vallachiâ â Turcis cum Ivoniâ geſta, quàm quæ â Tataris in Poloniâ, & â Violentis civibus miſero populo per abſentiam Regis inflicta mala fuere, interſerens.

Ejusdem *Monita Politico-Moralia*, & *Icon ingeniorum* Gedani Anno 1664. Item Scriptorum ejus, ſeu *Annotationum togæ ſagique fragmenta*, ibidem Anno 1660. edita.

De quibus non intereſt multum diſſerere; dignitas enim perſonæ ſcribentis, & zelus ejus pro religione Romanâ contra

Diſſi-

Digitized by Google

Diſſidentes ubique prominens, apud Clerum illi authoritatem, & ſolita perſecutorum fidelium merita, denique reverentiam apud omnes peperit, ut errores vel veritates concluſionum ejus, nemo ad obruſſam facilè exigere velit. Lecta apud alios Scriptores vir ille non ſibi ſoli ſervare voluit, ſed amicos quoque inſtruere, imò feros adhuc nonnullos Sarmatas, literarum humaniorum dialogiſmo manſveſacere. Hunc certe ſcopum non malè ferit, ſed ut religionis, ad pompam externi cultus penitùs adornatæ zelus, ut patriæ mos, ut amor ſuæ gentis, affectus ejus inflarunt, ità mens â ſe ipſa, aut ab aliis Scriptoribus aſſerta, concoxit, & impetum ſententiis verborum fluxus addidit. Qui aphoriſmos hoſce, demptis iſtis præjudiciis, ad normam veritatis reſolvere valet, mox, qui veri qui falſi ſint, pronunciare poteſt.

XVI. *De ſcopo Reipublicæ Polonæ*; contra Hermannum Conringium, FRANCISCUS MARINIUS Vratislaviæ Anno 1665.

Marinius ille (quem Hartknoch de Republicâ Pol. Lib. I. Cap. 2. §. 9. *Johannem Sachſium, Secretarium Thorunenſem fuiſſe*, refert) â Profeſſore Conringio, in collegio privato auditoribus de Republ. Polonicâ diſſerente, audiviſſe ait, quod ſcopus Reipubl. Polonæ hodiè ſit vita Nobilitatis luxurioſa. Indè anſam ſumpſit, oppugnare eam ſententiam Conringii; & ad æqualitatem Civium h. e. Nobilium, atque ſalutem, formam Reipubl. aptè eſſe exſtructam evincit, ac per totum ferè libellum potiſſima jura majeſtatis libertate Statuum attemperata ediſſerit. Sed macram admodùm eam deductionem, nullis legibus Regni, tantùm ex antiquatis jam ratione horum jurium locis Authorum, probatione firmatam elaboravit.

Hæc diſſertatio (ſolenni jam olim Academico illo vitio, ut celebri alicui Doctori obloquens, tanquam læſæ Majeſtatis



Digitized by Google

reus, imò convitiis, & quicquid irarum docti habent, proſcindatur) aliquem ex aſſeclis Conringii provocavit, ut ſententiam Conringii non mitigare, ſed conviciis & acerbis opprobriis contra Marinium defendere aggreſſus ſit. Marinium, ingratum auditorem & diſcipulum Conringii, natione Sileſium (ideò quod in libro ſuo Domum Auſtriacam, monarchico regimini planè aſvetam, ab Electione Regum Poloniæ rectè excludi, ſcripſerit, tanquam Cæſaris ſubditum, majeſtatis crimine involvit) verba Conringii, luxum immanem Nobilitatis Polonæ, verbis Starovolſcii & aliorum Scriptorum Polonorum perſtringentis, itaque concludentis: *Videri jam, ſcopum hujus Reipublicæ luxurioſam vitam Nobilitatis eſſe*, peſſimè detorquentem, proindè calumniatorem & ſycophantam, qui cum injuriâ Conringii ſibi favorem Polonorum acquirere voluerit, appellat.

Mihi quidem videtur, Conringium, quod vitia gentis, tantoperè à multis modeſtis Poloniæ Senatorii & Equeſtris Ordinis viris, ſæpius increpata, ad definitionem ſcopi totius Reipublicæ applicaverit, ſolâ diſtinctione finis externi, qui eſt ſalus populi, ex bellis, ex divitiis, vel ex luxurioſa vitâ, quæſita; & finis interni, qui eſt forma Reipubl. non plane excuſari vel defendi poſſe.

Quod enim Regnum, quæ Reſpublica, & quidem ſine comparatione magis, ad Orientem, & Meridiem, Occaſumque ſita, quàm Polonia cæteraque Septentrionalia, non abundant luxurioſis hominibus? Tamen quis ideò ſcopum externum quoque dicet Regni vel Reipubl. aut Civitatis eſſe luxuriam? Nihilominùs iſte defenſor Conringii ſatiùs feciſſet, ſi verba Conringii, quæ in ordine morali & correctorio bonum ſenſum admittunt, emolliviſſet, nec tam injurioſa refutatione Marinium, eam non meritum proſcidiſſet.

Inquietum tamen hominem hunc Johannem Sachſium, Frauſtadio-Polonum, non Sileſium, fuiſſe Anno 1669. ad Secre-

Digitized by Google

Secretarii munus Thorunium vocatum, mox ſequenti Anno peregre abeuntem, & è Belgio in Indiam Orientalem tendentem, mari ſubmerſum periiſſe, arguit. Quod refert Zernike Chron. Thor. Append. pag. 214.

XVII. CENSURA CANDIDATORUM *Sceptri Polonici*, ſine nomine ſuo Anno 1669. edidit typis Andreas Olſzowski, Epiſcopus Culmenſis & Procancellarius Regni. Quod nepos ejusdem, Zaluski Epſcop. Varmienſis Tomi I. P. I. non ſolùm fatetur, ſed ejus bonam partem operi ſuo inſeruit. Tantoperè Scripto virulento & magnis Principibus injurioſo delectatus, ut quod ille Olſzovius, privato erga domum Wiſniowiecianam, ipſamque perſonam Michaelis Principis affectu, ſpe ſummarum dignitatum per illum adipiſcendarum, factione laborioſiſſimâ perfecit, hoc tanquam divinitus illi inditum, & Prophetico ore ejus prædictam Electionem interpretatus ſit.

Sanè quæ hic libellus contempta & ſuperciliosa, in Principes Neoburgicum & Lotharingicum impunè evomuit, ea alius Polonus, ſub titulo, CENSURA CENSURÆ CANDIDATORUM Sceptri Polonici, eodem Anno 1669. typis, abundè ei reſpuit, quod ſcriptum huic Cenſuræ annexum eſt.

Sed domui Brandeburgicæ, contra hiſtoriæ & actorum publicorum veritatem, venenato ſtylo, animo livore & odio flagrantiſſimo, objecta, quoniam contempta nec publica refutatione digna ab illo tempore judicata fuere, pro inſtituti ratione prætereo. Nihilominùs usquè adeò apud Polonos valuerunt, ut Zawadskius non aliundè quam ex hoc ſcripto, virulentum ſuum Exilem tractatum, injuriis & falſitatibus ad Regem Johannem impleverit.

XVIII. CHRISTOPHORI VARSEVICII Can. Crac. *Reges, Sancti, Bellatores & Scriptores Poloni*, Poſnaniæ Anno 1629. juxtà exemplar Romæ impreſſum.

Si

Si unquàm, certè hujus libelli titulus & tantæ famæ Author me decepit, ut vix poſt laborioſſimas inveſtigationes & impenſas, unius folii in ſexdecim plagulas ſecti ſchediaſma, tandem nactus, non titulo, non Authoris nomine, ex ulla parte illud dignum judicaverim. Usque adeò, ut præter ſola nomina Regum memorabilium, usque ad Sigismundum III. Item Sanctorum, propter martyrium, vel fundationem Monaſterii, vel Canoniſationem Pontificis, vel nulla ſanctificationis cauſa additâ; Bellatorum quoque paucorum; Scriptorum verò, nullis aut pauciſſimis additis eorum ſcriptis, absque ullo elogio & notitiâ, quid & quando ſcripſerint, jejunum exhibeat catalogum. Qui ne ipſius quidem Authoris, nomina illa ex Hiſtoricis colligentis, nedum aliorum memoriam ſublevare, eo minus ad cognitionem rerum & perſonarum virtutibus eminentium, quicquam juvare poteſt.

Error autem ex adſcriptis titulo libri ad nomen Varſevicii duobus C. C. quæ Canonicum Cracovienſem ſignificant, ſatis palpabilis enatus eſt, quod ipſi Ducentorum elogia Regum Sanctorum, Bellatorum & Scriptorum adnumerent, qui vix centum triginta nomina ſaltem numeravit non explicavit. Sic monemur, non omnia â viris fama elevatis, digna nomine tanto eorum ſcribi, multâque præcautione in eligendis & æſtimandis libris, præſertim juventuti inexpertæ opus eſſe.

XIX. STANISLAI LUBOMIERSCII, Regni Poloniæ Supremi Marſchallii, *Rozmova Artaxeſſa y Evandra*. h. e. Dialogus Artaxerxis cum Evandro, ſine nomine editus Varſaviæ Anno 1694. In his colloquiis, de variis Politicis, Moralibus, & Phyſicis rebus, quicquid Viro Illuſtri lectione librorum delectato, pulchrum, & ad hominum aulicorum informationem utile viſum, quodquè ipſe longâ praxi rerum publicarum & privatarum expertus fuit, ab admiratoribus ſuis,

verba

Digitized by Google

verba tanti viri & ſcripta extollentibus, perſtimulatus, typis tandem commiſit. Ob terſiſſimum ſtylum Polonicum præcipuè lectore digna, nec præceptorum bonorum vacua erunt.

Ejusdem de VANITATE CONSILIORUM, libellus, ibidem typis Anno 1700. publicè expoſitus, 25. Conſultationibus, de negotiis publicis ad Statum Polonicum præcipuè pertinentibus, ſub Vanitatis autem titulo, irritas deliberationum concluſiones repræſentans.

Certè quemadmodùm alibi gentium verum eſſe experimur, magis opinione populi quàm verâ ſapientiâ Rectorum, conſilia & negotia publica expediri, ita eadem nec in Poloniâ tot diverſiſſimis ingeniis, quæ ad gubernandum Rempublicam pertinent, absque erroribus & vitiis fieri fatendum. Cui morbo ſalutaribus monitis contradicitur à multis ſapientioribus: ſed medela afferri non poteſt, niſi â ſolâ benignitate Dei, qui conſilia male collata ad bonum tamen finem, commiſeratione populi, dirigit. Idcircò nos conſilia hominum quorumcunque, non ad conſummatiſſima Platonis præcepta, vel Utopiæ exempla exigere, nec cum Agrippâ omnia ridere, nihil corrigere, tandem nihil credere; Sed cum infirmitate humanâ potius compati, Deique clementiam pro bono populorum omnium exorare decet.

Ejusdem STANISLAI LUBOMIRSCY Opuscula Latina ſacra & moralia, ſcilicet *de remediis Animi ſeu regula mentis*, *Theomuſa ſeu Doctrina fidei Chriſtiana*, carmine Latino, & *Adverbia moralia ſeu de virtute & fortuna*, Varſaviæ Anno 1701. Hunc poſtremum libellum ætate adhuc vigens ſcripſit, & præcepta moralia, diſcurſusque, ſtylo lapidario conciſo, ſingula ſub titulo ſinguli adverbii, pro memoriâ contexuit.



Digitized by Google

Illos binos priores, ſenex jàm, ante per vitia (quæ non ſatis à vulgi ore, qvod benè memini, occultaverat) actæ vitæ memor, meditationibus ſacris, pſalmis pœnitentialibus, & multis doloris ſui expreſſionibus, palàm confeſſus, ſolique, Jeſu Chriſti paſſione & obedientiâ partæ nobis gratiæ ac miſericordiæ Dei, non ſuis ullis meritis innixus, ſpem gloriæ æternæ prædicavit. Utinam animus ori ipſius plenè conſentiens fuerit, & omni procul dubio ſuper hoc fundamentum Salutem ſuam egregiè ædificatam obtinuit.

XX. HISTORIA O REWOLUTYI KROLESTW SZWEDSKIEGO Y DUNSKIEGO h. e. Hiſtoria revolutionis Regnorum Sueciæ & Daniæ Anno 1701.

Author hujus libelli fuit Illuſtris *Potulicki*, *Palatinus Breſtenſis Cujaviæ*: Qui Patriæ funeſtiſſimam, ab internis factionibus, usque ad dethroniſationem Regis ſui, & graviſſimum Patrocinium Suecorum introductum, reſpiciens faciem, cum multis Sapientibus Polonis, quia per monita & benè conſulta non potuit, terrore exemplorum revolutionis Sueciæ & Daniæ regnorum, â ſummâ libertate ad imam ſervitutem Nobilium, cives ſuos ad reconciliationem, & concordem pro Patriæ libertate operam revocare voluit. Quod ipſe in præfatione faſſus, & in titulo his verbis Taciti innuere voluit: *Pauci prudentiâ honeſta à deterioribus, utilia à noxiis diſcernunt, plures aliorum eventis docentur.* Multis igitur caſibus, conſiliis, & ad revolutionem fata impellentibus cauſis, in hoc libello, ex hiſtoriâ iſtorum regnorum occurrentibus, Polonico terſiſſimo ſtylo exaratum, neminem legere pigeat. Simul ex recentiſſimè, præter omnem ſpem univerſorum Sapientum, recuperatâ libertate ſubditorum in Sueciâ, magis Dei quàm hominum opus eſſe regnorum felicitatem conſervare, diſcat.

DE

Digitized by Google

# DE
# SCRIPTORUM PRUTENICORUM,
## TYPIS IMPRESSORUM ET MANUSCRIPTORUM
IN
## BIBLIOTHECA BRAUNIANA
COLLECTORUM,
VITIIS ET VIRTUTIBUS
JUDICIUM AUTHORIS.

---

ANNO M DCC XXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

# PRUTENICI SCRIPTORES IN FOLIO.

## I.

CHRONICON MAGISTRORUM ORDINIS TEUTONICI, vulgo dictum: **Die Hoemeiſter-** CHRONICA, & ita inſcriptum: **Des Hochlobwürdigen Ritterlichen Ordens / zuſamt der Edlen Lande Preuſſen und Liefland Urſprung.** MSCriptum.

De Authore hujus Chronici, qui pag. 13. & 23. Epiſcopus Paderbornenſis dicitur, & cui Venator in Hiſtor. Ordinis Lib. I. Cap. I. pag. 7. Bernhardi ab Oſeden nomen, atque in legatione ad Papam Cœleſtinum, pro Confirmatione hujus Ordinis Anno 1191. locum tribuit; induſtrius noſter Hartknochius, Diſſert. de Script. Pruſſicis, primus dubium injecit, deduxitque, tempore Friderici Barbaroſſæ Imper. Anno 1186. non iviſſe in Palæſtinam Epiſcopum Paderbornenſem, ſed Advocatum iſtius Epiſcopatus, Comitem de Swalenberg & Waldek.

Enimverò licet Epiſcopum Paderbornenſem tunc in Palæſtinâ non fuiſſe credamus, à Comite tamen illo, Chronicon hoc inceptum eſſe non licet credere, quoniam ex aliquot locis prologi, viri clerici alicujus, odium in Cæſares illius ævi,



Digitized by Google

Fridericum I. & Henricum VI. virulentum patet, uſque adeò, ut in fine ſacteu: Doch watds mit Weißheit dazu bracht / daß der Kayſer dem Pabſt gehorſam und unterthänig ſeyn ſolte; quæ verba ſuperſtitioſo homini Clerico, non viro nobili & prudenti conveniunt. Et qualia ipſe Dusburgius, utut Sacerdos, de hoc negotio agens nusquam protulit, ſed pag. 27. prudenter & modeſtè gratiam Imper. & Papæ, in Magiſtrum Hermannum collatam prædicat.

Cæterùm hoc dubio caret, quod Hartknochius addit, præter Prologum, vix aliquid Authori antiquiſſimo hujus Chronici tribuendum: Mox enim ab alio Anonymo, æque ignoto continuatum, iterùmque ab aliis ulterius deductum eſt, donec ùltimus Continuator in prologo nomen ſuum appoſuit, nempè *Chriſtophori Johannis* von Weiſſenfels.

Major quæſtio eſt. Quare Hartknoch d. l. Chronicon hoc promiſcuè Hoemeiſter- und Ordens-*Chronica*, appellarit? deceptus nimirùm titulo, Ordinis hiſtoriam promittente, ſed omni dubio procul ab ultimo Scriptore illo Weißenfels demùm inſcripto. Hennebergius certè inter Chronica MSpta Explicationi Mappæ Geographicæ præfixa, inter certos Authores ponit, die Hoemeiſter-*Chronica*, welche ein Biſchoff von Paderborn angefangen. Idem mox in fine ejusdem Catalogi inter Scriptores incertos numerat, die Ordens-*Chronica*. Itaque Hennebergius hæc duo Chronica ſemper in toto opere diſtinctè allegat. vid. pag. 29. 33. 55. 60. & ſic multoties. Caſparus Schützius quoque Fol. 208. b. *ex Chronico Ordinis* allegat, numerum occiſorum ad Choynitziam Cruciferorum No. 60. tantùm, ſed hocce *Chronicon* der Hoemeiſter fol. 137. numerat. No. 82. occiſorum; quapropter nec Schützius hæc duo Chronica habuit pro iisdem.

Nihil-

Nihilominùs M. Martinus Behm, Prof. Thorunenſis, poſteà Rector Scholæ Mariæburgenſis, in eo audiendus non eſt, quod triplex Chronicon facit, & allegat in ſuo conſpectu Magiſtrorum Anno 1711. Diſſertationibus publicis edito; Scilicet *Paderbornenſe*, item die Hoemeiſter-tertio quoque die Ordens-*Chronica*, quæ tria Hartknochius conjunxit. Nam illud ipſum quod Paderbornenſe appellat, hocce eſt Chronicon, die Hoemeiſter-*Chronica*.

Appellari autem die Hoemeiſter-*Chronica*, quoniam de ſingulorum Magiſtrorum Electione & rebus geſtis, breviter agit. Cæterùm ex verbis hujus Chronici fol. 95. in Magiſtro Conrado de Rotenſtein; Das andere/ von dieſem der Pohlen unchriſtlichem Vornehmen und Händlen/ magſt du in des Ordens *Chronica* und Büchern ſuchen und leſen/ evidenter patet, hoc noſtrum Chronicon non quidem illud Ordinis, nihilominus ex illo ipſo compilatum eſſe.

Diverſos verò Compilatores hujus Chronici Magiſtrorum fuiſſe, probatur ex verbis ejusdem fol. 24. ubi Continuator prologi antiqui, Sabellicum, qui Anno 1500. floruit, & Johannem Annium Viterbienſem, qui 50. fere Annis illum anteceſſit, allegat; Hinc Author qui Prologum continuavit, & Chronicon ipſum compilavit, initio Seculi XVI. ſcripſiſſe præſumendus. Quodſi cum Hartknochio credamus, Authores illos ſerò à deſcribentibus textui intruſos fuiſſe, vel ex eo dubium hoc fit, quod in quatuor exemplaribus Chronici, quæ contuli, conſtanter initio deſcriptionis Pruſſiæ, poſt quartum Magiſtrum, in textu ante §. Das vorgenannte Land Preuſſen war getheilet in eilff Theile/ ꝛc. iſti Authores allegati reperiantur. Tantùm in unico exemplari, loco Joh. Annii Viterbienſis, falſo legitur, Johannis Aventini Viterbienſis, errore deſcribentis inſigni.

Porrò

Digitized by Google

Porrò fol. 26. narratur hiſtoria de Pruſſorum aſſultibus arcis Regiomontanæ, quo tempore unus ex barbaris arcum intenſum humi ſublatum collo circumdederit, ſed remiſſo nervo cervice truncatus fuerit. Atqui hæc verba, ex Dusburgio pag. 3. Cap. 100. deſumpta, arguunt, compilatorem Chronici hujus Dusburgio, qui usque ad Annum 1330. ſcripſerat, fuiſſe poſteriorem.

Deinde fol. 81. Author dicit, muros deſolatæ à Sultano Anno 1291. urbis Agriæ ſeu Ptolemaidæ, adhuc ſuâ ætate altitudinem viri æquare, templa verò & Palatium adeò deſtructa non eſſe, quin auxiliante Deo facilè reparari poſſint. Undè primum hujus Chronici compilatorem, poſt prologum Epiſcopi Paderbornenſis, non ipſum hunc Epiſcopum, qui centum annis ante ruinam Agriæ in Palæſtinâ cum Imp. Friderico fuiſſe ibi laudatur, ſed alium quempiam circà Seculi XIV. medium fuiſſe, & Chronicon ultra Vernerum ab Orſelen Magiſtrum non extendiſſe, probatur. Qui enim ſequitur textus in Magiſtro Ludero Duce Brunſvicenſi, mox fol. 88. & 95. de extremo odio Authoris in Polonos teſtatur, quale Cruciferi ante Electionem Vladislai Iagellonis nondùm induerant.

Adeò ut d. fol. 95. Author, de matrimonio hujus Regis cum Hedvige Reginâ, tanquam de ſutore aliquo ſcribere auſus fuerit; Quaſi Regina Wilhelmo Archiduci matrimonio & concubitu plenè copulata, violenter à factioſis Senatoribus erepta, & Iagelloni invita tradita ſit. Quod omnes antiqui Scriptores Cruciferorum audacter ita tradunt: Nempe Continuator Dusburgii Cap. 28. Item Johannes Lindenblat Officialis Riſeburgenſis in Chron. fol. 9. & fol. 83. Item Chronicon Samilianum in 4to. fol. 151. Undè ſummum abindè odium Ordinis Teutonici in Polonos colligere poſſumus: Niſi in hoc

Digitized by Google

hoc negotio Archiducis, verba Laskii in Præfat. ad Ordines Regni pag. 8. Statuto præfixâ, traditioni iſtorum Scriptorum patrocinari credas. Ait enim: *Hedvigis, in virginali Statu nupſit primùm Wilhelmo Auſtriæ Duci, conſentientibus primoribus Poloniæ Regni. Hic cum ſuis inſolentius ſe gerens, quam legitimum decebat Principem, ob deſpicabiles mores ſuos Polonis exoſus, pellitur de Regno. Nupſit deindè, licet invita, diſpenſante Sede Apoſtolicâ, Vladislao Jagelloni &c.*

Nihilominùs neque iſtum compilatorem hoc Chronicon ad finem perduxiſſe, ex ejus fol. 89. patet, ubi ad documenta in Archivo Ordinis adhuc ſuo tempore aſſervata provocat, ratione Cujaviæ Vladislao Loctico Regi redditæ: Deindè verba ipſius pleniſſima odio & convitiis in Polonos â fol. 88. usque ad fol. 139. Henricum nempè â Plauen Magiſtrum, ſuperſtitionis quoque manifeſta, minimè congruunt cum ſequentibus usque ad finem, quibus Polonorum ubique bona, & in ultimo Magiſtro Alberto, etiam venerabilis mentio fit, â Johanne de Weiſſenfels, qui ſuperſtitioſa omittit, & Ordinis ſcelera mox in Henrico de Richtenberg mordaciter taxat, procul dubio adſcripta.

Proindè ſic de compilatoribus hujus Chronici judico: Paderbornenſem, ſive Epiſcopum, ſive alium Prælatum, primis Annis Seculi XIII. de initiis Ordinis Teutonici Scriptum aliquod collegiſſe: Cui alius æque ignotus poſteà quædam, de primorum Magiſtrorum rebus geſtis, adſcripſit, usque ad ingreſſum Ordinis in Pruſſiam, ſub Magiſtro Hermano de Salza, & in eo finit Prologus fol. nempe 20. Porrò ipſum Chronicon â fol. 21. usque ad fol. 88. Annum ſcilicet 1330. Werneri Magiſtri mortem, & electionem ſucceſſoris, Luderi Brunſvicenſis, â quodam continuâ ſerie, ex Chronico Ordinis aliquo,



Digitized by Google

& Dusburgio, antiquâ ſimplicitate, absque odio vel ſtudio partium, compilatum. Indè vero usquè ad finem belli magni Annum videlicet 1466. atque obitum Magiſtri Ludovici ab Erlichshauſen, fol. 139. recentiſſimo odio Polonorum, ſummâ adulatione Ordinis, ſuperſtitione triſti, ab alio continuatum. Denique â ſucceſſore Ludovici, nempe trigeſimo Magiſtro Generali Ordinis, Henrico de Richtenberg, per Chriſtophorum Johannem â Weiſſenfels, Secretarium ultimi Magiſtri & Ducis Alberti, ex ſchediaſmatis ſuis, & quæ ipſius ævo contigerant, adſcripta. Nam fol. 143. enumerans vaſa argentea, ab Epiſcopo Sambienſi Dieterico de Cubâ, templo ſubrepta, inquit: **den Fuß von der groſſen Monſtrantze / der noch vor kurtzen Jahren iſt geſehen worden / bis zum nächſten Kriege / als man ſchrieb** 1520. Et paulo ante citat Gabrielis Canonici Regiomontani hiſtoriam, de Magiſtro Richtenbergero, qui Anno 1477. mortuus eſt. Refert quoque, quod ipſe in comitatu Alberti Ducis, inter Officiales aulæ fuerit Anno 1525. circa tractatam, & denique Cracoviæ feliciter perfectam illam famoſam ultimam pacificationem Pruſſiæ cum Poloniâ. Et in fine fol. 277. adhuc Anno 1550. ſe vivente, alteram Conjugem Brunſvicenſem, Duci Alberto Domino ſuo adductam fuiſſe refert.

Cæterùm ex æqualitate ſtyli & Ordinis, â principio Chronici usque ad finem, facile patet, ultimum hunc Congeſtorem C. J. de Weiſſenfels nimiam ſibi poteſtatem ſumpſiſſe, in deſcriptione hujus Chronici. Usque adeò ut Prologum & ſequentia, antiquo Saxonico h. e. Veſtphalico idiomate olim ſcripta (quali omnia Chronica noſtra, ante medium Seculi XV. ſcripta, adhuc charactere Gothico videmus & legimus) planè immutare, & ſui ævi jam magis polito Germaniſmo componere,

Digitized by Google

nere, judicium & nomen ſuum ex occaſione Authoris prologi, intrudere, ſuumque ferè opus totum facere auſus fuerit. Qui melius hiſtoriæ conſuluiſſet, ſi antiquitus ſcriptis Chronicis retentis, ſua ad continuandos annales prudenter adjeciſſet. Amat enim hiſtoria antiquitatem, ad faciendam lectori fidem eorum quæ antiquitus geſta ſunt.

Quantum ad ipſam Hiſtoriam hujus Chronici pertinet, illam in prioribus libris nimis abbreviatam, eventus tantum ſine conſiliis, & quod tædioſum eſt, absque circumſtantiis ullis acta narrantem, judicioſe parum ſcriptam, & aliis rudibus Chronicis noſtris ſimilem judico: In Chronologia verò etiam ab aliis diverſam, ſæpè & falſam, ita ut Gaſparus Schützius fol. 35. non malè dixerit: *Oleum atquè operam perdere eum, qui Chronica noſtra, in aſſignando rebus geſtis tempore conciliare voluerit.* Sed ex Tatiani Oratione ad Græcos quoque addendum: *Apud quos confuſa & diſſoluta eſt temporum ratio, illis nec hiſtoriæ veritatem ſatis conſtare poſſe.*

Hanc enim Pruſſia noſtra cum aliis gentibus & populis habet infelicitatem, ut antiquæ, etiam ſub Chriſtianis jam rectoribus, res geſtæ, non publicâ Authoritate, ſed neque â viris doctis, verùm â vulgaribus & ſordidis plerumque manibus tractatæ, maximarum rerum & deliberationum ignorantiam, vulgarium verò diſcrepantiam pepererint. Niſi quod Principes illi Ordinis Teutonici tanto majus meruerint vituperium, quod ipſorum ætas jam viris doctis non caruerit, cum ante illa tempora, præter rudia & ſuperſtitioni obnoxia ingenia, antiquitùs nullas literas ſciverint ſeculares viri.

Nihilominùs annales aliquos in publico ærario ſuo Cruciferos habuiſſe reconditos, dubitare non ſinit locus, quem ex Simonis Grunavii Tr. II. Cap. 5. Henneberg pag. 408.



Digitized by Google

& Hartknoch Vet. & Nov. Pruſſ. pag. 303. allegarunt. *Vinricum nempe Magiſtrum, circà Annum* 1360. *Annales Archivi ſui evolvi curaſſe, ut numerum occiſorum ſuorum in bellis* 83. *Annorum, cum Lituanis pro Samogitiâ indagaret.*

Denique hoc Chronicon Magiſtrorum multi poſteà aut verbotenus exſcripſerunt, aut exſcriptis alia addiderunt. In his Matthæus Waiſſelius, de quo inferius inter libros in 4to. dicendum erit.

Ex illorum numero ſunt ferè, quotquot Seculo XVI. deſcriptorum Chronicorum in Folio vidi exemplaria, quorum compilatores Anonymi & ex vulgo fuerunt, pauci nomina ſua adſcripſerunt, æque inepti. Inter hos vidi Henrici Meiners Chronicon Anno 1560. ſcriptum, in quo hoc Magiſtrorum Chronicon magis confudit, & fabulis aliundè inſertis mutilavit quàm exſcripſit. Præ illis igitur omnibus opera C. J. Weiſſenfels utilior eſt legentibus: nam geſta ab initio Seculi XV. fuſius explicat, fabulasque vitat; judicio tamen æquè tenui ſcripſit, res vulgi diligenter memorans, negotiorum & jurium Reipublicæ incurioſus.

II. LIBER ORDINIS MSptus. Das Ordens-Buch / antiquâ Saxonicâ lingva deſcriptus.

Hujus Copiam deſcribendi mihi fecit, Magiſt. Martinus Behm, qui exemplar ſuum è Bibliothecâ Hartknochii nactus fuit. Sed pretioſius multum exemplar poſteà apud Cos. Elb. D. Johannem Sigiſmundum Jungſchultzium inveni, nempè in pergameno, antiquis literis Gothicis majuſculis vetuſtis, illis temporibus diu ante inventam artem Typographicam uſitatis, proindè, Seculo XIV. adhuc â Monachis deſcriptum. Quod in nonnullis ab illo Hartknochiano diſcrepat, & in fine additas habet preces Ordinis circa inveſtituram novi militis.

Hoc-

Digitized by Google

Hocce igitur volumen continet Ordinis Teutonici *Regulam*, *Leges*, *Conſvetudines*, *Conſtitutiones* & *Venias*. Scilicet (1) *Regula* exponit ea, quæ ad fratrum hujus Ordinis vitam privatam pertinent, votum nempe caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ, curam ægrotorum, exercitium pietatis, charitatis, caſtigationis, converſationis, occupationis in Eccleſiaſticis & ſecularibus negotiis, victus denique amictûs, quæ omnia XXXIX. articulis pertractantur.

(2) *Leges Ordinis*, itidem de talibus rebus, privatam fratrum vitam, præſertim in Eccleſiaſticis ritibus & devotionibus eorum concernentibus, LIII. articulis tractant; in nonnullis Regulam magis declarant & explicant, in potiſſimis pœnas delinquentium fratrum contra regulam ſuam, & quaſi executionem regulæ perſequuntur.

(3) *Conſtitutiones Magiſtrorum Ordinis Teutonici nonnullorum*, videlicet â Conrado de Feuchtwangen, in Capitulo Generali Francofurtenſi Anno 1295. Item â Godofredo de Hohenloe; Venetiis Anno 1297. Porrò â Wernero de Orſelen, Dieterico de Aldenburg, Ludolpho Kœnig, Henrico Duſener, Winrico de Knieprode, Paulo de Ruſſdorff, & Conrado de Erlichshauſen, diverſis temporibus conditæ, & â Capitulis Generalibus confirmatæ. Hæ Conſtitutiones varias leges antiquas Ordinis, de vitâ, moribus, officiis Eccleſiaſticis & Secularibus fratrum, repetunt, declarant, ampliant, aut novas ſanciunt.

(4) *Conſvetudines Ordinis antiquæ & recentiores*, quæ de electione, Officio, negotiis potiſſimis, comitatu & poteſtate Magiſtri Generalis, & Officialium Majorum Ordinis, atque eorundem Officialium & fratrum obſervantiâ, diſciplinâ militari, curâ ægrotorum, & pœnis delinquentium, LXIII. articulis tractant.

 (5) *Ve-*

Digitized by Google

(5) *Veniæ*, ita dicta ordinatio eſt, circà Orationes & cultum Dei ac Sanctorum, adnumeratas genuflexiones & adorationes fratrum Ordinis in templis, ſtatutis temporibus, circà Miſſas, & Pſalmorum, hymnorum ac precum cantiones vel lectiones, obſervanda. Quibus adjecta eſt formula precum, ſecundùm quam fratres Ordinis pro ſe ipſis, pro Cæſare, Papâ, Magiſtro ſuo Generali, Officialibus, fratribus & ſororibus Ordinis, item pro benefactoribus, Authoribus & Patronis ſui Ordinis, denique pro Animabus omnium illorum mortuorum, quotidiè Deum orare debeant.

Denique (6) *Statuta Magiſtri Werneri ab Orſelen*, in Capitulo Generali Mariæburgenſi Anno 1329. de electione, poteſtate, vitiis & virtutibus, bono vel malo regimine, privilegiorum Ordinis manutenentiâ, Vicario denique Magiſtri Generalis, ejus quoque Complicibus in crimine & vitiis, judicio competenti, & funere, condita & promulgata.

De Origine prædictarum legum Ordinis facile demonſtrari poteſt (1) Regulam quidem Ordinis, quoad materiam antiquiſſimam eſſe, quoniam præter inſtitutum primum Ordinis, idem ſubitò amplificatus, absque Regulâ ampliori, in fundamento primæ Inſtitutionis, ab Imperatore & Pontifice confirmatæ, & privilegiis extenſæ, hic Ordo Equeſtris diù eſſe non potuit. Waiſelius ex Chronici alicujus Ordinis fide fol. 41. b. aſſerit, Henricum â Wallpot, primum Magiſtrum circa Sacra & precationes quædam jam ordinaſſe; Quod Dusburgius P. III. Cap. 298. etiam de Siegfrido â Feuchtwangen tradit.

Sed & Dusburgius pleraque ex præfatione Regulæ Ordinis, ad verbum in ſuum Prologum transſcripſit. Præterea in Regulâ hac ſemper Magiſter Ordinis, ſimpliciter absque Generalitatis titulo, ita vocatur. Tali autem titulo contenti fuerunt

primi

Digitized by Google

primi illi Magiſtri, donec ultimis Hermanni de Salza Annis 1236. vel 1238. Provinciales (hactenùs Proviſores tantum dicti) crearentur Magiſtri, videlicet in Germaniâ, Livoniâ, & Pruſſiâ, item in Apuliâ, Romaniâ, Auſtriâ ſive Hungariâ, & in Armeniâ. Tunc enim jàm hic Hermannus appellari cœpit, Magiſter Generalis, der Hoemeiſter. vid. Henneberg in hoc Hermanno, & Hartknoch Nov. & Veter. Pruſſ. Pars II. Cap. 8. §. 3.

In eam tamen formam quâ hic exhibetur Regula, non videtur niſi poſt Hermannum, quartum Magiſtrum Ordinis, congeſta fuiſſe. Articulo enim 33. de ſororibus Ordinis fit mentio, quæ antequàm augerentur ipſorum progreſſus in Pruſſiâ, in Ordinem non fuerant receptæ.

(2) Leges verò Ordinis, quæ tantum Regulam explicant & amplificant, poſteà demùm paulatim additæ fuere (3) Conſtitutionum tituli, de quolibet Authore ſuo teſtantur. Sed (4) Conſvetudines Ordinis, demùm poſt Sigfridum de Feuchtwangen, tam ex antiquiſſimis adhuc in Palæſtinâ à primis Magiſtris conditis, quàm ex poſterioribus ſuperadditis moribus & ordinationibus, compilatas eſſe, teſtantur vocabula quædam Aſiaticis populis uſitata, Europæis nunquam cognita; item Artic. VIII. & alii, qui de Officio Magni Commendatoris agunt: Nam hic cum aliis Magnis Officialibus, ab iſto Sigfrido demùm Anno 1309. & ſequutis creatus fuit, ex Provinciali Magiſtro, cujus dignitas tunc in magnum Commendatorem ceſſit. Nihilominùs omnes has leges uno libro comprehenſas, & Authoritate Magiſtri in Capitulis Generalibus Ordini publicatas fuiſſe, patet ex Conſtitutione Conradi ab Erlichshauſen.

Cæte-

Digitized by Google

Cæterùm omnes hæ leges adhuc de adſtrictiori vitæ genere Ordinis Teutonici, & ſeveriori diſciplinâ, donec cum gentilibus hoſtibus & penuriâ conflictaretur, teſtantur: quam tamen divitiis aucti ſimul cum regulâ inſtitutionis, prout tot alii ordines laxare, tandem Regiis ferè opibus ſaginati, jam ultimis Seculi XIV. annis, ſub Zolnero à Rotenſtein mordere, ſub Conrado à Wallenrode, viro magnificentiâ & faſtu elato, planè aſpernari hi equites ſacri cœperunt: Sub Paulo à Rusdorff autem penitus exuere, & ſine lege atque Magiſtratu, ſicut ferus equus loris ruptis tumultuari, denique in pernitiem ſuam præcipitare.

Propterea igitur, atque ad cognoſcendas Ordinis hujus famoſiſſimi Ordinationes & leges (quarum contemptu, cum unius Seculi decurſu, Provinciis & Regnis acquiſitis, Regibus factus eſſet formidabilis, poſteà inſoleſcens ad ultimam paupertatem juſto Dei judicio prolapſus eſt) denique ejus munia & mores, tanquam antiquitatis Pruſſicæ, & ſuæ olim fortunæ ac primordii pulchrum monumentum, meritò typis publicis conſervari, præſertim reliquiarum hujus Ordinis intereſt.

De Statutis Werneri ab Orſelen, ultimo loco adjectis, à Schützio quoque in Chron. pag. 144. allegatis, Hartknochius in notis ad Dusburg pag. 411. tradit, (quod manu ſcribæ, huic quoque MSpto titulo Statutorum adſcriptum eſt) eadem à Papa Nicolao V. (ſeu potius VI. nam V. ejus nominis fuit Antipapa Johanni XXII. oppoſitus) abrogata eſſe, de qua re alibi ſe fuſius acturum promiſit, ſed nullibi ultra hanc materiam attigit. Cauſam quare Papa hæc ſtatuta, tanto tempore poſt, nempe Anno 1449. prout titulo adſcriptum hìc eſt, damnaverit, nullam aliam video, niſi eam, quod cum Wernerus iſte partes Ludovici IV. Imperat. contra Papam Johannem XXII, palàm tui-

tuitus fuiſſet, acerrimum odium Romanæ Sedis meritus, ignominiam hanc poſt centum duodecim Annos pertulerit; ut Pontifex ad inſtantiam Magiſtrorum Provincialium, Germaniæ & Italiæ, (qui contra hæc Statuta Magiſtro ſuo Generali Paulo de Ruſſdorff ſeſe oppoſuerant, & propterea, tanquam ſe Magiſtro Generali inſcio Magiſtratui violenter ingerentes, in Capitulo Anno 1440. ejusdem muneris incapaces declarati fuere) injuſtæ ipſorum cauſæ favens, odio Authoris Statuta hæc abrogare præſumpſerit. Quæ ratio ex Schützii Chron. lib. V. pag. 144. b. collatis aliis Chronicis in Wernero, colligitur.

Tandem ex Venatoris in Hiſt. Ord. pag. 187. relatione, credi poteſt, librum hunc Ordinis latinè quoque antiquitus ſcriptum extare.

III. JOHANNIS LINDENBLAT, *Officialis Riſeburgenſis Chronicon Germanicum MSptum.* Hic Author annales Ordinis Teutonici in Pruſſiâ, ſuo quo vixit ævo, rerum geſtarum, admixtis rebus Imperii, Papalibus, & aliis Europæis, ab Anno 1360. videlicet nono Anno Imperii Vinrici â Kniprode, Magiſtri Generalis, incepit, & cum Anno 1419. finivit. Adjectus eſt Index, ſeu brevis enarratio electionis & mortis ſingulorum Magiſtrorum Generalium, usque ad electionem Pauli de Ruſſdorff Annum videlicet 1422.

Hocce Chronicon, lingvâ vetuſta ſed jam tum mixta Franco-Saxonicâ, literis adhuc Gothicis, qualibus Germani adhuc ferè medio Seculo XV. ante Typographiæ tunc inventæ politiorem uſum, ſcripſerunt, apud hæredes Andreæ Meienreis ProC. Elbingenſis, nempe in domo Jungſchultzianâ inveni & ex Dn. Johannis Sigiſmundi Jungſchultz Conſ. Elb. conceſſione, deſcriptum poſſideo, cui talis inſcriptus eſt titulus:



Digitized by Google

Deſe Cronicke des Landes von Pruſin/ und ouch ander Lande Geſchäffte/ dy zugleiche ſind geſchen/ hat Her *Johannes Officialis* von Reſinburg beſchrebin zu *latino*. unde wurden gewandelt dornoch yn das Dutſche/ und fortan beſchrebin noch ſyme Tode.

Sedulus Hartknochius noſter, in Catalogo Scriptorum veteri & novæ Pruſſiæ ſuæ præfixo, ex Grunovio refert: Johannem Lindenblat Germanicum Chronicon ſcripſiſſe, & ita incepiſſe: Allhie fähet ſich an die Beſchreibung des langen Jammers der von Preußin/ illudque continuatum fuiſſe usque ad Magiſtrum Conradum ab Erlichshauſen, Annum nempe 1441. Item Johannem hunc factum eſſe Epiſcopum Pomeſanienſem ſeu Rieſenburgenſem, & ſecundùm monumentum Marienwerdenſe Anno 1409. mortuum eſſe. Denique Chronicon illud planè inter deperdita ſcripta numerari.

Equidem ſagax Hartknochius, ex collatione temporum benè conjecit, Grunavium in eo fallere: ſed quia Chronicon tam diligens indagator Scriptorum talium non vidit, etiam difficilia creditu, in gratiam Grunavii credere coactum ſe profeſſus eſt. Præſertim cum & Hennebergerum, tot Chronicorum Scrutatorem, habeat Aſſentatorem, qui in explic. tab. Geogr. pag. 400. ita in Catalogo Epiſcoporum Riſeburgenſium tradit: *XImus.* inquit, *Johannes Lindenblat, Officialis* zu Rieſenburg/ dieſer hat Hiſtorien der Preuſſen geſchrieben/ ſtarb Anno 1409. die 7. Martii.

Enimverò ex hoc meo Chronico, ſecundùm originale exemplar fideliter deſcripto & correcto, evidenter patet. (1) Johannem Lindenblat Chronicon Latinum usque ad Annum 1419. incluſive congeſſiſſe, ab alio autem Anonymo, mox ab ipſius morte, Germanicè translatum & Anno 1422. deſcriptum fuiſſe. Propterea etiam, quod pro deſiderio legentium ſæpius

Ger-

Germanicum quàm Latinum deſcriptum fuerit, hoc planè intercidit, illud tamen conſervatum fuit.

(2) Johannem hunc Epiſcopatum Riſenburgenſem nunquam ambiviſſe, neque Anno 1409. mortuum eſſe. Ita namque fol 4. ſcribit: Item in vigilia Kathrine / (ſcilicet Anno 1376.) ſtarb der Erwürdige Vater unde Herre / Her Nicolaus Biſchoff zu Pomezen / unde an ſyne ſtad ward gekohren zu Biſchoffe von dem Capitel Her Johannes Monch vom Elbinge / ein Thumher der Kirchin / unde hatte viel Hinderniſſe im Hofe zu Rome / von eyme Thumhern von der Frauenborg / der hyß Her Dameraw / alſo das her doch Biſchoff bleb / unde ward beſtetiget dornoch im neeſten jore / vor *Nativitatis Chriſti.* Hujus Epiſcopi Johannis aliquoties honorificam facit mentionem, nempe fol. 21. b. & f. 46. b. ubi paulo ante de ſe ipſo ita ſcripſerat: Ao. xiiij c ſeptimo, was der Winter wech ane Froſt / desglichen nymand gedachte / xiiij tage noch Wynachten / lys ich grabin im Garthin unde Peterzielien unde Moeren ſen / als nach Oſtern. Tandem fol. 50. Item am Tage *perpetua & felicitatis* ſtarb der Erwürdige Vater unde Herre Johannes Biſchoff zu Marienwerder / unde was in dem Ambte xxxiii Jor / unde an ſyne Stad ward geweblet Magr Johannes Ryman. Porrò fol. 51. narrat quomodò huic Johanni Reimanno obſtiterit Comes à Schauenburg, Epiſcopi Rigenſis ſororis filius, ad eundem Epiſcopatum à Gregorio Papa commendatus, fruſtrà tamen, Magiſtro & toto Ordine Johannis Procuratoris ſui meritiſſimi, electionem Capituli fortitèr evincentibus. Hunc quoque munere ſuo digniſſimum fuiſſe laudat, & fol. 72. dolet, quod Poloni ipſius Epiſcopatum Anno 1414. penitùs exuſſerint. Denique fol. 83. narrat, quod Anno 1417 die Nativ. Mariæ hic Epiſcopus Johannes Reiman, vir pius



Digitized by Google

ac prudens, Ordinique utiliſſimus, vitâ functus, & in ejus locum Magiſter Gerhardus Elbingenſis ſuffectus fuerit.

Quis igitur jam credat, Johannem Lindenblat Officialem Riſeburgenſem, Epiſcopum factum & Anno 1409. mortuum eſſe? Neque enim monumentum Marienwerdenſe ab Hartknochio allegatum, quod nomine Johannis non hunc Lindenblat ſed alium Johannem Reimannum ſignificat, neque Simonis Grunavii tradita, contra ipſius Authoris relationem valent quicquam. Quibus accedit, abſurdum videri, Johannem Anno 1376. Epiſcopum electum, Chronico ſuo quod usque ad finem vitæ continuavit, non niſi Officialis nomen appoſuiſſe, vel à translatore coævo adſcriptum fuiſſe; qui tamen mox Anno 1422. illud transtulit & deſcripſit. Grunovius itaque nomine Johannis, quod duobus Epiſcopis ſibi ſuccedentibus, & Officiali commune fuit, deceptus, audactèr Authorem Chronici appellavit Epiſcopum, quem Hennebergerus, quia Chronicon hoc ipſe non vidit, prout ferè ſemper cœcâ obedientiâ ſequutus.

Magis miror Clariſſimum Virum Andream Meienreis, Præ-Conſ. Elb. in Annotationibus ſuis ad Hennebergerum manu ſua ſcriptis ampliſſimis, idem hocce Chronicon, quod ipſe, magnâ præ tot Scriptoribus & doctis viris Hiſtoricis Pruſſiæ felicitate, originaliter poſſedit, ſemper ſub titulo Johannis Epiſcopi allegare. Sed & ille ratione Grunavii & Hennebergeri deceptus, rem quam ante oculos habuit inquirere oſcitanter neglexit, usque adeò periculoſa & fallax fides aliorum, cui indormimus, & laborem enucleandi omnia horremus.

Certè ſi in ullo alio errore & figmento quorum myriadem ſocors ille Monachus, Simon Grunau, in opere ſuo accumulavit, à ſagaci noſtro Hartknochio increpandus fuit, hic

adeò

Digitized by Google

adeò craſſus objurgationem ipſius meruit, quod principium Hiſtoriæ Johannis Lindenblat planè abſurdum, â tempore quo ſcripſit & de quo ſcripſit alieniſſimum, effingere auſus ſit. Tale enim eſt principium hujus Chronici: Anno Domini x iiij c lx was groß Wint umb *Aſſumptionis Mariæ*, daß die Eychin und die Boyme umbvielen uß der Erdin mit den Worzeln. Der Wint furte ein Glothuß zu Miſpilswalde bobin xl Fuſſe von der ſtat als is ſtund / mit den Glocken unde bleb doch gantz/ & ſic ſimplici genere dictionis ſuæ potiſſimos eventus in Pruſſiâ, & per alia Regna Europæ ſcripſit.

Cæterùm res Ordinis Teutonici per ſingulos annos pace belloque geſtas, ſatis perſpicuè narrat, & multas circumſtantias aliis neglectas refert. Quemadmodum in genere noto, Chronica noſtra, quæ ante Seculi XVI. initium, à viris de geſtis ſuo ævo, rudi ſed veraci calamo connotata, optima, ſed ea quæ ſecutis temporibus à Compilatoribus paſſim ex antiquioribus, plerumque ſine ullo judicio corraſa ſunt, viliora, & niſi ob deperdita illa meliora, tanquam fragmenta aut tabulæ naufragii reliquæ, vix conſervatione digna eſſe.

Niſi quod & hic Johannes perpetuò cauſam Ordinis juſtificat, Polonos ubique damnat & inſectatur; proindè Hiſtoricus hic liberum à partium ſtudio animum non ſervavit. Nihilominùs non plus egit quam Dlugoſſus, aut Cromerus, atque magis horum ſequaces, pro Polonis ſuis, cum vituperiis Cruciferorum ubique declamantes.

Denique quod nec Schützio, Hennebergero, Hartknochio, imò neque ipſi Grunovio, Chronicon hoc adipiſci & inſpicere licuit, criſtam mihi quodam modò erexit, ut rariſſimi & fortè unici Originalis Chronici tam antiqui exemplar, perlegiſſe, excerpſiſſe, denique & deſcripſiſſe facultatem fortuna &

 ami-

Digitized by Google

amicus poſſeſſor fecerit. Nullus dubito, quin & illi de hiſtoriâ noſtrâ meritiſſimi viri, magnam curam & ſumptus impenderint, ut quotquot ſub ſole adhuc integra quaquà latent ſcripta Prutenica, nanciſci potuiſſent. Sed & illi procul dubio myſantropiam virorum, qui hujusmodi reliquias antiquitatis poſſident & abſcondunt, æquè incuſarunt, ſicut ego multoties cogor Chryſophages tales increpare, qui ſicut ſorices illi in aurifodinis, aurum vorant, non ut digerant, ſed ut ab hominum uſu abſcondant, & putredini atque tineis, tandem & ſtolido hæredi, ab hominum conſpectu perdenda, relinquant.

IV. SIMON GRUNAU, Tolkimitenſis Boruſſus, Monachus Ord. Prædicatorum, Anno 1521. ex multis Chronicis Pruſſiæ, â viris idiotis conſcriptis, & in pariete monaſterii Dominicanorum Gedani caſu repertis, hocce opus ſuum *Chronicum Hiſtoriarum Pruſſiæ* Germanicè MSptum, compoſuit. Nihilominùs in his quoque centonibus Chronicis veræ hiſtoriæ texturam invenit, quibus multa fabularum inquinamenta non abſterſit, vir vera â falſis, digna ab indignis, non ſatis purgare ſciens. Laude tamen diligentiæ ſuæ non omnimodò privandus.

Gaſparus Henneberg ſanè nimis credulus, promiſcue tanquàm optimo hiſtoriæ Scriptori huic adhæſit, & ex eo veris & falſis multisque minutiis opus ſuum locupletavit: Aſt Hartknoch, vir emunctæ naris, ultrò ineptas narrationes ſubolfaciens, de multis dubitavit, inepta & indigna ſprevit, cætera ad rectum uſum veritatis convertere ſcivit, & potiſſima veteri ſuæ Pruſſiæ inſeruit.

Præterea Grunau in dedicatione ſuâ ad Sigismundum I. Regem Poloniæ, aut ubi de cauſis bellorum egit, & paſſim alibi, in Ordinem Cruciferorum increpandi nimius, recenti

odio

Digitized by Google

odio omnia damnavit, impotenter affectibus ſuis indulgens, quo ipſo fidem plenam perdidit.

In illa raritate hujus magni voluminis, maximum quoque tædium lectori, etiam ſedulo & rerum Prutenicarum amantiſſimo facit, quod amanuenſes moderni, antiqui characteris ignari, & moræ impatientes, ſæpiſſimè quid pro quo, absque rerum & verborum cohærentiâ ſcripſerint. Quod huic quoque exemplari Novendecim Tractatuum Grunovii contigit, ex apographo bibliothecæ Regiomontanæ mendosè deſcripto.

Quodſi Typographis noſtris, ſicut illis in Bataviâ, Lipſiæ, & Francofurti, ſatis animi & opum eſſet, ut opus hoc ſuo lucro typis exhibere velint, propter collectionem hanc multorum Chronicorum, absque ullo dubio, tot emptores invenirent, ut de damno nullo quererentur. Sed ſine typis fiet ut grande volumen hoc pauciſſimis jam cognitum, quinque tantum locis in Pruſſiâ, quantum ſcio, adhuc aſſervatum, tandem planè pereat.

V. ERASMUS STELLA Libenotanus Med. Doct. & Prof. Zwikaviæ in Saxoniâ, ab Epiſcopo Pomeſanienſi in Pruſſiâ Jobo, dicto ferreo, perſuaſus, *de Antiquitatibus Boruſſiæ Libros duos ſcripſit.* quos Anno 1510. Friderico Duci Saxoniæ, & Magiſtro Ordinis Generali dedicavit. Sed demum Anno 1518. Baſileæ libellus hic typis impreſſus fuit, quæ editio jam nunc nullibi viſitur. Anno 1582. verò è bibliothecâ Joannis Piſtorii Nidani, ſeduli antiquorum Hiſtoricorum collectoris, in lucem retractus, ſimul cum aliis pluribus Poſonicis Scriptoribus Corpori Hiſtoricorum Poloniæ inſertus prodiit, & ſic nobis quoque conſervatus eſt.

Hic Scriptor vel propterea multum laudandus eſt, quod omnium primus de antiquitatibus & originibus Pruſſiæ ſollicitus,

Digitized by Google

tus, qvicquid in extraneis vetuſtis & recentioribus Hiſtoricis invenire, tum lectione Prutenicorum Chronicorum eruere, denique per acceptionem & traditiones incolarum Pruſſiæ aſſequi potuerit (quod in Præfatione ipſe faſſus eſt) non malo judicio conferre & trutinare, ſed dolendum quod nimiâ brevitate, deſcribere aggreſſus ſit. Propterea, & quod Authores Prutenicos ex quibus profecit non adcitavit, deſiderium magis quàm ſacietatem lectori facit, adeò ut majoris Operis prologum, non hiſtoriam plenam, ex Chronicis exteris & Prutenicis, atque ex traditionibus incolarum compoſitam, præmiſiſſe videatur.

Nihilominus Mathias Strikovius Oſſoſtovicius, Pruſſicas res, ex hoc Stellâ & Dusburgio compilavit, quem alii Poloni ſequuti ſunt. Fridericus Zamelius Coſ. Elbingenſis, antiquitatum Prutenicarum ſtudioſus, ad hunc Stellæ libellum plenum adornaſſe Commentarium, fortè & abſolviſſe, non vanè creditur. Nam idem Poëta eximius, inter Epigrammata, titulo: *Familiæ monumentum* Elbingæ Anno 1645. typis impreſſum, ſic finit.

*Eſt aliquid quâ Stella micas; Si non mea Parcæ*
*Stamina diſſolvent, ſtat, plenum immittere ſolem.*

Hunc Commentarium, cum potiſſimis ejus Manuſcriptis hæredes Zameliani, à patre & avo viris doctis admodùm degeneres idiotæ, paſſim diſperſerunt, aut ſibi eripi paſſi ſunt.

Quod ſi autem mihi ex viſis ſchediaſmatis nonnullis Zamelii hujus judicare liceat; vir fuit induſtrius, & magnâ curâ Pruſſicarum antiquitatum Scrutator, ſed ſicut Poëta fuit eximius, ita in feriis hiſtoricis negotiis absque judicio verſatus, in minuciis nimis laborioſus, in materiis verò dignioribus &

uti-

utilibus planè imbecillus & ineptus obſervator. Proindè res Prutenicas non admodum ipſius MSptis juvari poſſe puto, maximè cum Hartknochius toties in ſcriptis ſuis laudet, Zamelium filium Gothofredum, quæcunque Pater & ipſe corraſisſent, liberaliter ipſi communicaſſe; quæ ſi quicquam valuerint, absque dubio Hartknochius operi ſuo inſperſit.

VI. & VII. ORDINATIO ECCLESIARUM PRUTENICARUM, Kirchen-Ordnung / Regiomonti Anno 1558. additis ſermonibus ad catechiſandos pueros. Item REPETITIO CORPORIS DOCTRINÆ *Eccleſiaſticæ*, ibid. Anno 1567. adjecta Confeſſione Auguſtanâ, cum Apologia. Item Kirchen-Ordnung in Preuſſen / Anno 1568. cum duobus edictis ſuper Formulæ Concordiæ manutenentiâ, à Duce Georgio Friderico Anno 1579. publicatis. Item denique libellus von Erwehlung der beyden Biſchöffe zum Samlande und Pomeſan / und von ihrem Amte ꝛc. Anno 1568. publicatus.

Pruſſia noſtra hanc gloriam coram Deo & univerſis fidelibus habet, quod prima omnium Provinciarum Europæ, & in eadem primus Epiſcopus Sambienſis, Georgius â Polentz, renaſcens ex tenebris lumen veritatis Evangelicæ, absque ullo ſtrepitu aut obſtaculo, Anno 1524. cum adhuc metu Cæſaris nec Saxonia univerſim Reformationem pateretur, acceptarit, foverit, & per gratiam Dei ad hæc usque tempora propagaverit. Tunc Dux ille Pruſſiæ pius & verbo Dei illuminatus, pace cum Polonia Anno 1525. perpetuâ confecta, mox cum Epiſcopis Sambienſi & Pomeſanienſi, atque Theologis è Germania vocatis, conſenſu Ordinum in publico Conventu accedente, in id incubuit, ut mox Anno 1525. in ipſis ferè initiis Reformationis, Ordinatio Eccleſiæ, ſub titulo Agendæ typis vulgaretur,



Digitized by Google

retur, in quâ præter ceremonias cultus publici, & ritus Eccleſiæ, nihil diſpoſitum fuit. Nihilominùs hæc Ordinatio Eccleſiaſtica in ſequentibus ſemper conſervata fuit.

Nam Anno 1530. antequam Confeſſio Auguſtana adhuc Cæſari cum Principibus Imperii exhibita eſſet, hæc Agenda reviſa, in ritibus nonnullis, & præcipue decem locis Theologicis Credendorum potiſſimis, aucta, tituloque Conſtitutionum Synodalium typis publicata. Anno 1544. hæc Ordinatio, paucis additis iterùm typis edita fuit. Sed cum Anno 1549. immanes motus ab Oſiandri rixis in Pruſſiâ invaluiſſent; Hoſte Evangelii, ſicut Apoſtolorum tempore, Zizania puro tritico ſemper interſerente, Anno 1528. Conſilio Johannis Aurifabri, quaſi tantis litibus feliciter finiendis, Dux Albertus hanc novam Ordinationem Eccleſiaſticam, â M. Matthæo Vogelio, ex antiquioribus illis interpolitam, typis publicari juſſit. Sed ob ſuſpicionem in Aurifabrum, palàm Philippiſantem, & quod exorciſmum ac alios ritus receptos in hâc Ordinatione eliminaſſet, ab Ordinibus Pruſſiæ, & maximâ parte Cleri, conſtanter rejecta eſt. Usquè adeò, ut in Actione criminali Ordinum Anno 1567. coram Commiſſariis Regiis, contra Funccium Polypragmona, hujus quoque Ordinationis, tanquam ſcandaloſæ, inſciis & inconſultis Ordinibus, â Funccio apud Ducem promotæ, crimen objiceretur.

Tandem ex decreto Commiſſoriali, feſſus ſenex Dux Albertus tot motuum, remedium efficacius tranquillitatis applicans, eodem Anno 1567. per advocatos Brunſvico Theologos, Doctores Merlinum & Chemnitium, Repetitionem Corporis doctrinæ conſcriptam, & ab Epiſcopo Pomeſanienſi, atque multis Miniſtris Eccleſiæ Prutenicæ, in ſolenni Synodo ſubſcriptam, ac ab Ordinibus omnibus receptam, typis edidit: In

Digitized by Google

In quâ credenda, rejectis ſuccinctè erroribus hactenus in Pruſſiâ inter Doctores controverſis, tradita, & ſecundum Confeſſionem Auguſtanam atque ejusdem Apologiam, tanquam Corpus primum fidei repetita. In ceremoniis & ritibus Eccleſiaſticis verò Prima Ordinatio Eccleſiaſtica (videlicet de Anno 1525. & 1544.) valere juſſa eſt.

Sed ſequenti Anno 1568. ad inſtantiam Ordinum, juſſu Ducis, ſecundum vetuſtius exemplar, ab Epiſcopis Samlandienſi & Pomeſanienſi, reviſa Ordinatio, Duce ſeniore Alberto jam eodem Anno defuncto, Authoritate publicâ typis recuſa & publicata fuit, quâ tanquam unanimi aſſenſu Ordinum Eccleſiaſticorum & Secularium, receptâ, usque adhucdum Prutenicæ Eccleſiæ Auguſtanæ invariatæ Confeſſionis omnes utuntur. Videlicet Conſenſu & verbo, ſed non re ipſa, quia tàm Magiſtratûs quàm Cleri (prætextu â ſuperiorum impeditione ſumpto) oſcitantiâ, & zeli pro animarum ſalute frigiditate, (quâ occaſione, hoſtem Eccleſiæ hypocriſeos zizania ſecurè ſeminaturum Chriſtus prædixit Matth. 13. 25.) diſciplina Eccleſiaſtica, tantoperè â Chriſto & Apoſtolis Eccleſiæ commendata, in hâc Ordinatione pulcherrime deſcripta, negligentiſſime, prout & alibi, ô quam immenſo detrimento animarum, omittitur! Hujusmodi externo Eccleſiæ bono Ordine, quo hypocritæ & ſcelerati â piis & bonis diſcernuntur, â Primitiva Eccleſiâ; poſt â fratrum Bohæmorum accuratiſſimo illius quantum ad Ordinem externum ectypo, multum differimus, & adhuc ab Anabaptiſtis qui nullum Magiſtratum in Eccleſiaſticis agnoſcunt, proh pudor! vincimur.

VIII. JUS CULMENSE ANTIQVUM, Das alte Cöllmiſche Recht / Anno 1584. Thorunii, typis Melchioris Nehringii, ſecundum exemplar quod Anno 1394.



Digitized by Google

ſcriptum fuit, vetuſta Germanicæ lingvæ dialecto, impreſſum.

Hartknochius in novæ Pruſſiæ Cap. 7. §. 13. latè deduxit: Librum hunc privatâ cujusdam Judicis vel Notarii induſtriâ, ex Weichbildo & Speculo Saxonico, quæſtionibus Magdeburgenſibus, denique ex reſponſis Scabinorum Culmenſium, compilatum, & nullius Magiſtratus Authoritate unquam confirmatum fuiſſe. Prout certè evidentes antinomiæ, & directe contraria Juri Flamingicali, atque Privilegio Culmenſi, baſi illi jurium omnium Prutenicorum, in hunc librum congeſta teſtantur.

Nihilominùs pretium antiquitatis vel ex eo habet, quod vetuſtiſſimi Syſtematis Juris, in Pruſſiâ, ſub Ordine Crucifero in foris noti & practici, formam conſervarit, et prout in fine Typographus Thorunienſis teſtatur, juxta exemplar Anno 1394. deſcriptum, typis expreſſus ſit. Poſt tot autem correcturas Juris Culmenſis, de quibus inferius dicetur, & Hartknochius d. l. exactè ſatis tractavit, liber hic jam in foro nullum uſum obtinet.

IX. M. GASPARUS SCHUTZ Eislebienſis, Civitatis Gedanenſis Secretarius, Anno 1592. Serveſtæ X. libr. *Hiſtoriæ Prutenicæ*, â principio Ordinis Teutonici usque ad Annum 1525. perductæ, cum inſigniis Magiſtrorum Ordinis, typis excudi curavit, quam editionem Henneberg toties allegavit. Sed Anno 1599. Islebii atque Lipſiæ, ſine figuris, tamen cum continuatione compendioſa D. Davidis Chytræi usque ad Annum 1598. idem liber hic prodiit. Rudi equidem typo, chartâ craſſa, multis vitiis præli ſqualidus, ut tantus Author moderno nitore edi meritò deſideretur.

In

Digitized by Google

In principiis hiſtoriæ Prutenicæ Schützius ita verſatus eſt, ut ex Chronicis nonnullis tantùm notiſſima & vero ſimilia quæque, omiſſis ſingularibus & incertis aut fabuloſis, breviter referret. Neque enim veterum Scriptorum Prutenicorum, in geſtis usque ad finem Seculi XIV. admodum curioſus indagator fuit. Et cum præter Chronica in fronte libri expreſſa, nonnulla ex Chronico Magiſtrorum, item ex parvo Chronico MSpto in 4to. (Samiliano mihi à poſſeſſore ejusdem proximis abhinc luſtris dicto) Item ex Simone Grunau attulerit, neſcio, cur iſtis quoque Chronicis memoriam in Catalogo ſuo invidere voluerit.

Hiſtoriam igitur ab Originibus Pruſſicis usque ad Annum 1400. cum geſtis Cruciferorum, qualem ex Chronicis aliquot collegit, brevibus explicavit. Indè vero tempora, quibus præter bellorum ſtrepitus, artes dominationis Cruciferorum in multas Provincias protenſæ, & Status quoque ſeculares Pruſſiæ mox Anno 1414. ad gubernaculum concurrere cœpere, Schützius ex actorum publicorum ſcriniis tali dexteritate exegit, ut inter Prutenicos neminem, in comparatione exterorum pauciſſimos ſui ſimiles habeat; utpote qui laudem illam ſupremam in hiſtoriâ, juxta Polybii, Dionyſii Halicarn. Ciceronis, & ex recentioribus J. G. Voſſii, aliorumque ſapientiſſimorum Scriptorum judicium aſſecutus ſit, quod præter modos & eventus, etiam Conſilia & deliberationes cujusque actionis magnæ explicaverit. Præſertim quod duæ maximæ revolutiones Pruſſiæ Annorum videlicet 1466. & 1525. ingentibus motibus peractæ, fœcundiſſimam ad poſteritatis inſtructionem ipſi præbuerint materiam.

Cum igitur in Schützio talem & tantum Hiſtoricum primi Ordinis habeamus, qui Patriæ Statum antiquiorem,



Digitized by Google

hucusque iterum immenſo immutatum cognoſcere cupiunt, ſatis dolere non poſſunt, poſteritas damnabit, quod poſt Schützium ex viris, qui actorum publicorum ſcrinia evolvendi copiam habent, utriusque Pruſſiæ hiſtoriam, ex deliberationibus & concluſis publicis, eorundemque eventibus, ad imitationem Schützii, qui componeret repertus ſit ad hanc usque diem nemo. Opus ſicut in publicum utilisſimum ita Authori ad poſteritatem ſeram laudatisſimum. Quid enim gratius viris in negotiis publicis verſantibus, quàm cauſas quarum impulſu patria ab antiquis moribus & juribus prolapſa, & ſui disſimilis facta ſit, cognoſcere; Idque ex documentis publicis in Archivis abſconditis, quibus fides Hiſtoriæ & Juris Publici lectori adſtruitur. Enimverò votum hoc utilitatis publicæ, ſedulus & jurium publicorum patriæ avidus Scrutator D. Lengnich nuper implere cœpit, de cujus Opere inferius dicetur.

Chytræi continuatio Schützio adjecta, quædam tantum breviuſculè excerpta profert, nec continuationis tanti Authoris, niſi compendioſisſimæ, titulum meretur. Certe amplisſimè dignus Schützius, ut latine translatus nitido typo exteris quoque nationibus innoteſcat, et ut â viris, Archivorum utriusque Pruſſiæ compotibus, ad noſtra tempora pari dexteritate & prudentiâ, continuâ ſerie protendatur. Tunc omnibus aliis Chronicorum quisquiliis facilius carere absque diſpendio noſtro poterimus, niſi quatenus antiquitatis rationem ſectamur.

X. GASPARUS HENNEBERGER, Eccleſiaſtes Mühlhauſenſis, poſteà Hoſp. Löbnicenſis, Anno 1576. Regiomonti ſculpturâ ligneâ *Mappam majorem Geographicam Pruſſiæ*, quam antea Ducis Alberti Friderici, in Varmiâ verò & aliis

par-

Digitized by Google

partibus Poloniæ ſubjectis, propriis ſumptibus, immenſo labore & induſtriâ, toto ſeptennio peragraverat, publicavit.

Et cum in præparamentis ſuis ad hoc opus topographicum, magnâ curâ plures libros Chronicorum quàm ante illum nemo collegiſſet, legendoque notitiam hiſtoriæ Prutenicæ ſingularem acquiſiviſſet, tandem Anno 1595. Regiomonti typis Georgii Oſterbergii, *Explicationem Mappæ ſuæ Prutenicæ Hiſtorico-Topographicam*, edidit. In quâ vir Eccleſiaſticus, moribus probus, juvandi hiſtoriam Prutenicam ſtudio ſingulari (niſi quod in re non ſuæ vocationis anxiè nimis laboraverit) methodo facili, ex tot MSptis Chronicis jam deperditis, multas narrationes ab interitu conſervavit.

Certè abſque hoc opere, nec nomina multorum Chronicorum ad nos perveniſſent: Numerat enim in fronte voluminis Chronica Prutenica typis expreſſa, quibus profecit Octodecim; Manuſcripta certorum Auctorum Viginti, Anonymorum viginti unum. Quorum typis impreſſa ſex, MSpta certorum Auctorum ſeptem, Anonymorum tria tantum mihi obtigerunt: cætera aut planè deperdita, aut inter quiſquilias chartaceas ignorantium vel invidorum quotidiè pereunt.

Vulgò Hennebergerus arguitur fabularum, quibus infectus eſt: Neque eum ab omni nævo defendendum ſumo. Nihilominùs quia cujusque narrationis ſuum adcitat Authorem qui omnes in tenebris illis ſuperſtitionis contagio laborarunt, prout nullus aliorum quoque populorum Scriptor antiquus ab his monſtris liber eſt, ideò facilè antiquitatis ſtudioſis abſque ſtomacho excuſatur. Simonem Grunau Monachum Dominicanum, Compilatorem hiſtoriæ Prutenicæ ex multis Chronicis MSptis, initio Seculi XVI. præ aliis nimiâ credulitate exſcripſit; proindè in fabularum farragine tam cautus non proceſſit, quin ma-

Digitized by Google

maculas nonnullas ſecum traxerit, in multis quoque probè diſcernendis judicii imbecillitate lapſus. Sed injurioſis quibusdam relationibus adverſus Civitatum, Gedanenſis atque Elbingenſis Magiſtratum, aut odii, magni illius Hiſtoricorum criminis, aut Complacentiæ vulgi h. e. adulationis reus factus eſt.

Mappam prædictam ejus majorem, tanto labore ſculptam, vix jam videre licet: ſed eandem Anno 1656. â Typographo Regiomontano, Paſche Menſe appellato, revocatam ſub prælum. Item mappam minorem Henneberger i æneâ ſculptura, neſcitur quando editam, volumini huic præinſertam poſſideo.

XI. THOMAS TRETERUS Canonicus Varmienſis Anno 1594. Româ reverſus, & â Johanne Kretzmero Dec. Collegâ ſuo, collectas ex annalibus Heilsbergenſibus, *Vitas Epiſcoporum Varmienſium*, Germanicè ſcriptas nactus, Latinè vertit.

Quibus Treterus in Præfatione Anno 1599. compoſitâ, multa ſe ex Archivi Heilsbergenſis annalibus aliorumque ſcriptis addidiſſe, profitetur; Utut nullius Scriptoris veſtigia in hoc opuſculo appareant, niſi Johannis Leonis Canonici Gutſtadienſis Chronici MSpti. Quod quidem Leonis Chronicon, planè â Canonico de Plues Anno 1680. in Sveciam profecto, è Bibliotheca Capituli commodatò ſecum ablatum, in itinere perditum eſſe, Canonicus quidam Warmienſis coram me queſtus eſt: Sed damno tali plus indoluiſſem, niſi Treterus hic pag. 107. monuiſſet: Leonem pleraque ex Simone Grunau exſcripſiſſe, quantum vero Grunovio ſecurè credendum ſit, ex Hartknochii cenſuris edocti ſumus. Nihilominùs quoniam Leo usque ad Annum 1628. i. e. centum Annos ultra Grunavium hiſtoriam deduxerat, deſiderio aliquo damnum hoc proſequimur.

Hoc

Digitized by Google

Hoc igitur Opus Hiſtoricum Treteri, non Capitulum, aut alius aliquis ex literatis Varmienſibus, ſed impulſu Andreæ Olſzovii, Epiſcopi Culmenſis, Treteri ex fratre, nepos Matthias, homo de Epiſcopi iſtius domeſticis, demùm Anno 1685. Cracoviæ typis edidit, & Radzieiovio, tunc Epiſcopo Varmienſi, ad quem usque vitas has continuarat, dedicavit.

Cæterùm patruus ejus Thomas, jam breviſſimum Chronicon Epiſcoporum Varmienſium, per Johannem Plaſtwig, Canonicum, circa Annum 1464. ſcriptum, & per Johannem kretzmerum, Decanum Varmienſem, usq; ad Andream Bathorium Epiſcopum, Annum videlicet 1590. continuatum, annexuit. Ille autem Plaſtwig ipſe in bello tredecennali multa paſſus, hæc & alia ſuo ævo geſta diſtinctè ſatis connotaverat. Malè igitur Hartknoch, in Indice Scriptorum Prutenicorum, Vet. & Novæ Pruſſiæ præfixo, exiſtimavit, quod Plaſtwig exſcripſerit Treterum: plus enim ſeculo ille hoc interprete ſuo antiquior eſt.

Denique adjecit idem Treterus *Vitam S. Alberti Martyris, Epiſcopi Pragenſis*, cui ille cum aliis Polonicis Scriptoribus, Archi-Epiſcopatum Gneſnenſem, quem nunquam tenuit (vid. latè Hartknoch Diſſert. ad Dusburgium XIV. §. 3.) aſſeruit. Hocce ſcriptum Treterus, ex monumentis & annalibus Archivi Sedis Epiſcopalis Varmienſis, NB. atque ex Majorum traditione collectum eſſe, titulo inſeruit. Ego verò miror, Treterum virum literis deditum, tam craſſos errores, & ne anilibus quidem ingeniis credibiles fabulas, tanquam ex Archivo Epiſcopali ſumptas, orbi literato obtrudere potuiſſe: Cum cætera ſcripta de hoc martyrio omnia, ad tantum gradum affictorum veris quæ contigerunt, non pervenerint. Numquid Deus indiget veſtro mendacio, ut pro illo loquamini dolos?



Digitized by Google

vere Jobus C. 13. exclamavit. Satius Treterus Grunovium aut alium incertum ſomniatorem, ſcripto huic Authorem aſſeruiſſet, ut honori Archivi Epiſcopalis parceret. Ex traditionibus vulgi quoque vitam hanc S. Adalberti conſutam eſſe non abnuo: ſed & Lectori, veritatis ac hiſtoriæ gnaro, fabula nauſeam movet. Grunovius ille certè propterea fidem in probabilibus quoque, quæ narravit, decoxit, quod ex traditionibus vulgi, atque ex Chronicariorum ignobilium ſchedulis, promiſcuè omnia ſine judicio & ſelectu, exſcripſit. Proinde fabulas quoque has ſummopere auctas de S. Martyre, quarum Hiſtoricos Polonicos mentionem facere puduit, & â verioribus Scriptoribus plenè refutatas, merito abjicimus, ab ipſo Melchiore Cano Lib. II. Locor. Theol. Cap. 6. ſeriò moniti: *Eccleſiæ Chriſti,* inquit, *vehementer incommodant, qui res Divorum præclare geſtas non putant ſe egregie expoſituros, niſi eas fictis & revelationibus & miraculis adornarint.*

Quantum ad Hiſtoriam Treteri de Epiſcopatu & Epiſcopis Varmienſibus attinet, ea ſtylo craſſo & ſæpiùs barbaro, brevitate & incuria tædiosâ, usque adeò compilata eſt, ut vix ſuſpicari liceat, in Archivo Sedis Epiſcopalis Heilsbergenſis annales ampliores & veriores rerum Prutenicarum, præprimis Varmienſium, quos Treterus toties ut fontem Hiſtoriæ ſuæ laudat, non reperiri.

Certè in antiquitatibus Pruſſiæ fabuloſus eſt usque ad faſtidium, & in Chronologiâ ſæpiſſimè impingit, ut viri docti tanti lapſus Synchroniſtici tolerarari nequeant. e. g. *Seculo VI. mox poſt fata Waidevuti, Regis Pruſſorum, narrat, viduam filii ejus Varmii, Ermam, Pomeſonis Leviri ſui injuriam vindicando, Ducem Maſoviæ Lotkonem ſimul cum liberis trucidaſſe, & Maſovios ſub jugum miſiſſe.* Ubi quæſo tunc nomen Maſoviæ aut Lutkonis?

quæ

Digitized by Google

quæ plus V. Seculis demum poſt innotuerunt. Quodſi talia Treterus in vulgi rapſodiis ineptorum Chronicorum legit, ea collatis temporum & rerum rationibus, pro ſuo judicio, obelo configere, non titulo Archivi Epiſcopalis, orbi venditare debuiſſet.

Porrò in extenſione Jurium antiquorum Epiſcopatus hujus, ultrà omnem finem excedit, de quo alio loco tractandi occaſio erit. Vitas Epiſcoporum diligentius multo, quam acta publica totius Epiſcopatus & provinciæ Varmienſis, quod in titulo promiſerat, quodque ſcire magis poſteritatis intereſt, enarrat.

Ut tacenm vetuſtiora, & initiis Ordinis in Pruſſiâ, atque Epiſcopatus Varmienſis viciniora tempora. Si igitur belli tredecennalis acta per Varmiam ex Gaſparo Schützio (qui ea ex MSpto Joannis Lindau, Secretarii Gedanenſis αὐτόπτου deſcripſiſſe profitetur) aut ex Dionyſio Runau, imò ex ipſo Joanne Plaſtwig coævo, quem operi ſuo adjunxit, verbotenus exſcripſiſſet, in tam luculento negotio, quod converſionem ſtatus totius Pruſſiæ cum ipſa Varmiâ ſecum traxit, Lectorem quatuor pagellarum narratione, adeò famelicum non dimiſiſſet.

Ipſius belli illius motus, quos Epiſcopus Varmiæ, Nicolaus à Tungen, contra Regem Poloniæ, propter impeditam ipſi poſſeſſionem Epiſcopatus excitavit, Treterus vix per compendium indicat, non prout decebat in tanto negotio plenè, tanquam iſtius Epiſcopatus Scriptor, explicat, usque adeo oſcitanter, ut neque hìc Annum, quo motus cœpere, ſine errore notaverit. Dicit enim Anno 1473. Regem Caſimirum Opporovio, Secretario ſuo, hunc Epiſcopatum contuliſſe, & in Aulâ Romanâ confirmationem ſubreptitiè obtinuiſſe. Quæ omnia jam præterito Anno 1472. contigiſſe, & Nicolaum in

 au-

autumno ejuſdem Anni in Varmiâ, occupatis & expugnatis aliquot oppidis atque arcibus, bellum contra Regem & Opporovium, quod usque ad Annum 1479. perduravit, incepiſſe, Caſparus Schützius, princeps noſter Hiſtoricus, ex actis publicis, luculenter magnâ parte Libri VIII. per deliberationes & eventus enarrat.

Hunc exſcripſiſſe Treterum non deberet puduiſſe, ſi veri & boni Hiſtorici laudem aſſequi voluiſſet vel potuiſſet. Editor quidem Treteri fatetur in Epiſtolâ dedicatoriâ, *hanc operam patrui nec dum plenè digeſtam, & morte ejus interruptam fuiſſe.* Sed idem mox laudat: *Aliquos Prælatos, Canonicos Warmienſes, ſummæ virtutis & authoritatis viros, magno affectu & felici eventu editionem Libri hujus promoviſſe.* Hinc miror, quare ad complementum juſtæ Hiſtoriæ Varmienſis, operam ſuam & archivi Epiſcopalis ſcrinia, Prælati iſti non excuſſerint, limamque Tretero, quâ nimiùm opus habuit, non addiderint.

Unde fere ſuſpicor, exſuccos ſterilesque Chronicorum vulgarium centones, Tretero nomine annalium Epiſcopalium veniſſe, quoniam tanti archivi annalium pauciſſima in hoc opere videmus veſtigia. Et hactenus omni odio procul, juſtum de Treteri Hiſtoriâ Varmienſi, prompſi judicium.

Quodſi ad atrocia convitia, quibus innocentes Evangelicos ſubſannat, animum advertere adeò volupe eſſet, quemadmodùm Tretero, ſi non voluntarium, tamen neceſſarium fuit, (ſicut enim famelici divitum aſſeclæ ita multi pinguium beneficiorum & honorum vultures, quos χρυσολόγυς καὶ κοιλιοδαίμονας Theophylactus ſecundum Apoſtolum ad Rom. 16. 18. & Phil. 3. 19. appellat, novo, quoties occaſio offertur, crimine perſecutiones fidelium, ſuperioribus patronis fidem ſuam probare ſatagunt.) Certè mephitis profanæ & deliræ hæreſeos, faſci-

faſcinationes & ſuperſtitionum peſtes, cæteraque ipſius vituperia, evidentiori & veriori retorſione in os ejus rejici potuiſſent. Sed phreneſi talium hominum, propter excelſa hujus Seculi omnis charitatis expertium, veraque Chriſti membra furioſè blaſphemantium, indolendum, non iraſcendum eſt.

Licet autem tam multa in Treteri hac hiſtoriâ deſideremus, tamen ſtudioſos antiquitatis, exili hoc Compendio rerum Varmienſium, in hac penuriâ Scriptorum, contentos eſſe oportet. Quod nihilominus ſine rubore Virorum doctorum, quos ampliſſimus hic Epiſcopatus hactenus enutrivit, dici nequit.

XII. PRIVILEGIA **der Stände des Herzogthums Preuſſen / darauff das Land *fundiret* iſt / und bis itzo beruhet.** Ex decreto Commiſſionis Regiæ Anno 1612. Regiomonti expedita, typis Brunsbergæ impreſſa Anno 1616.

In hoc Volumine ſequentia Privilegia Pruſſiæ verbotenus deſcripta ſunt. (1) *Privilegium Culmenſe*, Anno 1233. datum & Anno 1251. renovatum. (2) *Pax Vladislai Jagellonis cum Mag. Conrado à Jungingen* Anno 1404. (3) **Der Samländer** *Privilegium*, **über freye Fiſcherey und Höltzung / von Heinrich Reiß von Plauen /** *Mag. Ord.* Anno 1413. (4) *Pax Vladislai Jagellonidis, cum Mag. Paulo de Rusſdorff*, Anno 1436. (5) *Privilegium* ſeu potius *Pacta incorporationis Pruſſiæ Caſimiri III. Regis Poloniæ*, Anno 1454. (6) *Reciproca Sponſio, ab Ordinibus Pruſſiæ Regi eidem facta*, eodem Anno. (7) *Privilegium ejusdem Regis, & repetita Aſſecuratio juris indigenatus*, eodem Anno. (8) **Samländiſches** *Privilegium* **Ludwigs von Erllichshauſen des Hoemeiſters / die Freyheit von** *Alienirung* **des Landes / von Einquartirung / Zieſe / Mühl- und Mahl-Geld /** Anno 1455. pro reditu ejus Provinciæ ad obſequium Ordinis conceſſa. (9) *Pax perpetua inter Caſimirum III. Regem Poloniæ*



Digitized by Google

*& Mag. Ord. Ludovicum*, Anno 1466. (10) Heinrich von Richtenbergs *Mag. Ord. Privilegium*, den Samländern zu weiblicher *Succeſſion* in Lehn-Güttern / Anno 1476. (11) *Confirmatio omnium Jurium & Privilegiorum Pruſſiæ à Caſimiro III. Rege* Anno 1477. (12) Merten Truchſes Hoemeiſters *Privilegium* zu Magdeburgiſchen Lehen / Anno 1487. (13) *Confirmatio omnium Privilegiorum Pruſſiæ à Johanne Alberto, Rege Poloniæ*, Anno 1494. (14) *Confirmatio omnium Privilegiorum Sigismundi I. Regis*, Anno 1521. (15) *Pax perpetua ſeculariſatæ Pruſſiæ, inter Sigismundum I. Regem & Albertum Ducem*, Anno 1525. (16) *Approbatio dictæ Pacis perpetuæ per Status Pruſſiæ*, eodem Anno. (17) *Privilegium ſpeciale Sigismundi Regis ſuper certis immunitatibus & annua penſione, Alberto Duci datum* Anno 1526. (18) *Reverſales Alberti Ducis, datæ Statibus Pruſſiæ*, daß keine Aufflagen ewig dem Lande über die verwilligte Bier-Zieſe / ſollen aufferleget werden / Anno 1528. (19) *Renovatio Pacis perpetuæ à Sigiſmundo Auguſto, tanquam M. Duce Lituaniæ* Anno 1529. (20) *Reverſales Ducis Alberti, ſuper indemnitate Ordinum Pruſſiæ*, quod cum ſummæ neceſſitatatis tempore in Acciſam ipſi conſenſiſſent, hoc in conſequentiam non trahi, neque ipſis in poſterum præjudicare debeat, Anno 1535. (21) Neues Gnaden-*Privilegium Alberti Sen.* über die Magdeburgiſchen Lehn-Gütter / Anno 1540. (22) Ejusdem Alberti Ducis kleines Gnaden-*Privilegium, de Jure indigenatus ad omnia Officia, ad octo Capitaneatus principales, & ad feuda caduca*, Anno 1542. (23) Regiments-Notul Alberti Ducis Anno 1542. (24) *Ejusdem deciſio ſucceſſionis*, des von Loſſauen Töchter in den Lehn-Güttern / Anno 1559. (25) *Marchionis Georgii Friderici Confirmatio Jurium & Privilegiorum omnium Pruſſiæ*, Anno 1566. (26) *Decreta Commiſſionis Regiæ*

An-

Anno 1566. & eorundem Confirmatio Regis Sigiſmundi Auguſti. Item *Receſſe* der dreyen Städte Königsberg i. e. gravamina in eadem Commiſſione oblata & ſopita. (27) Herzoges *Alberti* Teſtament/ Anno 1568. (28) *Receſſus novus Regiomontanus*, confirmatus â Duce Alberto & Commiſſariis Regiis, Anno 1567. (29) *Privilegium Ducis Alberti ſuper Reſidentiâ & Salario Epiſcoporum Sambienſium*, Anno 1567. (30) *Receſſus* ſuper *punctis Eccleſiaſticis & Secularibus*, â Duce eodem Ordinibus Pruſſiæ conceſſus, & â Commiſſariis Regiis confirmatus, Anno 1567. (31) *Privilegium liberi exercitii Religionis Auguſtanæ*, Statibus Pruſſiæ a Rege Sigiſmundo Auguſto Lublini Anno 1569. datum (32) *Confirmatio omnium Jurium & Privilegiorum Pruſſiæ, à Duce Friderico Alberto* Anno 1573. (33) *Reſponſum & Confirmatio Jurium, à Rege Sigismundo III. Statibus Pruſſiæ* Anno 1605. (34) *Immiſſio Electoris Joachimi Friderici*, per Commiſſarium Regium, in conventu Pruſſiæ Ordinum, Anno 1605. (35) *Reſponſum ejusdem Regis Nobilitati Pruſſiæ*, ſuper illâ immiſſione Electoris, quod Juribus ipſorum omninò ſalvis facta ſit, Anno 1606. Item *Ejusdem Regis reſponſum Deputatis Civitatum Pruſſiæ*, Anno 1609. (36) *Diploma Curatelæ, Electori Johanni Sigismundo â Rege datum*, Anno 1609. (37) *Reſponſum Regis Nobilitati*, ſuper Regimine Electoris ſecundùm jura illorum futuro, Anno 1609. (38) *Acta & Decreta Commiſſionis Regiæ*, Anno 1609. Regiomonti expeditæ. (39) *Confirmatio Privilegiorum* beyder Ober-Stände in Preuſſen/ *ab Electore Joh. Sigismundo* Anno 1609. (40) *De feudo Ducatus Pruſſiæ ex Conſtitutione Regni* Anni 1611. *Acta cum Electore Johanne Sigismundo. Ejusdem Cautio.* Item *Literæ omnium Ordinum Pruſſiæ ad Regem*, pro impetrandâ inveſtiturâ Electori. Item *Diploma inveſtituræ illius Regium*. (41) *Commiſ-*

*miſſio Regia intromiſſionis in feudum Electoris ejusdem* Anno 1612. Item *Cautio Regis*, *Conſenſum Ordinum Pruſſiæ in Cauſis Status ſemper neceſſarium fore.* Item *Receſſus ejusdem Commiſſionis*, cum Confirmatione Regia, Anno 1612. (42) *Ordinatio Appellationis ad Regem*, Anno 1614. (43) *Reſponſum Legatis Electoris Johannis Sigismundi* à Rege datum, Anno 1615. (44) *Declaratio Regis ejusdem Legatis Electoris Johannis Sigismundi*, de Conſiliariis terreſtribus, Religione purè Auguſtanâ, Indigenis Officialibus, bonis feudalibus caducis Nobilitati diſtribuendis &c. Anno 1616. Item *Mandata executorialia* ſuper iſtis deciſis Articulis. (45) *Reſponſum Regis Legatis Electoris*, Anno 1617. *datum.* (46) *Reſponſum Regis quibusdam ex Ordinibus Pruſſiæ*, â cæteris diſſidentibus, Anno 1617. (47) *Receſſus Commiſſionis Regiæ*, Anno 1617. Item Confirmatio ejusdem Receſsûs Regia. (48) Das Krakauſche *Privilegium Alberti Senioris & fratris ejus Georgii*, circa ſecularisationem, Ordinibus ſuper conſervatione Jurium & Privilegiorum Pruſſiæ ſemper exceptâ & ſalvâ, datum Anno 1525. Hìc finit Liber Privilegiorum.

Volumini autem meo accedunt ſequentia, ſub titulo: *Primi beneficii ſimultaneæ inveſtituræ lineæ Electorali conceſſi.* (1) *Reſponſum Regis Sigismundi Auguſti*, *Legatis Electoris Joachimi II.* Anno 1559. (2) *Diploma primum ſuper inveſtiturâ Pruſſiæ*, Electori â Rege & Regno promiſſa, ex Comitiis Regni, Anno 1563. (3) *Diploma inveſtituræ Alberti Friderici Ducis*; Lublini Anno 1569. (4) *Renovatio ſimultaneæ inveſtituræ*, poſt obitum Electoris Joachimi II. in filium ejus Johannem Georgium, 1571. (5) *Declaratio Regis Sigismundi Auguſti ſuper eodem negotio*, 1572. (6) *Reſponſum & Recognitio Regis Henrici*, ſuper hac inveſtiturâ ſimultaneâ repetita, Anno 1574. (7) *Recognitio Regis Stephani* ſuper hâc ſimultaneâ inveſtiturâ Ele-

Digitized by Google

Electori Johanni Georgio, & filio ejus, Joachimo Friderico, facta Anno 1577. (8) *Reſponſum ejusdem Regis, quo proteſtationem Nobilis alicujus Poloni contra hanc inveſtituram factam Rex refellit,* 1578. (9) *Diploma Infeudationis Marchionis Georgii Friderici,* Curatoris Ducis Alberti Friderici, cum ſimultaneâ inveſtiturâ Legatorum Electoralium, â Rege Stephano Anno 1578. (10) *Reſponſa duo Sigiſmundi III. Regis Legatis Electoris* Anno 1588. (11) *Diploma renovationis feudalis in Marchionem Georgium Fridericum, cum ſimultaneâ inveſtiturâ Legatorum Electoralium* 1589. (12) *Declaratio Regis Sigiſmundi III. Legatis Electoralibus, proteſtationem cujusdam Nobilis Poloni, juribus eorum non obeſſe.* Anno 1589. (13) *Declaratio conditionum feudalium,* Joachimo Friderico Electori â Rege Sigiſmundo, Anno 1605.

Hactenus ſub titulo illo hæc prædicta ſcripta typis impreſſa continentur. Annexum eſt denique *Inſtrumentum pacis Velavienſis,* inter Joannem Caſimirum Regem, & Fridericum Wilhelmum Electorem, Bydgoſtiæ confirmatum, Anno 1657. Ex metricâ Regni tranſumptum, quod Poſnaniæ cum jure Regni Poloniæ Nicolai Zalaſzowskii typis impreſſum fuit Anno 1702. Item *Inſtrumentum pacis Olivenſis*, Anno 1660. pactæ, cum ratificationibus utriusque partis, itidem Poſnaniæ impreſſum. Denique *Tractatus retradita Elbinga* Anno 1699. Varſaviæ inter Regem Auguſtum & Electorem Fridericum, ſuper omnibus prætenſionibus Polonicis & Brandenburgicis ad invicem ſopitis.

Quantum ad Librum hunc Privilegiorum Pruſſiæ vetuſtiorum attinet, bene inter antiquitatis monumenta in Bibliothecis hic aſſervatur, â pauciſſimis verò legitur, â nemine attenditur, perinde ſicut in aliis Regnis & Provinciis fit. Adeò tempus jurium, libertatum & Privilegiorum edaciſſimum,



Digitized by Google

deſvetudini favet! ut nihil ſub ſole conſtans & perpetuum ſit. Quod non ſolùm in politicis, ſed in aliis quoque, imò in ipſa Theologiâ, adeò ad mutationem pronis ingeniis humanis, accidit, ut magnorum virorum ſcripta volumina, imò proh dolor! ipſa SSa Dei eloquia omnibus fidelibus magni æſtimentur, paucis digne lecta, pauciſſimis praxi & uſu, præ omnibus libertatibus & privilegiis humanis ſummè neceſſario & ſalutari, exerceantur.

XIII. JUS PROVINCIALE PRUTENICUM LATINUM. Nempe Dux & incolæ Pruſſiæ Orientalis, animadvertentes, tam longo tempore Compoſitionem juris cum Prutenis Occidentalibus communis, â Spiritu Polonico Nobilitatis hujus Pruſſiæ impediri, tandem Anno 1577. Ordinationem Provincialem ſuam ſeorſim compoſuerunt, quàm Dux Albertus Fridericus authoritate Principali in terris ſuis promulgavit, de quâ inferius plus dicetur. Cum verò arcta hæc diſpoſitio, magis circa politicam ordinationem Provinciæ quàm lites forenſes verſata, incolis parùm ſatisfaceret, poſt multas repetitas inſtantias, in Conventibus generalibus Ordinum Pruſſiæ, tandem ſub authoritate Electoris Johannis Sigismundi, compoſitum â Levino Buchio I. U. D. & â ſubdelegatis Electoris atque Ordinum Pruſſiæ reviſum, Jus Provinciale Prutenicum, lingvâ Germanicâ Anno 1620. typis expreſſum, & eodem Anno, licet jam defuncto Electore Johanne Sigismundo, publicatum fuit. In actis autem & laudis Ordinum Pruſſiæ Annorum 1605. 6. & 8. legitur, delegatis illis reviſoribus Juris Prutenici â Buchio compoſiti, impoſitam fuiſſe curam reſpiciendi in omnium Cauſarum Deciſionibus, ad Privilegia Pruſſiæ, ad receſſus conventuales Ordinum, ad Libertates Sigiſmundi I. Poloniæ Regis, ad Teſtamentum Ducis Al-

Digitized by Google

Alberti Senioris, denique ad omnia Jura Provinciæ generalia & ſpecialia, vid. Hartknoch Nov. Pruſſiæ pag. 597.

Anno 1623. Jus illud Provinciale Prutenicum Anonymus quidam tranſtulit in Latinam lingvam, & Roſtochii typis edidit: ſed quoniam absque authoritate publicâ, idcircò ad cauſas decidendas in foro non valuit; Præſertim cum quidam animadverterint, quod translator ille non ubique veram Legislatorum mentem aſſequutus fuerit. Hartknoch d. l. ex Wegneri Differentiis Juris Civilis & Prutenici.

XIV. ISRAELIS HOPPII PræC. Elbingenſis viri Eruditi, & propter magna merita Nobilitate ornati, Regibusque chari, *Fatum decennale Pruſſiæ MSptum.* Videlicet deſcriptio Germanica belli, quod Guſtavus Adolphus Rex Sveciæ, contra Polonos, in Pruſſia illis ſubjectâ Anno 1626. menſe Julio incepit, & usque ad Inducias Sexennales, diem 26. Septembris Anni 1629. magnâ fortunâ perſecutus fuit.

Quod triennium Author tantâ induſtriâ & prolixitate, per 184. folia integra deſcripſit, ut â nonnullis, propter minutiſſimas & ſubindè inutiles circumſtantias narrationum, arguatur: quæ mihi induſtriæ ipſius laudem non obfuſcant ſed augent.

Inde verò ab Anno 1630. usque 1636. tempus nempe Induciarum Sexennalium, quo Sveci Elbingæ & aliis locis Prutenicis inhæſerunt (donec poſt pactam prolongationem induciarum Stumdorffenſium planè Pruſſiâ excederent) Author in tantâ arctitudine ſe continuit, ut vix octo foliis totius ſexennii geſta per Pruſſiam deproperaverit.

Sed ipſum Originale Manu Authoris ſcriptum, quàmplurimis epiſtolarum, diplomatum, & tractationum publicarum apographis inſertis auctum, multisque picturis locorum ornatum, hacte-



Digitized by Google

hectenùs à Conſ. Elbingenſi, Dn. Iſraele Hoppio, nepote Authoris, poſt Bibliothecam & alia celebris viri collectanea per belli injurias perdita, vix conſervatum, nec typis publicis editum; mihi tamen ab eo conceſſum fuit, ut hæc additamenta volumini meo adſcribi potuerint.

XV. ORDINATIO PROVINCIALIS PRUSSIÆ DUCALIS, Die Landes-Ordnung des Hertzogthums Preuſſen / publiciret von Churfürſt Georgio Wilhelm Anno 1640. quo typis Regiomonti excuſa. Obſervavi in lectione Chronicorum noſtrorum, inde ab ingreſſu Ordinis Teutonici in Pruſſiam, varias Ordinationes Provinciales, pro temporum & incolarum exigentiâ, â ſummo Magiſtratu publicatas fuiſſe.

Prima poſt datum Privilegium Culmenſe, jàm adultis coloniis Germanorum in Pruſſiâ, â Magiſtro Generali, Sigfrido â Feuchtwangen promulgata Anno 1310. quam exhibent Gaſparus Schütze Chron. fol. 54. Henneberg in Explic. tab. Geogr. paſſim, & plenius cæteris Waiſſelius Chron. pag. 105. & ſeqv. Præcipuæ ejus leges hæ fuere: Die Juden ſollen des Landes verwieſen ſeyn. Müßiggänger und Bettler ſollen nirgend gelitten werden. Alle Wahren und Getreidig ꝛc. ſollen nirgend auff dem Lande verkauffet / ſondern in die Städte auff die Märckte geführet werden / bey verluſt der Wahren. Lex ſumptuaria auff Hochzeiten und Kind-Tauffen ſoll gehalten werden. Kein Kauff oder Handel am Sontage kräfftig ſeyn. Kein Schultze / Bauer / Krüger ſollen kauffſchlagen (ohne zu des Kruges nothdurfft) noch ein Edelmann Bier zum verkauff brauen. Jederman ſoll frey ſtehen / ſeine ſache auff arbitros zugeben / ohne den Richter zu beſprechen. Alles Doppel-Spiel bey groſſer Straffe verbothen. Alle Vermünder und Curatores die

nicht

Digitized by Google

nicht ſtugs der Unmündigen Gutt inventiren laſſen / ſollen infam ſeyn.

Secunda Ordinatio Provincialis à Wernero ab Orſelen Mag. Gen. Anno 1330. publicata. In quâ præcipua lex ſancita: Daß alle Quartâle in Stâdten ein Wagen herumb gehen/ darauff alle auſſer Dienſte befindliche Knechte und Mâgde / in die Gefângen-Hâuſer zur Arbeit geführet werden ſollen. Vid. Henneberg. fol. 170.

Tertia fuit Winrici à Kniprode, continens legem ſumptuariam ſatis amplam, quam vid. in Schützii Chron. fol. 73. & Waiſelio fol. 123. ſequ.

Quarta Conradi à Iungingen, Mag. Gen. Mariæburgi Anno 1405. ſancita, quâ præcipuè continetur: Niemand ſolle über Landt Gewehr führen / als der Adel; Auch die ſollen nicht mehr als ſelbſt zehen reiſen. Alle Sonn- und Feſt-Tage ſolle aus jedem Hauſe jemand zur Kirche gehen / bey hoher Straffe. Daß die Gewercke nur einmahl im Jahr Zuſammenkünffte/ in beyſeyn jemands vom Rathe / halten ſollen. Wer eine Jungfrau entführet / mit oder wieder ihren willen / ſoll des Landes verwieſen; Dieſe aber / ſo Sie eingewilliget hâtte / Erblos gemacht werden. Vid Waiſſel. 131. Et Schultze fol. 97. ſed Johannes Lindenblat, Officialis Rieſenburgenſis, in Anno 1408. Ordinationem hujusmodi ſub Ulrico à Iungingen latè recitat. Quià verò ibidem fol. 50. addit: als man ouch vor hat verbotin/ inde colligi poteſt, Ulricum Magiſtrum eo Anno tantum repetiiſſe Ordinationis Articulos, à fratre Conrado ante promulgatos.

Quinta Michälis à Sternberg dicti Küchmeiſter, Brunſbergæ Anno 1416. ſancita. vid. Waiſſel. pag. 140.

Sexta ſub Paulo à Ruſſdorff, Mag. Gen. Elbingæ in Conventu Ordinum Anno 1434. ſancita & promulgata, quam



Digitized by Google

refert Schutzius Chron. fol. 123. ibi. Daß die Obrigkeit auff die gebothe Gottes und die *pietet* feſte halten: keine Krämerey auff Kirchhöffen geſtatten; keine Wucherer noch Betriger in Maaß und Gewichte leyden. Kein unrecht Gericht geſtatten/ ſondern gleichheit über Reiche und Armen/ nach des Landes-Rechte und *Privilegien* halten. Alle Einwohner bey *Privilegien* und Freyheiten geſchützet werden. Land-Leute umb ſchulden/ die ſie *negi*ren/ nicht in Städten pfänden/ aber von ihrer Herrſchafft unverzögerliche Rechtpflege geleiſtet werden. Die Herrſchafft niemand in öffentlichem Kauff abdringen/ ſondern jederman den Marckt frey laſſen. Im General Beſchlag des Getreydes niemand *favoriſi*ret. Von der Landes-Herrſchafft keine Krüge vor den Städten geſetzet/ noch Handwercker den Städten zum Vorfang/ den alten Gebräuchen und *Privilegien* zuwider/ gelitten werden. Die Herrſchafft den Städten freye Köhre des Rahts ꝛc. laſſen/ und ſich nicht darein mengen. Des Landes Kinder und Einwohner/ zu den Aemtern und Bedienungen näher als Frembde ſeyn. Culmiſche Scheffel/ Maaß und Gewicht gleich durchs gantze Land ſeyn. Geldſtraffen *moderate*, nach Gnade und Recht/ nicht nach Muhtwillen die Unterſaſſen zu beſchätzen/ genommen werden. Die ausgekauffte Ritter-Dienſte/ zum Schutze des Landes/ wider beſetzet werden. Kein Unterthan am Heil. Tage ſchuldig zu ſcharwercken ſeyn. Die Fleiſcher in den Städten auff den Märckten kein Viehe kauffen/ ſondern jederman der Marckt bleiben. Auſſer der Stadt niemand was zu kauffen geben/reiten oder fahren/ſondern zu jedermans Nutzen/ alles zu Marckte gebracht werden ſolle.

Septima fuit Ordinatio Alberti Senioris Ducis Anno 1529. Conſenſu Regis Sigiſmundi I. toti Pruſſiæ communis confecta: Quam exhibet Volumen Juris Culmenſis in Varmiâ obtinentis nuper A. 1711. Brunsbergæ typis impreſſum. Octa-

Digitized by Google

Octavam promulgarat quidem Sigiſmundus ille Primus Gedani Anno 1526. Ordinationem, ſive Conſtitutiones Pruſſiæ Occidentali ſeu Polonicæ, quibus articuli ad Statum & Jus publicum potiſſime continebantur: Sed quia civibus in ea, contra jura cardinalia Pruſſiæ, injurioſe bona Nobilia poſſidere prohibitum, pleraque præjudicia inconſultis omnibus Ordinibus ad publica Conſilia pertinentibus, in eâ Ordinatione facta erant, Ideo Rex Cracoviæ Anno 1538. alias Conſtitutiones Pruſſiæ ſuæ correctas promulgavit, & ſolenniter confirmavit. Quod Januszovius quoque in ſtatutis notavit. Et poſterior hæc Ordinatio quoque Juri Culmenſi Heſiano inſerta, atque Juri municipali, quo adhuc dum utuntur.

Nona denique Ordinatio ab Alberto Friderico Duce, Anno 1577. in IV. edita typis, dequâ inferius ſuo loco dicetur.

Tandem Decima Ordinatio Provincialis hæc, de quâ hic agitur, Anno 1640. à Georgio Wilhelmo Electore, ex reviſione proximè anterioris, plenior edita, cum notis & additionibus ad textum Ordinationis 1577. Additæ quoque huic ultimæ Ordinationi. Die Geſinde- und Kleider-Ordnung / *Item* von Unterthanen in Preuſſen Werbung / und derer Entlauffung / *de Anno* 1633. *Item* aller Aembter und kleiner Städte *Special*-Ordnungen / *Taxen* der Handwercke / Bieren und Wahren. *Item* Fiſcher-Ordnung uff beyden Haaben.

Ex quibus omnibus ſollicitudo publica illius temporis, circa juſta pretia rerum, judicia, uſum privilegiorum, & alia neceſſaria ſatis patet: Quæ jam vitio impurioris monetæ, & ob alias negotiatorias rationes, immenſum auctis rerum pretiis, cum ſummo damno incolarum, ab operariorum & famulorum petulantiâ, & â tot aliis impenſis, ſummoperè oneratorum, in-

Digitized by Google

invalida redditur. Quia enim neceſſitas quædam commerciorum occultam avaritiæ malitiam fovet, & omnes bonas Ordinationes elidit, jàm nemo de bonis Ordinationibus ſervandis cogitat, imò licet quotannis repetantur, pleræque ſine executione mox deſveſcunt.

XVI. JUS PROVINCIALE PRUTENICUM REVISUM. *Revidirtes Land-Recht des Herzogthums Preuſſen*/ juſſu Friderici Wilhelmi Electoris, & conſenſu Ordinum Pruſſiæ Orientalis, Anno 1685. typis Regiomontanis editum.

Cum enim per pacta Velavienſia Anno 1657. Elector Jus Supremæ poteſtatis, ab omni vinculo feudali Poloniæ independens, â Rege & Regno Poloniæ obtinuiſſet, propter hanc Status feudalis Pruſſiæ mutationem, quædam ex veteri illo Jure Provinciali eliminanda judicavit: Præſertim odioſam illam materiam appellationis ad Regem Poloniæ, quæ non ab initio feudi Prutenici, nempe in pace perpetuâ Anni 1466. â Magiſtro Generali Ordinis, neque in ultimâ Anni 1525. converſione, à Duce primo Alberto requiſita vel pacta fuit. Sed ultimis demum Annis vitæ illius, Sigismundus Auguſtus Rex provocationem ê Pruſſiæ judiciis ad ſuum tribunal, impenſè poſtulavit, neque tamen hoc poſtulatum novum vel ab ipſo Alberto, vel ipſius Filio obtinuit.

Nam & patruus atque Curator hujus filii, Dux Georgius Fridericus Anno 1578. Ordinationi Dicaſterii aulici iterùm Anno 1578. typis recuſæ. Cap. 14. §. ult. diſertis verbis inſeruit: *Appellationis â Dicaſterio vel Judicio ſuo reviſorio, ulteriùs ad Regem Poloniæ ſe non conceſſurum.* Et licet Sigiſmundus Auguſtus, in Reſponſo ſuo Legatis Ducis Alberti Senior. Anno 1563. die 5. Aprilis dato (quod in epiſtolis iſtius Regis Lipſiæ editis No. 78. exhibetur) pro obtinenda provocatione, injuſtis

certè

certè, ſeveris tamen rationibus depugnaverit, nihilominùs nunquàm ipſe neu ſucceſſores Reges eam obtinere potuerunt.

Donec Anno 1612. circa immiſſionem Johannis Sigismundi Electoris in poſſeſſionem Pruſſiæ, novis pactis, tanquàm novæ Lineæ Electorali collato beneficio infeudationis, conditio appellationis quoque extorqueretur.

Hinc Elector Fridericus Wilhelmus, jam Anno 1662. reviſionem Juris Prutenici, Conſiliariis certis ex Judicio ſummo Tribunalitio, & ex Dicaſterio aulico Regiomontano, ſolenni reſcripto commiſerat: *Ut ea, quæ ſupremo Juri Ducali viderentur contraria, delerent, & verba Statui ſupremæ Majeſtatis convenientia, item ea, quæ ad contrariorum textuum, vel difficultatum primæ editionis eludicationem, denique ad abbreviationem litium ac proceſſuum pertinere judicarint, interſererent.*

Nequè tamen ullo in loco obtentu ſuperioritatis Ducalis, juribus totius Provinciæ, aut ſingulorum incolarum privilegiis & libertatibus, præjudicium fieri juſſum nec factum fuit. Siquidem per pacta Velavienſia integritati omnium omninò jurium, libertatum & privilegiorum ejusdem incolarum, expreſſis verbis in Artic. 8. proviſum eſt. Et in proëmio generali Lib. I. hujus Juris reviſi, omnia Provinciæ publica, vel ſingulorum incolarum ſpecialia Jura & Privilegia, ſcripto vel longâ honeſtâ conſvetudine acquiſita, ab Electore confirmantur, & ne per Jus hoc reviſum ulli præjudicetur, cavetur. Denique Ordinibus Pruſſiæ, Jus hoc reviſum ad trutinam & animadverſiones ſuas faciendas, ab Electore oblatum, & ſi futuris ejus Succeſſoribus quicquam pro commodo publico Provinciæ mutandum in eo viſum fuerit, hoc conſenſu Ordinum Pruſſiæ fieri debere, declaratur. Prout hæc omnia in edicto Electorali promulgatorio, Volumini huic inſerto, leguntur.



Digitized by Google

Præterea notanda veniunt circà hoc Jus reviſum, (1) Quod in edicto illo Electorali, omnia antiqui Culmenſis Juris deciſa, conſvetudines & ritus, quatenùs huic Juri reviſo inſerta ſint, approbata, contraria verò eidem Juri ſublata & deleta judicentur. (2) Ideò ſtatuta, conſvetudines, ordinationes judiciales, & provinciales, quæ expreſſe hujus Juris reviſi textui non fuerint contraria, in vigore ſuo retenta ſunt; adeò ut Lib. I. tit. 3. §. 1. & 3. formæ juramentorum Judicum & Notariorum judicialium, præter Jus hoc reviſum, ſtatuta quoque, conſvetudines, & ordinationes anteriores, pro normis judicandi obſervanda, inſerta ſint. Neque hoc mirum, quia poſt priorem editionem Juris Prutenici, de Anno 1620. Ordinatio Provincialis de Anno 1577. ex decreto Electorali Anno 1640. reviſa, & novis additionibus aucta, typis publicata fuit. Ideò in fine quoque hujus voluminis, textus ex decretis ſeu laudis Conventualibus, Ordinationibus Provincialibus, & Declarationibus Ducalibus, in hoc Jure reviſo allegati, verbotenùs typis adſcripti ſunt.

Quodſi malitia humana obicem pati, & uno, certo, brevi Jure contenta eſſe vellet, certè ſecundum hoc Jus Prutenicum lites forenſes brevi tempore expedirentur. Eſt enim ultra Compendium amplum, ut reciſis multis apicibus & theoreticis explicationibus, non paucis in locis etiam contrahi & abbreviationem benè pati poſſet. Enimverò dum rixoſi homines litium ſuarum multitudine, forum numeroſis juſtitiæ adminiſtris lucroſum efficiunt, acie mentis ad cavillationem ſimplicitatis legum bonarum abuſi, repagula ſummorum ſubſidiorum, pruritu nocendi adverſariis perrumpunt, & proceſſus æternos, cum enormi læſione conſcientiæ & Juris patrii, atque damnis ſuis immenſis fabricant. Invalido legum vel Magiſtratus ſubalter-

alterni auxilio, quod ſine zelo & ſeveritate plusquàm civili vix obtinetur. Qualem in Sixto V. Papâ experta eſt Roma, utinam omnia Regna & Provinciæ, ſingulis Seculis uno vel duobus luſtris parem experirentur, qui Rhadamanthæâ ſeveritate, in procaces illos everſores legum, æque ut in alia ſcelera & vitia animadverteret, Resque publicas propter injuſtitias â converſione & interitu liberarent.

XVII. JOHANNES CHRISTOPHORUS HARTKNOCH, Phil. Mag. & in Gymnaſio Thorunienſi Profeſſor, primam Seculo proximo meruit laudem, quod ſtudium Hiſtoriæ patriæ, per deſidiam ſupinam Doctorum, indè ab Gaſparo Schützio, & Hennebergero, integro ſeculo altis obvolutum tenebris, perſpicuè & utiliter, ſedulitate nimirùm & judicio ſummo, attingere auſus fuerit.

Quæ enim Fridericus & Gothofredus Zamelii, Conſ. Elbingenſes, ante eum, viri antiquitatum Prutenicarum cupidiſſimi, collegerant, ſed partiatim tantum res magis curioſas quàm in publicum utiles, prout ſchediaſmata illorum paſſim ſparſa, mihi quoque viſa, exhibent, judicio pertenui, ſtrinxerant: Ea Hartknochius, quoad digna judicavit excerpſit, ſuisque ſcriptis prudenter inſeruit. Univerſim vero & ſolidè â Zameliis pertractata aut nulla fuerunt, aut ab invidis ſuppreſſa, vel ab hærede ſtupido diſcerpta & perdita ſunt. Mag. Matth. Prætorius, cujus Hartknochius in ſcrutinio lingvæ veterum Pruſſorum meminit, eodem tramite cum Zameliis, quærendo antiquitates patrias, laboravit, multa promiſit, nihil verò orbi literato exhibuit, de cujus tamen elaborato magno opere inferius dicetur.

Magno proindè labore conquiſitis, & prudenti epicriſi correctis, atque digeſtis ſcriptis Chronicis, & Schediaſmatibus,

 Hart-

Digitized by Google

Hartknochius, cum adhuc in Academiâ Regiomontanâ privatim doceret, Anno 1674. & ſequentibus, diſſertationes quaſdam, de rebus antiquis Pruſſiæ publicè exhibuit, has Anno 1679. novis Pruſſiæ rebus additis, multum auctiores, ſcilicet novendecim, unà cum Chronico Duſburgii typis edidit. Sed cum dies diem doceat, & ab amicis de plenioris hiſtoriæ Prutenicæ compoſitione, ac verſione diſſertationum ſuarum in Germanicam lingvam rogatus eſſet, ſedulus hic noſter Hartknochius, non quidem hiſtoriæ, ex vetuſtiorum Scriptorum fragmentis conſutum Corpus, qualibus, ſed parum limatis abundamus, ſed nomine ſuo dignius opus meditatus, cœptam in dictis Diſſertationibus publicis difficillimam, de ſcriptis & rebus omnibus antiquis ac recentibus criticam, multùm auctis & correctis illis, titulo Antiquæ & Novæ Pruſſiæ Germanico idiomate, Alt und Neu Preuſſen / Francof. & Lipſiæ Anno 1684. typis publicavit.

In hoc volumine Hartknochius illud præſtitit, ut cum antea, quicquid vetuſto charactere ſcriptum, aut Chronicorum nomine vagabatur in Pruſſiâ, ſacrum, & abſque ullo Judicio vel Scrutinio veritatis, ab omnibus (unico Gaſparo Schützio excepto, qui in narratione ſuâ cautior, vera â falſis diſcernere voluit, & fabulas contempſit) cœcâ fide receptum eſſet, nunc demùm poſt Hartknochii luſtricum hunc laborem, verâ præ falſis & fabuloſis dignoſcere, & exteris quoque abſque rubore res noſtras ab origine narrare valeamus.

Secunda hæc ingens laus Hartknochio parta, quod non vanè curioſis, exilibus aut ſterilibus rebus, ſicut plerique, immoratus, ſed potiſſimam curam, ad indagandum ea, quæ ad religionem & ſtatum publicum Pruſſiæ pertinent, applicuit. Certè in materiis illuſtrioribus, de originibus, totâque antiquitate Prus-

Digitized by Google

Pruſſorum, quantum ex libris, & conjecturis veròſimilibus aſſequi humana induſtria poſſit, item de actis publicis, pace belliſque, Regimine, Monetâ, Juribus, Civitatibus, incremento & decremento Pruſſiæ totius, inde ab ingreſſu Ordinis Teutonici usque ad ſua tempora, diligentiſſimè inquiſivit; Scriptores contulit, dubia enodavit, & judicio acri decidit, ut paucas jam quæſtiones aliis in elucidandâ hiſtoriâ patriâ reliquerit. Vel propterea magnum nomen adeptus, quod in pleriſque viris pulveri ſcholaſtico-immorientibus, ſedulitas quidem laborioſa, ſed de rebus antiquitatis, & ad ſtatum publicum Regni pertinentibus, conjiciendi & dijudicandi vis, aut nulla aut adeò fortis, qualem Hartknochius munere divino habuit, in pauciſſimis unquàm reperta ſit.

Qui licet ſubindè inter ſpinas & nodos fabularum verſatus, in deſtruendo & evellendo nimius ſit, ut, quorum traditorum evidentem connexionem cum Chronologiâ aliarum gentium, reperire non potuit, ea ſimul cum apertè falſis deſtruxerit, & damnaverit; præſertim ſi ratio aliqua probabilis aliud conjiciendi eum avocavit. Nihilominus, Vir juxta modeſtus ac prudens & doctus, nemini ægrè laturus, ſi ex ipſius dubiis, & difficilioribus Antiquitatum noſtrarum locis, meliorem quisquam opinionem adſtruere poſſit. Ita enim in Præfatione hujus operis declaravit: Ob gleich viel ſachen in der Zeit (primæ ſcilicet antiquitatis Pruſſiæ) mögen erdichtet ſeyn / ſo iſt doch über das viel Warhafftiges verhanden. Ja auch unter dieſen *Fabeln* ſelbſt ſtecket viel Wahres verborgen. Welches man/ wiewol nicht ohne groſſe Mühe/ unterſcheiden und ans Licht bringen kan. Et in fine Præfat. Dannenhero erklähre ich mich/ auch gegen die jenigen / ſo hinführo von Preuſchen Sachen etwas ausgeben wollen / recht offenhertzig; daß es mir



Digitized by Google

gar nicht entgegen ſeyn werde / wann jemand in ein und andern Stücke wiederſprechen / und was beſſers zu Marckte bringen wird.

XVIII. REINHOLDUS KURIKE, Secretarius Civit. Gedanenſis, *hiſtoriam ſive deſcriptionem hujus Civitatis, Patriæ ſuæ*, Anno 1667. moriens manuſcriptam vernaculâ ſua reliquerat. Hanc filius ejus, Georgius Reinholdus, additionibus breviuſculis auctam, Anno 1687. typis & tabulis æneis elegantiſſimis, Amſtelodami & Gedani, excudi curavit, Libris quatuor.

Vitio vertunt editori, quod nonnullas narrationes parentis, quæ adhuc in MSptis exemplaribus circumferuntur, conſultò, vel à Magiſtratu, aut potentioribus familiis, (quæ vitia Majorum publicari horruerunt) admonitus, Jura quoque & Privilegia Civitatis, plurima in hâc editione typographica omiſerit. Ego verò nullum vitium Hiſtorici in eo poſitum eſſe reor, quod quædam crimina regentium in Civitate aliquâ ſileantur. Benè enim Plutarchus in Proëmio Cimonis: *Illas* inquit, *quæ ex Reip. temporibus effuſas & vitia, non nimiùm diligenter eſſe notanda, ſed potiùs rubore humanæ ſortis, quæ nihil boni ſincerum, neque mores ad virtutem edit planè inculpatos, diſſimulanda.* Et Polybius Philarchum Mantinenſem exagitat, quod ad officium Hiſtorici pertinere crediderit, iniqua hominum facta ſedulò, generoſa negligentèr adnotare. Eo autem pacto omnis Hiſtoria quid eſſet, niſi omnium ſcelerum & vitiorum narratio? quæ tamen inventa eſt, ut ſit providentiæ divinæ commemoratio.

Certè Acta Gedanenſia cum Eberhardo Ferbero Coſ. Gedanenſi & Capitaneo Dirſavienſi, Annis 1522. & ſequentibus (ad quæ vulgò digitum intendunt, qui Manuſcriptum hocce Opus

Opus incompletum, quemadmodum etiam Schuzii Libros poſteriores planè non, prodiiſſe arguunt) talia non ſunt, quæ Nobiliſſimæ familiæ ruborem incutere, & editionem ſufflamininare poſſint; videlicet eo eventu finita, ut ab Ordinibus Civitatis, agnitâ per reconciliationem utrinque fervoris nimii culpâ, ſecundùm decretum Regium, Anno 1525. Feriâ ſecundà poſt Dominicam Quaſimodog. Cracoviæ pronunciatum, honorificè in Civitatis Senatum reciperetur. Utut Schuzius, nimiâ in adverſam partem inclinatione, tali hiſtoriam hanc claudat epiphonemate: *Familiæ, dicens, quæ Magiſtratui aſſveſcunt, ad Reip. vel inſignem cladem, vel magnum commodum quaſi natæ ſunt.* Tumultibus verò Religionis causâ inde ſequutis, non prædicatio Evangelii, neque cives, ſed immanis adverſariorum zelus facem ſubdidit: quos cum Rex Sigismundus I. civilibus remediis ſopire potuiſſet, inſtinctu Cleri ſangvine reſtinxit.

Si quæ autem â Magiſtratu publicari prohibita ſint, non damnum hiſtoriæ ex præcautione tali, ſed exemplum emanavit. Utinam omnium Regnorum & Civitatum hiſtoriæ publicâ authoritate & curâ eſſent ſcriptæ, facilè iis, quæ Magiſtratus ex bono publico archivis ſuis includi judicaverit, curioſitas petulans careret, modò cætera ad feriem & monumenta rerum geſtarum neceſſaria, irreparabili hiatu Chronologiæ non forent deperdita.

XIV. JUS CULMENSE CORRECTUM, *unà cum proceſſu juris in Diœceſi Varmienſi uſitato.* Item *Conſtitutiones Mauritii Epiſcopi.* Item *Ordinatio Provincialis Sigismundi I. Regis, & Alberti Senioris Ducis Pruſſiæ, quam tanquam communem totius Pruſſiæ* Anno 1529. *in Conventu Marieburgenſi, ſalvis ſuis propriis juribus, Status Pruſſiæ acceptarunt.* Item XII. *Articuli M.*

*Cro-*

Digitized by Google

*Cromeri Epiſc. de torturis*; adiectis in fine floribus legum univerſalium, tanquam axiomatibus Juris naturæ, ex Civili & Canonico, à Tomaſetto, J. U. D. collectis, Brunsbergiæ Anno 1711. typis prodiit.

Hoc Jus Culmenſe collatum cum antiquo illo, Thorunii Anno 1584. impreſſo, de quo ſupra dictum, in diſpoſitione quinque librorum & capitum, plerumque convenit, multis tamen omiſſis vel correctis. Hartknochius noſter Novæ Pruſſiæ Cap. 7. § 17. ex receſſibus Conventuum Pruſſiæ publicis deduxit: poſt inventam & Statibus Pruſſiæ Occid. jam Anno 1534. in Conventu Mariæb. per Doct. Johannem Reincke oblatam, antiquam illam, ex Weichbildo, Speculo Saxonico, quæſtionibus Magdeburgicis & reſponſis collectam, reſponſisque Culmenſium Scabinorum auctam compilationem (quæ demum Anno 1584. Thorunii typis expreſſa fuit) Nihilominus, ob impias & injuſtas, Juribusque Flamingicali & Culmenſi directè contrarias nonnullas deciſiones, in illo volumine deſcriptas, perpetuas preces incolarum Pruſſiæ, de digerendo aliquo Jure Provinciali, in fundamento Privilegii Culmenſis, ad Magiſtratus, horumque ad Reges & Principes ſuos fuiſſe auditas. Caſimirum autem III. Regem Anno 1476. & Sigismundum I. Anno 1526. Conſtitutione ſuâ delegaſſe Conſiliarios Pruſſiæ, qui Jus verum Culmenſe componerent, & ad approbationem exhiberent: Verùm aut torpore Magiſtratuum, aut gliſcentium in Pruſſiâ Polonicarum familiarum Nobilium invidiâ, nunquàm ad juſtum tale Juris Prutenici corpus Reges eniti potuiſſe.

Donec prima Reviſio hujus Juris antiqui Culmenſis, ad ſedulam interceſſionem Alberti Ducis, à Sigismundo Auguſto, atque ipſo Duce Alberto Sen. Annó 1552. Gedani, Stanislao

Ho-

Digitized by Google

Hoſio, Epiſcopo Varmienſi, Georgio Kleinfeldio, ProC. Gedanenſi, & Chriſtophoro Jonæ, Doctori Juris Regiomontano committeretur. Hi delegati Anno 1553. Heilsbergæ in Sede Epiſcopali congreſſi, correctionem antiqui illius Juris Culmenſis (ſeu potius Magdeburgenſis) tentarunt, propter diverſam praxin tamen utriusque Pruſſiæ, Orientalis & Occidentalis, pleno conſenſu non coæquarunt, ſed utrinque nonnulla dubia ſuis Principibus reſervarunt. Et Epiſcopus Hoſius, Correcturam hanc Anno 1544. in conventum Statuum Pruſſiæ Occidentalis quidem attulit, ſed Nobilitas variis prætextibus conſenſum & approbationem Ordinum impedivit. Iterùm Anno 1565. iidem delegati, Heilsbergæ Compoſitionem communis utrique Pruſſiæ Juris reaſſumpſerunt, ſed annotatis utrinque dubiis ſuis, denuò re imperfectâ diſceſſerunt.

Hujus itaque primæ correcturæ, poſt reviſionem 1565ti deſcriptum Exemplar, in Archivo Epiſcopali Heilsbergenſi aſſervatum, nunc demùm his Annis, ad deſiderium incolarum Varmiæ, publicatum eſt typis.

Nam in margine voluminis hujus mentio fit reviſionis: Cæterùm Neomarcenſis correctura (de qua inferius) multum ab hocce Juris Syſtemate differt. Præthereà in Præfatione hujus editionis 1711. Johannes Georgius Kunik, J. U. D. Canonicus & Adminiſtrator Varmienſis, ad Dioeceſanos ſuos ita ſcribit: *Meritò optabatis, ut typis mandaretur Jus, quod Culmenſe correctum dicitur, in Archivo Epiſcopali depoſitum, & jam olim authoritate ſupremi domini* (intelligit absque dubio Epiſcopum, ſed largâ nimis ſignificatione illud Jus Epiſcopo tribuit, quod Regi Poloniæ competit) *roboratum, publicique Juris fieret, quod vel ex illo prototypo vel aliundè erroneè deſcriptum, in priva-*

 *tis*

Digitized by Google

*tis deliteſcebat manibus, id quod in noviſſimo etiam Heilsbergenſi conventu, poſt obitum nuper celſiſſimi Principis, novo urſiſtis deſiderio.*

Non equidem meum eſt hìc dubia movere, quia publicè nondum conſtat, hanc Correcturam olim ab Epiſcopo Varmienſi, certè â Rege nullo, diplomate promulgationis in illâ Dioeceſi roboratam fuiſſe; Utrum in ſtatu interregni, ſeu potius viduitatis Eccleſiæ Varmienſis, ad preces Ordinum Epiſcopatus, ab Adminiſtratore ejus, Corpori huic Juris Culmenſis, olim Heilsbergæ correcti, vis nomothetica & publica authoritas indi potuerit, ipſi hoc inquirant, quorum intereſt. Mihi ſufficit indicaſſe, Confuſionem Juris poſitivi in Pruſſiâ Polonicâ ſive Occidentali, adhucdum hâc ætate noſtrâ perdurare: Civitatum Magiſtratibus (quod illis dudùm â civibus ſagacioribus exprobratum fuit) obtentu nullius â ſumma poteſtate approbati digeſti Juris, in Caſibus dubiis, Civibus ex ſcrinio pectoris & arbitrio ſuo, atque ex artibus perſvaſoriis procuratorum, Jus dicentibus; Nobilibus autem, jam toto animo & corpore merè Polonis, ſuis Polonicis juribus & conſvetudinibus inhærentibus.

Sanè poſt illam Heilsbergenſem primam correcturam, Anno 1579. Secunda in oppido Neumark, per delegatos è Conventu Mevenſi tentata fuit, quam Henricus Rhode, Juris Doctor Regiomontanus ſuſcepit perficiendam: Verùm neque hæc ad approbationem communem Statuum pertingere, neque Regis confirmationem aſſequi potuit. Nihilominùs hæc ſecunda correctura â quodam Gedanenſi latinè translata, adhuc in judiciis poſtcurialibus Poloniæ, in cauſis civitatum Prutenicarum evolvitur. Et eandem Latinam verſionem Paulus Kuſzewicz, Culmenſis, in Polonicam lingvam vertit, & typis vulgavit; quo libro oppida Epiſcopatus Culmenſis, & cætera

Po-

Polonicarum caligarum in Pruſſiâ utuntur, de quo inferius dicetur.

Mox iterùm Anno 1585. Graudenti in Conventu generali Ordinum deputati fuere, ad reviſionem Juris Culmenſis; quibus denuò adjunxit Dux Pruſſiæ, Henricum Rhodium D. J. U. & Johannem Heidenſtein, tunc adhuc Ducis Alberti Secretarium. Sed & hi à Nobilibus Culmenſis Palatinatus multa obſtacula experti, utut reviſionem aliquam deſcripſiſſent, invitis illis nihil effecerunt.

Iterùm poſt ruptos aliquot Conventus, Anno 1594. Thorunii reviſio Juris Culmenſis, ex mandato Regio reaſſumpta eſt, ſed eodem ſucceſſu; Nobilibus nimirùm ſeceſſionem & ſeparationem Jurisdictionis & Juris à Civitatibus palàm quærentibus. Tunc Civitatum majorum nuntii ſeparatim, laborem revidendi & corrigendi Jus Culmenſe, ſine reſpectu Nobilitatis, in uſum Civitatum, obtulerunt Gregorio Heſio, ProC. Mariæburgenſi J. U. D. Qui meliori Judicio, ex antiquo Jure Culmenſi ea quæ Privilegio Culmenſi concordant, retinuit; Jus publicum ex Conſtitutionibus Prutenicis Regum inſeruit, & Ordine concinno, nimiâ tamen brevitate, Jus Culmenſe Civitatibus Pruſſiæ Occidentalis (Orientalis jam tot rixarum pertæſa, ſeparatìm quoque ſibi conſuluit, prout ſuperius dictum eſt) compoſuit. Quo adhuc pleræque in Palatinatu Culmenſi, Mariæburgenſi & Pomerelliæ utuntur, ſed arbitrio Judicum magis, quàm partium commodo, ob nimiam arctitudinem.

Hoc Jus Culmenſe Heſianæ Correcturæ, nitidiſſimo calamo à Nobile olim viro, Jacobo Hograſſio, Secretario Regio Pol. Socero meo chariſſimo, Anno 1682. propriâ ejus manu diligenter deſcriptum, Volumini huic annexum poſſideo.

 XX. SA-

Digitized by Google

XX. SAMUELIS DE PUFFENDORFF *de Rebus geſtis Friderici Wilhelmi Magni, Electoris Brandeburgici, Commentariorum Libri XIX.* typis & ſumptibus Aulæ Regiæ Berolinenſis, Anno 1695. editi.

Quandoquidem ſupremi Domini Pruſſiæ Orientalis res geſtas pace belloque, maximâ parte Pruſſiam concernentes, hic liber continet, meritò Scriptoribus Prutenicis accenſendus eſt. Nam cum Puffendorffius, pro dignitate tanti Principis, pulchrè, copioſe & prudenter, ad utilitatem poſteritatis, & juxta fidem Archivi publici veraciter, pro ſummâ denique laude Hiſtorici, non ſolos eventus, ſed conſilia & deliberationes in negotiis pace belloque maximis, quorum tempora illa fœcunda fuere, excellenter in hâc hiſtoria deſcripſerit; ideò â Pruſſis meritò tamquam patrius ambitur, & ab omnibus doctis atque prudentibus viris, inter paucos primæ & ſupremæ Claſſis Hiſtoricos noſtros collocatur.

Utinàm omnia Regna Europæ, tales & tantos Hiſtoricos publicâ fide & ſumptu ſemper aluiſſent, non in tam horrendis tenebris actionum publicarum & temporum antiquorum palparet Orbis eruditus! Ego ſanè de hoc Puffendorffii (qui vivus & mortuus à Zoilis ſuis vexatus fuit) opere ita exiſtimo: Neminem usquàm ſolidè de rebus Domûs Brandeburgicæ ſermocinari, nedum conſulere poſſe, qui non ex hac Hiſtoriâ legerit, quibus virtutibus & quibus conſiliis, atque à Deo O. M. conceſſis benedictionibus, eædem ferè prolapſæ, inter graviſſimas procellas & obſtacula, ad tantum faſtigium, ſub Imperio Magni Friderici Wilhelmi (qui ad repellendas injurias populorum ſuorum bellicoſus, cætera pacis artibus & bonis Conſiliis deditus, multum, armis autem nihil acquiſivit) erectæ & exſtructæ ſint.

Fru-

Digitized by Google

Fruſtrà huic tanto viro Puffendorffio poſt fata objicitur à malevolis: quod nimis incautus, arcana domus Brandenburgicæ, ex ejus Archivo ſecretiori, Orbi publicaverit. Nam actiones juſtæ & rectæ tanti Principis, domûs ſuæ Inſtauratoris, meruerunt, ut cum omnibus circumſtantiis Orbi innoteſcerent, invidis & infenſis terrorem, Succeſſoribus præcautiones, in recurrentibus cum vicinis geminis negotiorum difficultatibus, quas imitentur, allaturæ.

Denique obtrectatores erroris alicujus, in tam diffuſo opere, toti humanæ naturæ convitium faciunt, cui errare proprium eſt. Prudeutiores ſanè grato animo tantum laborem æſtimant: absque hoc enim Opere, rationes genuinas, & & veras magnarum rerum noſtrarum Cauſas, planè ignoraremus.

XXI. EXCERPTA EX RECESSIBUS CONVENTUALIBUS, PRUSSIÆ OCCIDENTALIS, ab Anno 1422. ad Annum 1652. ab Anonymo quodam, viro ſedulo & Jurium Patriæ gnaro, collecta. MSpta.

Item *excerpta ex actis Conventualibus* ejusdem *Pruſſiæ Polonicæ*, ab Anno 1414. usque ad Annum 1616. Gregorii Heſii, ProC. Marienburgenſis diligentiâ connotata. MSptum, quo B. Hartknochius multum in ſcriptis ſuis uſus eſt.

Item *Lauda ſive Scita Statuum terrarum Pruſſiæ ejusdem Occidentalis*, ab Anno 1601. ad Annum 1714. ſummariter collecta. MSpta.

Licet quidem excerpta hæc non completa, Sceleton tantum aliquod exhibeant, & actis multis inſignibus publicis careant, nihilominùs, quod uni excerpentium excidit, alterius obſervatione quodammodò ſuppletur.



Digitized by Google

Sed viros doctos & Nobiles Pruſſiæ Orientalis ſummæ negligentiæ arguunt, quod ex portentoſis illis voluminibus actorum ſive receſſuum Conventualium, quæ apud plurimos adhuc pleniſſima abſconduntur, ne quidem hujusmodi macra excerpta cum literatis & poſteris ſuis, jam à duobus ſeculis actorum, communicanda elaboraverint. Quæ autem juſta & vera Cognitio rerum, ab ipſâ Seculariſatione, & ante ſub Cruciferorum imperio geſtarum, item de jurium publicorum uſu vel abuſu, de Ordinum prærogativis, de Privilegiis, & de revolutionum gradibus, niſi ex collatione antiquorum actorum cum recentioribus, quibus ſecurè credi poſſit, provenit?

Certè ſi quædam felicitas eſt, meminiſſe antiquæ Libertatis, & jurium patriæ publicorum, Pruſſia Occidentalis multo graviorem priſtini Status ſui paſſa mutationem (ut quæ contra pacta, Privilegia, & Cardinalia jura ſua, genti, lingvâ, veſtitu, moribus, genio, juribus & Conſiliis diſſimillimæ ſuccubuit) ex hujusmodi jurium olìm ſuorum cuivis obviâ cognitione, & tali ſimulachro libertatis antiquæ felix eſt, præſertim cum coepta, à Caſparo Schützio actorum publicorum ex Archivo Gedanenſi evulgatio, diligentiâ D. Lengnichii nunc continuari videatur. Quod licet ei non ad correctionem & reſtaurationem priſtini ſtatus quicquam, ad ſperandum meliora, dolendum, ſupplicandum, controverſias, querimonias & gravamina ſua formandum tamen, juvat multum.

XXII. & XXIII. JOHANNIS HEVELII, Viri Conſularis veteris Civitatis Gedanenſis, *Selenographia*, Anno 1647. typis elegantiſſimis Gedani publicata. Item *Ejusdem Cometographia*, ibidem Anno 1665. edita.

Laus illa, quam Vir Mathematicis experimentis, præſertim Aſtronomicis, per univerſam Europam, inter ſummos iſtius

ar-

Digitized by Google

artius, apud Principes & doctos promeruit maximam, juſtè poſtulat honorem, quem inter Scriptores Prutenicos ipſi exhibeamus inſignem. Habuit Hevelius hocce antè multos Mathematicos ſubſidium artis ſuæ, ut quicquid continuis obſervationibus aſtrorum, per teleſcopia inventis ſuis ad perfectionem erecta, animo conceperat, manu ſuâ exactè delineare, & æneis quoque tabulis inſculpere ſine vitiis ſculptorum, ipſe ſciverit.

Quanta in Aſtronomiâ præſtiterit, meum non eſt enarrare, ſed quod maximis Regibus, doctisq; viris per Chriſtianum Orbem fuerit æſtimatus & laudatus, tantum innuere, atque Pruſſiæ gratulari; quod poſt Regiomontanum, Copernicum & Reinholdum, ſuo ævo laudatiſſimos Aſtronomos, hunc Hevelium, Dei nutu produxerit & foverit. Supremo autem illi Domino generis humani rerumque univerſi, Hevelium quoque fuiſſe charum, inculpati ejus mores, fidei ſalvificæ fructus, omnium illo tempore Gedani viventium bonorum ore celebrati; præterea acerbæ Caſtigationes per malorum maximum, domeſticum, ignem denique, facultatibus & Bibliothecæ, Scriptorumque ejus multis Annis magnâ diligentiâ elaboratorum (præter pauca typis publicata,) potiſſimæ parti damnoſiſſimum, piè credere cogunt. Quod ſummæ felicitatis tanti viri fuit complementum, poſt homines bonos etiam Deo O. M. placuiſſe, qui illum bonis malisve erudivit maximis.

XXIV. ACTA PUBLICA PRUSSIÆ OCCIDENTALIS ab Anno 1526. ad obitum Regis Sigiſmundi Primi, videlicet Annum 1548: Gedani Anno 1722. typis edita per GODOFREDUM LENGNICH, Doctorem Juris.

Votum illud, quod viri prudentes, & de Juribus publicis Pruſſiæ ſolliciti, hactenùs cum deſiderio fecere, ut nempè utilis-

Digitized by Google

liſſimum Chronicon Gaſpari Schützii, cum actis in Pruſſiâ publicis, fide Archivi, ex quo ille hiſtoriam ſuam probavit, ad tempora noſtra continuaretur: Sedulus hic Lengnichius, ex gratiâ Magiſtratus Gedanenſis ſcriniis apertis, quodammodò implere cœpit; ità ut lingvâ patriâ, quotquot in illo Archivo exquiſivit, publica in conventibus Statuum iſtius Pruſſiæ Occidentalis acta, additis ipſius documentorum, quorum mentionem fecit, apographis, Tomo hoc primo ab Anno 1526. cum quo Schützius finivit, congeſſerit, ulterioris continuationis eorundem actorum, usque ad finem imperii Johannis III. Regis nempe 1696. ſpem faciens.

Enimverò, quia ſcopus Authoris hujus, non ultrà exhibitionem ex archivo Gedanenſi actorum comitialium Pruſſiæ Occidentalis, ſeſe extendit, cæteris ferè omnibus rebus geſtis & toleratis, ſingularum civitatum & diſtrictuum omiſſis, multis quoque circumſtantiis & narrationibus benè ad evidentiam actionum vel paſſionum circa rem publicam neceſſariis, ſedulò an ex defectu archivi ſuppreſſis; Annalium vel Hiſtoriæ juſtæ titulum, qualem Schützii Opus Chronicum ampliſſimè, nullam verò inſignis nævi cenſuram meruit, non ambiviſſe nequè adeptum eſſe patet. Nihilominùs ad memoriam, & deductiones Jurium antiquorum Pruſſiæ univerſæ, utilis hic labor, magnam gratiam ab omnibus actorum publicorum indagatoribus, usque ad ſeram poſteritatem Authori, modo propoſitum laborem & Tomos ad finem exegerit, parat.

Legent quippe poſteri, quantùm Majores ipſorum, tyrannidem Cruciferorum fugientes, pro conſervandis libertatibus & privilegiis antiquis, & à Rege Caſimiro III. circa ſpontaneam deditionem Pruſſiæ ſibi pactis, laboraverint; Quibus gradibus Regnicolæ, continua præjudicia prærogativis Pruſſiæ, Re-

Digitized by Google

Reges ad inclinandam imò convellendam fidem Pruſſis juratam impellentes, inflixerint; Jura cardinalia, indigenatus, teloniorum, ærarii, & ſeorſivæ à Regno Poloniæ Oeconomiæ provincialis, Conſiliorum Publicorum, & Judiciorum ſeparatam intra Provinciam facultatem, tamdiu tundere & convellere non deſierint, donec antiquis incolis & familiis Nobilibus, per multitudinem è Poloniâ in Pruſſiam, ad poſſeſſiones bonorum, dignitatum, & beneficiorum Eccleſiaſticorum ſeculariumque, introductam, oppreſſis, jura, lingva, mores, quibus olim conſilia publica ſine tumultu, ſine proteſtationum rupturis, ſub directione & ductu Senatus, auſpiciis Regis, mutuâ fraternâ charitate, ſine contemptu Civitatenſium, ſine violentiis potentum, tranſacta fuere, immutarentur; Denique voti ſui compotes Poloni, per unionem Nobilium cum Comitiis & Tribunalibus Regni, facti, omni formâ antiquâ Reipublicæ Prutenicæ inverſa, ex provinciâ merè Germanica, merè transformaverint Polonicam, paucisſimis intactis articulis in commodum ſuum relictis; qui antiquæ formæ & libertatis ſceleton vel ſimulacrum, & deſtructæ antiquæ Pruſſiæ, â jugo Cruciferorum ſpe melioris fortunæ, immenſo labore & ſangvine incolarum liberatæ, rudera poſteris oſtendent.

# PRUTENICI SCRIPTORES IN QUARTO.

## I.

PETRI DE DUSBURG, Ordinis Teutonici Sacerdotis *Chronicon Pruſſiæ*, ab origine hujus Ordinis, Anno videlicet 1190. usque ad Annum 1326. cum Anonymi cujusdam continuatione, usque ad Annum 1433. quod Hart-



Digitized by Google

knochius Hiſtorico-Maſtix noſter, cum diligentiſſimis edidit animadverſionibus ſuis, Francof. & Lipſiæ Anno 1679.

In hoc Chronico notari meretur, quod Dusburgius pag. 10. fateatur: *Se nullum ſcriptum de geſtis Cruciferorum in Pruſſiâ, ex quo proficere potuiſſet, inveniſſe, ſed ex relationibus hominum fide dignorum, & quæ ipſe viderit, connotaſſe.* Propterea Hartknochius non injuſte auſus, ex certioribus documentis quædam in illo corrigere. Enimverò hæc Dusburgii verba, mihi non ita accipienda, prout ſonant, videntur. Prologum certè de origine Ordinis, â pag. 13. usque ad pag. 20. ferè verbotenùs ex Præfatione Regulæ Ordinis exſcripſit, interſparſis tantùm & amplificatis dictis S. Scripturæ. Deinde Grunau Tr. 11. Cap. 5. ex eo Henneberger pag. 408. & ipſe Hartknoch pag. 303. Vet. & Novæ Pruſſiæ, referunt. *Tempore Winrici de Kniprode, Mag. Gener. circà Annum 1352. Annales Ordinis, ſuper damnis â Samogitis hactenùs acceptis, evolutos fuiſſe, qui cæſorum numerum in bellis 85. annorum cum illis populis, exactè Magiſtro ediderint. Quam computationem iterùm Conradus â Jungingen, circà Annum 1400. ex regeſtris Ærarii publici Ordinis inſtitui juſſit. Quod ex Grunavii Tr. 14. Cap. 6. Henneberger pag. 411. iterùm tradit.*

Undè veroſimile fit, Ordinem Cruciferorum adeò armis non incubuiſſe, ut damnorum & laborum ſuorum immenſorum annales quosdam breves ſcribere, & in ærario aſſervare neglexerit. Proindè Dusburgius, qui copiam archivi Ordinis habere potuit, de Hiſtoricis & eorum ſcriptis in lucem ante ſe editis, intelligendus, quales nullos de rebus Pruſſiæ Dusburgii tempore extitiſſe facile credimus; Breves tamen connotationes rerum memorabilium in Archivo Ordinis, privatorum quoque Schediaſmata quædam, qualis fuit Prologus Epiſcopi Paderbornenſis, poſteà Chronico Magiſtrorum præfixus, jam ab ingreſſu

Digitized by Google

ingreſſu Ordinis in Pruſſiam congeſta, & ipſi Dusburgio nota fuiſſe non dubitamus.

Deinde in Dusburgio intolerabilis ſtupiditas, & ſuperſtitioſæ narrationes prodigiorum ac miraculorum offendunt Lectorem; ideò â Matthiâ Strikowskio Oſſoſtovicio, Canonico Samogitiæ in Chron. Lib. 7. c. 2. pag. 297. & ſeqv. quoque perſtringuntur. Præſertim, quod Dusburgius fabulis hujusmodi Ordinis ſui Sanctitati, tanquam ſacro popiſmo adulari, vulgoque majorem venerationem inſpirare voluerit. Quemadmodum Plato ſuperſtitionem non ineptè, adulationem Deorum appellavit.

Porrò Dusburgius juſtè arguendus, quod multa & magna negotia Cruciferorum ante ſe & ſuo quoque ævo geſta, metu offenſionis Papæ vel Magiſtri ſui, cujus cenſuræ hiſtoriam ſuam, nimiùm puſillanimis, in Præfatione ſubmiſit, reticere, quàm veritatem omni ſtudio vel odio procul poſteris tradere maluerit. Par enim lex impoſita eſt Hiſtorico, ne quid veri non audeat, & ne quid falſi audeat dicere. Sic Pomerelliæ & præcipuè Civitatis Gedanenſis occupationem, ab Ordine ſuo ævo violenter factam, indeque enatas Polonorum cauſas irarum tot Annis ardentium, planè præteriit Dusburgius, & plurima intra Pruſſiam quoque geſta.

Nihilominùs, quicquid Chronicorum Pruſſiæ abinde ſcriptum eſt, ex hoc Dusburgio initia ſua mutuarunt Scriptores. Magna verò elucidatio Dusburgio acceſſit, per animadverſiones Hartknochii, quibus ex privilegiis antiquioribus Dusbürgio, falſa correxit, & ex Verſione ejus Carminicâ per Jeroſchinum quondam compoſitâ, item ex Chronico Germanico in 4. mihi Samiliano dicto, mutila reſtituit, ita ut Dusburgii hiſpida & inepta hiſtoria absque faſtidio jam legi poſſit.

Perduxit Dusburgius Chronicon ſuum usque ad Annum 1326. Ordine pro Scriptoris aptitudine tolerabili: Ab hoc autem Anno incipiens Continuator Dusburgii, Anonymus Clericus aliquis, magis illo ſtupidus ac æque ſuperſtitioſus, geſta Cruciferorum non ordine, ſed hinc inde, tranſiliens multos annos & ſeriem Magiſtrorum, pauca tantum carpſit, usque ad Annum 1433. quo, vel ſequenti, ipſe Author hujus ſupplementi ſcripſiſſe credendus: Laudat enim in fine, quod cum Legatis ad Cæſarem Sigismundum profectus, reliquias Sanctorum multas Norimbergæ viderit Inducias autem eodem Anno cum Polonis Ordo Cruciferorum pepigerat, quarum cauſâ ad Cæſarem hos ſuos ablegatos miſerat Magiſter.

Cum autem mortis Vladislai Iagellonis Regis, qui ad Varnam cæſus â Turcis, nullam fecerit mentionem, quæ ſequenti Anno 1434. ultimâ Maii contigit, infenſiſſimum huic Regi Scriptorem, non præteriisſe eam ſilentio credendum, niſi ejusdem Anni initio ſcribere & fortè vivere deſiiſſet.

II. CHRONICON PRUTENORUM, *MStum* Germanicum Anonymi, quod Hartknoch in notis ad Dusburgum pag. 239. & paſſim alibi citat, & ex bibliothecâ Ducali Regiomontanâ acceperat, putatque Authorem hujus Chronici, ſub Mag. Generali, Paulo de Ruſſdorff, qui Anno 1422. imperare cœpit, vixiſſe.

Quam opinionem hauſit ex fine exemplaris bibliothecæ Regiomontanæ, cum quo concordat exemplar, quod in bibliothecâ Dominorum Comitum de Dohna Morungii aſſervatum fuit, antequam ſimul cum arce flammis abſumtum eſſet. Ex iſto enim Dohnaviano exemplari Zamelius Conſ. Elb. (cujus librum ego poſſideo) poſt narrationem Anni 1390. quæ ita finit in omnibus: Do ſie ſich verzerten / do lis er ſi ziben / ſich

wie-

Digitized by Google

wieder zu ſtellen / ſo man ſie biſche / propriâ manu adſcripſit: Codex D. D. â Dohna hìc non clauditur, ſed pergit: Im Jore des Herrn mcccxci am Sonntoge *Judica*, ward *Conrad* Wallroode zum xxi Hoemeiſter irkoren / & concludit Codex cum pace perpetuâ, pactâ cum Paulo Ruſſdorff, quæ Annò 1436. cum Vladislao Iagellonide coiit.

Porrò titulus omnium exemplarium hujus Chronici, quæ ego vidi, talis eſt: *Chronica Prutenorum ab Anno* 1190. *usque ad* 1390. & de Donaviano exemplari Zamelius, in Capite hoc idem teſtatur. Cui accedit, quod viderim in Libris Mag. Martini Behmii, tunc Rectoris Mariæburgenſis, exemplar hujus Chronici, literis adhuc Gothicis (quæ vulgò Germanis appellantur Münch-Schrifft) ſcriptum, quod ille è cœnobio Pelplinenſi ex gratiâ Prioris impetraverat; Hoc autographum iisdem verbis, & eodem Anno titulum & finem exprimit, videlicet cum Anno 1390. finiens.

Exindè omni dubio procùl concludo: Primum Authorem cum Anno 1390. Chronicon hoc finiviſſe, ſed Anno 1436. idem Chronicon, Anonymum aliquem cum continuatione ſuâ deſcripſiſſe, Charactere adhuc Gothico, ſed jam Germaniſmo paulum politiori. Nam ex tot Manuſcriptis antiquis didici, initio Seculi XV. usque ad medium, adhùc Gothicis literis, ſed nobis magis intelligibili ſtylo ſcriptum fuiſſe, à medio autem illo Seculo, & character & genus dictionis Germanicæ, ſimul cum Typographiâ tunc inventâ, ex ſqualore ruditatis antiquæ eluctari, noſtrisque ſcripturis propius accedere fortitèr cœpit.

Hoc igitur Chronicon circa Annum 1436. literis & ſtylo adhùc vetuſtioribus deſcriptum, denique â quodam ſcribâ circà Annum 1490. planè utroque, ſtylo nempe &



Digitized by Google

charactere, immutatis apographis nobis relictum eſt: Tale enim eſt, quod a Zamelio poſſideo, geminum in Bibliothecâ Elbingenſi aſſervatur, & paſsim alibi.

Manifeſtò autem hic ultimus non Author ſed Deſcriptor Chronici hujus, fol. 142. ævo ſuo Maximilianum Regem Romanorum appellat, ibi: Der itzt genandte Hertzog Leopold von Oeſterreich / iſt bey unſeren gezeiten gar löblich und ehrlich erhaben / von Biſchöffen und Prelaten / von der Gewalt des H. Vaters des Bapſts / in kegenwärtigkeit des Aller D. Groß M. Förſten und Hn. Hrn. *Maximilian*, Römiſchen Königes. Atqui verò Maximilianus ille I. Anno 1486. demùm Rex Romanorum electus, Anno 1493. poſt obitum Patris Friderici, Imperatoriam dignitatem adeptus.

Ex narratione autem illâ de Leopoldo Auſtriaco, qui in Pruſſiam Anno 1371. Ordini auxilia contra Lituanos adduxerat (quod etiam Schützius lib. 2. fol. 81. b. & alia Chronica noſtra referunt) evidenter patet, quantum poteſtatis ſibi ſcribæ Chronicorum noſtrorum, in deſcribendo ſumpſerint, interſerendi ſua, etiam cum aperto errore. Quomodò enim Leopoldus Auſtriacus, qui expeditionem ſacram in Prusſiam Anno 1371. fecerat, poſt Annum 1486. ſub Rege Romanorum Maximiliano, ætate nempe ſcribæ, honorari potuerit? ipſe deſcribendo quidem Chronicon non perpendit, audacter tamen adſcripſit; Præſertim cum ævo Maximiliani nullus Leopoldus de domo Auſtriacâ vixerit; ille Leopoldus verò è Pruſſiâ redux Anno 1386. ad Sembach ab Helvetiis cum exercitu omni cæſus fuerit.

Quantum ad Hiſtoriam hujus Chronici, rectè Hartknochius in Catalogo Scriptorum, veteri Prusſiæ præfixo, dixit: Authorem hujus Chronici, Dusburgium ferè verbotenùs

Digitized by Google

nòs tranſtuliſſe ex Latino in Germanicum idioma, cum eâ tamen libertate, ut varia negotia intermiſcuerit, neque ordinem Dusburgii perpetuò obſervaverit. Ubi verò Dusburgius deſiit, nempe Anno 1326. ex aliis monumentis & ſcriptis, multa hic Author à Continuatore Dusburgii omiſſa ſupplevit, ita ut hic magis titulum Continuatoris Dusburgii meruerit, quàm ille. Aliorum verò ſcriptorum Annalium Copiam hunc Authorem habuiſſe fol. 137. innuit, ibi: So daß der Orden der Pohlen die Cuya wiedergab / wie oder warumb / weiſen noch auff des Ordens Brieffe zu Marienburg.

Interim M. Martinus Behm in Diſſertationibus ſuis, de Magiſtris Generalibus Ordinis, Thorunii editis, dubio procul, neſcio quibus rationibus adductus, hoc Chronicon, malè titulo Chronici Ordinis allegat. Nam Henneberger, qui Chronica Magiſtrorum & Ordinis ſeparatim, in indice Authorum, item pag. 29. 33. 55. 60. & centies in Explic. tab. Geogr. allegat, pag. 46. famoſam illam Nobilis Pomeſani converſi ad fidem, Samile appellati, hiſtoriam, non Elbingæ, prout hocce noſtrum Chronicon fol. 90. habet, ſed Chriſtburgi contigiſſe (Ita etiam Dusburgius pag. 238. & ex eo Schützius fol. 90.) refert, eamque ex Chronico Ordinis probat. Idem Henneberger pag. 60. narrans, quod poſt diſceſſum Gedanenſium de obſidione Mariæburgi, Anno 1454. Henricus de Plauen Commendator, ad defenſionem Choinitiæ feſtinaverit cum centum equitibus, allegat die Ordens-*Chronica*. Atqui verò hocce noſtrum Chronicon eousque non pertingit, ſed cum Anno 1390. denique à Continuatore usque ad Annum 1436. finit. Porrò Caſparus Schutze fol. 208. b. in narratione interfectorum Cruciferorum in prælio ad Choinitiam, quod Anno 1454. contigit, citat die Ordens-*Chronica*. Sed hocce noſtrum diu ante finit. Unde

Digitized by Google

Undè ſatis probatur, neque hocce noſtrum, neque ſuperiùs in folio recenſum Chronicon cùm Prologo Paderbornenſi, titulum Chronici Ordinis habere poſſe; Quale autem fuerit Chronicon, quod Henneberger & alii, Ordinis appellarunt, non divinabo. Certè Nauclerus in Chronico Generat. 41. pag. 926, narrans Ordinis Teutonici initia, ita claudit: *Hæc ſecundùm Chronicam Ordinis.* Quià verò ibidem ferè ipſa verba Dusburgii compendioſe refert, conjicio, ipſum pluresque alios Hiſtoricos, pro Ordinis Chronico accepiſſe Dusburgium. Quæ tamen Hennebergerus itidem diſtingvit, utut nusquàm Dusburgium, ſed interpretem ejus Jeroſchinum ſemper allegaverit.

Quandoquidem igitur hoc Chronicon Authoris ſui nomen non habet, & Hartknochius in notis ad Dusburg. pag. 274. in gratiam Zamelii (qui ex hoc Chronico genus ſuum â Samili pagano, Nobili Pomeſano, ad fidem converſo, ridiculâ ambitione Nobilitatis ex ſimilitudine nominis effinxit, & pretioſius auro jactavit) appellavit Chronicon Zamelii, ideò in poſterùm Samilianum Chronicon hoc appellare mihi vitio nemo vertet.

In fine hujus Chronici Zamelius, ex codice Donaviano, adſcripſit bullas & Privilegia, cum indulgentiis Societatis S. Antonii Monachis data. Quæ utique â deſcribente aliquo, longo tempore poſt adjecta ſunt: Finit enim hæc excerpta cum Privilegio, Societati huic S. Antonii ab Epiſcopo Lucâ Anno 1505. in ſuâ Diœceſi, ſuper fundatione Monaſterii dato. Quomodò autem Lucæ Succeſſor Fabianus Epiſcopus, impudentes ſocios hos S. Antonii, pro porcis indulgentias plebi venum exponentes, & more porcorum ſui gregis, luxurioſam brutamque vitam agentes exſtirpaverit, Treterus de Epiſcopis Varmienſibus pag. 71. narrat.

III. JO-

Digitized by Google

III. JOANNES MÆLETIUS, Archipresbyter Lüccenſis in Pruſſiâ Orientali, Anno 1553. libellum, vel potiùs epiſtolam ad D. Georgium Sabinum, Rectorem Academiæ Regiomontanæ *de ſacrificiis & idololatriâ veterum Pruſſorum, Livonum, aliarumque vicinarum gentium ſcripſerat*, quam idem Sabinus tunc typis excudi curavit. Hanc filius Hieronymus Mæletius Anno 1563. denuò Regiomonti typis, prout hìc â me recenſetur, vulgavit. Cæterùm quæcunque Mæletius ille, in viciniâ reliquiarum antiquæ gentis Prutenicæ degens, ipſe adhùc ſuo ævo viderat, aut fando ab aliis acceperat, in hoc libello congeſta, diligens noſter Hartknochius, in volumine de Veteri Pruſſiâ, & in Diſſertationibus ſedulò excerpſit, trutinavit, & in uſum vertit; idcircò plura de eo libello hìc dicere non attinet.

IV. WOLFFGANGUS DIETMARUS, Typographus Elbingenſis, Compendium Chronici Prutenici, â Mag. Georgio Ranis compilatum, nactus, Anno 1564. titulo: **Kurtzer Auszug der Ankunfft/ Regierung und Leben aller Hoemeiſter des Deutſchen Ordens in Preuſſen**/ typis ſuis excudit, idque Stanislao de Sislaw, Epiſcopo Culmenſi, dedicavit.

Authorem verum Chronici hujus eſſe Mag. Raniſium, Hennebergerus in lib. **Kurtze Beſchreibung des Landes Preuſſen**/ fol. 1. b. nos docet; ubi negligentiam Typographi, in edendo hoc libello, & quod Daubmannus hunc ſequutus ſit, perſtringit. Sed lectori magis Authoris ipſius ſupina negligentia, in notandis temporibus, in deſcribendis autem rebus geſtis & regionibus Prutenicis, ruſticitas faſtidium facit. Nihilominùs Daubmannum, Waiſſelium, & alios credulos habuit imitatores.



Digitized by Google

V. JOHANNES DAUBMANN Typographus Regiomontanus, Elbingenſem Dietmarum æmulatus, perindè ineptum & rude compendium Anno 1567. Kurtzer Auszug der Preuſchen CHRONIKEN, typis ſuis expreſſit. In hoc libello, ſuppreſſo nomine Compilatoris, breviſſimè origines & limites Pruſſiæ, Ordinis Teutonici initia, & progreſſus ſub ſingulis Magiſtris narrat, fabulas Grunavii & aliorum audacter recitat, nec ultra vulgus noſtrorum Chronicariorum quicquam ſapit & affert: quapropter jam ab Hennebergero juſtè correptus, & in ejus Libello mox ſequenti correctus fuit.

VI. CHRISTOPHORI FALCONII, Ludimagiſtri cujusdam Miſnenſis, Lob-Spruch und Beſchreibung der Königlichen Stadt Elbing in Preuſſen / ſamt ihrer umbliegenden Landſchafft / verſu Germanico Knipelhardico, Anno 1565. typis Regiomontanis excuſus libellus. Qui de inepto & agreſti ingenio Authoris teſtatur, Hiſtoriæ penitus non prodeſt, & ad alias hujusmodi quisquilias vulgi, qui hiſtoriam illo ævo tractare auſus fuit, pertinet. Congeſſit hic Falconius Chronicon, quod Henneberger in explicatione tab. Geogr. inter Authores ex quibus profecit, & paſſim in illo opere ita allegat: Elbinger Chronika anderer Theil *Falconii.* Quod mihi nusquam viſum, ſed ex aliquot locis Hennebergeri, atque hac primâ parte ligatâ, cujus farinæ fuerit, facile conjicitur.

VII. JOHANNES HASENTOEDTER, Regiomontanus, typis edidit Anno 1569. Regiomonti, verſu Germ. admodùm rudi & agreſti (quem ille tamen artlicher reimen titulo, ut ſimia fœtum ſuum, amavit) *Chronicon ſuccinctum rerum præcipuarum, ab orbe condito usque ad eundem Annum geſtarum.* Et quoniam ſemper Pruſſiæ hiſtoriam, à tempore Ordinis interſerit, ideò ab Hennebergero & aliis, inter Chronica

Pru-

Prutenica allegatur: licet cum vulgo ſæpiſſimè in Chronologiâ lapſus ſit, res autem geſtas, Magiſtorumque ſucceſſiones, ſummo tantum indice attigerit. Dedicavit Opuſculum Magiſtratui Gedanenſi: Et Civitati elogium ſub inſignibus poſuit, quod hoc verſu non minus vero quàm bono, atque Germanico ſuo, ſtridulo & anxio teneſmo excreto, carmini, perdiſſimili, claudit.

*Tu* (Polonia) *ſecura tuis facis otia civibus: Illa*
*Urbs eſt Imperii vera corona tui.*

VIII. **Landes-Ordnung des Herzogthums Preuſſen/ auff dem** *Anno* 1577. **in Königsberg gehaltenen Land-Tage beliebet und angenommen** / cum edicto promulgatorio Ducis Alberti Friderici, typis impreſſa. Ordinatio hæc provincialis anteriorum Ordinationum Pruſſiæ, & proximè ab Alberto Seniore Duce publicatæ, repetitio & amplificatio eſt, tam in caſibus qui ad politiam & mores, quàm qui ad forenſes cauſas & criminum pœnas pertinent. Quot autem & quibus de cauſis Ordinationes tales in Pruſſiâ, ab ipſo ingreſſu Ordinis Teutonici, ac quo tempore ſancitæ & promulgatæ fuerint, usque ad ultimam Anno 1640. omnium pleniſſimam, ſuperius in Libris in Folio No. XI. ſatis dictum eſt.

Hoc ſolùm hìc addo, dignas eſſe omnes ex Chronicis Prutenicis allegatas, vel in formâ minori typis expreſſas Ordinationes Pruſſiæ, ut poſteritati conſerventur, propterea ut ſciat, ex quibus fontibus jura noſtra in utraque Pruſſiâ, uno abhinc ſeculo, in aliam penitus & ampliorem formam transfuſa, originem ſuam traxerint.

Annexa eſt huic volumini quoque Ordinatio ſummi Dicaſterii Pruſſiæ Orientalis, Anno 1578. â Duce Curatore, Georgio Friderico, promulgata, & typis publicata: Quâ, ſicut



Digitized by Google

in edicto præfixo dicitur, antiqua Ordinatio tantùm manuſcripta, amplificata, correcta, & typis primâ vice expreſſa eſt. Sed ſub ejusdem Ducis nomine, hæc eadem ſecundâ vice amplior & correctior Anno 1583. iterùm typis publicata fuit: utramque hìc exhibeo.

Notatu digna in hac Ordinatione occurrunt: Quod Quatuor Regentes ſupremi, cum Octo Aſſeſſoribus Judicii Aulici des Hoffgerichts / unum idemque Collegium tunc effecerint, quod nunc diviſum eſt. (2) Profeſſores Juris Ordinarii, Academiæ Regiomontanæ, non niſi ad Caſus difficiles & extraordinarios, hâc Ordinatione obligati fuerint, ad deliberationes cauſarum dijudicandarum, huic Dicaſterio vocati intereſſe, cætera lectionibus Juris & erudiendis Studioſis Juris vacare, neque â munere hoc avocari. (3) Quod Art. 12. expreſſè appellationum ſumma inſtantia, intra provinciam, in ſummo hoc ſubſellio Aulico aſſignata, & omnis ulterior evocatio extra Pruſſiam, tanquam antiquo Cardinali Juri contraria, prohibita fuerit. Et hoc punctum, in ultima editione hujus Ordinationis, Anno 1583. Art. 14. repetitum, expreſſè provocationes ab hoc Dicaſterio ad Regem Poloniæ prohibuit, vid. Hartknoch Neu-Preuſſen pag. 596.

Unde ſatis conſtat, appellationem ulteriorem extra Pruſſiam, Reges Sigismundos I. & II. quam Civitatibus Pruſſiæ Polonicæ vi, non jure & more antiquo, extorſerant, â Ducibus quoque Pruſſiæ Orientalis, præter antiqua pacta & infeudationum formas, ſæpè requiſiviſſe, ſed nunquam obtinuiſſe: Donec Sigismundus III. Rex Poloniæ, Anno 1605. in pactis cum Joachimo Friderico, Electore, inter aliquot novas conditiones feudales, etiam appellationem in cauſis ultra quingentos florenos expreſſiſſet, quam demum Anno 1612.

Ele-

Digitized by Google

Elector Johannes Sigismundus, circà realem immiſſionem in poſſeſſionem Pruſſiæ, adimplere coactus fuit. Sed Anno 1657. in pactis Bydgoſtienſibus, ſimul cum cæteris vinculis feudalibus ſublata eſt.

IX. DIONYSII RUNAU, Dirſavienſis, ***Hiſtoria belli illius horrendi tredecennalis***, ab Anno 1454. ad Annum 1466. inter Cruciferos, & eis renunciantes obſequium Ordines Pruſſiæ, atque Regem Poloniæ, lingvâ patriâ, edita typis Wittebergæ Anno 1582. Cum ***Appendice belli biennalis*** Alberti, ultimi Magiſtri Generalis Cruciferorum, cum avunculo, Sigiſmundo Primo, Rege Poloniæ, ab Anno 1520. usque 1522. geſti. ***Breviſſimâ quoque Continuatione rerum Prutenicarum***, usque ad obitum iſtius Alberti Ducis, Annum videlicet 1566. Item ***Indice oppidorum & arcium***, quo Anno quæque exſtructa fuerint, aucta.

Author hiſtoriam hanc ex manuſcriptis probatiſſimis collegit, & cum deſcriptione ejusdem magni belli, quam Gaſparus Schützius, ex Schediaſmate Johannis Lindau, Secretarii Gedanenſis, ocularis ejus belli teſtis, qui multis negotiis interfuerat, Chronico ſuo Magno inſeruit, in pleriſque congruit. Waiſſelius certè in Chronico ſuo hunc Runavium, ſine appellatione nominis ejus, verbotenùs exſcripſit.

Notari meretur, quod Runau in fine Opuſculi veroſimiliter refert: Videlicet per tredecennale illud bellum maximum in Pruſſiâ, utrinque violentâ morte cecidiſſe 264598. Virorum militarium, civium & agreſtium: Pecuniæ utrinque collatæ & in exercitus expenſæ ſummam init, â Rege Poloniæ & Ordine Teutonico 15. millionum & trecentorum millium florenorum aureorum Hungar. Item â tribus majoribus, Gedano, Thorunio & Elbingâ, tum & cæteris minoribus civitatibus contributi argenti, unum milliônem, quadringenta ſeptuaginta ſex millia



Digitized by Google

& trecenta quinquaginta tria marcarum. Quæ ſumma, ſi ſupponamus ſecundùm Conſtitutionem Regni Poloniæ Anno 1496. ducatum aureum tunc vix 30. groſſos, Marcam verò 20. groſſos valuiſſe, ferè unum quoque Millionem aureorum florenorum effecit. Eæ omnes ſimul computatæ ſummæ, ferè ſexdecim cum dimidio milliones aureorum faciunt.

Idem porrò refert, ante illud ferale bellum in Pruſſiâ univerſa, viginti unum millia pagorum incolis benè habitatorum numerata, ſed finito bello tantùm ter mille & tredecim pagos ſalvos ſuperfuiſſe, cæteros igne conſumptos & everſos: Undè ipſe rectè deducit cauſam, quare ad hanc usque diem multa millia manſorum olìm fertilium agrorum (quod ſulci, qui formam eorum referunt, teſtantur) nunc altis confertisque nemoribus & ſylvis occupata jaceant.

X. BALTHASARIS RUSSAU, Revalienſis Eccleſiaſtæ, *Chronica* der Prowintʒ Liefflandt / von Erſindung deſſelben durch die Chriſtliche Bremer Kauff-Leute Anno 1158. bis in das 1577. lingvâ Pomeranicâ, ſive inferiori Saxoniæ & maris Baltici atque Germanici accolis familiari, deſcripta, & typis Roſtochienſibus impreſſa Anno 1578. Quia Livonia ſub eodem Ordinis Teutonici Imperio, quo Pruſſia olim fuit, proindè Prutenicâ negotia in hiſtoriâ ſuâ plurima ſecum trahit: idcircò non ineptè hoc Chronicon Prutenicis Scriptoribus annumeratur.

Cæterùm ſtylo quidem ſimplici & rudi, judicio autem & ſelectu rerum bono, veritate quoque ingenuâ hæc hiſtoria compoſita eſt, usque adeò, ut quicquid alii de rebus & originibus Livonicis diffuſius narrant, ex hoc compendio Ruſſovii, tanquam veriore fonte hauſerint; certè unanimes ad eum provocant.



Digitized by Google

XI. DECLARATIO VERA, quibus de cauſis Ordines Civitatis Gedanenſis cum Rege Stephano in controverſiam pertracti ſint; Juſſu Magiſtratus Anno 1577. typis Latinis & Germanicis edita. Huic editioni Germanicæ diarium, quid quoque die in hoc bello ad Gedanum utrinque actum ſit, adjectum, usque ad Annum 1579.

Cæterùm vera hujus belli cauſa huc recidit. Quod cum ultimis annis Imperii Regis Sigiſmundi Auguſti, ſub quo Magnatibus Poloniæ (qui eminentibus Pruſſiæ libertatibus & juribus ab ipſo primordio incorporationis, iniqui fuere) nimiùm licuit, magna præſertim Gedanenſibus inflicta fuiſſent præjudicia: In cæteris per extorſionem portorii, prætextu ſupremi dominii Regis in portum & litora Gedanenſia: Item per imminutionem Regiminis in civitate, quo hactenùs Magiſtratus uſus fuerat, taliaque publicis decretis Commiſſionis Regiæ (cujus caput Karnkovius, Epiſcopus Vladiſlavienſis, civitati incondito zelo ſuæ Religionis infenſiſſimus fuit) abjudicata, mox ſequutis Comitiis Regni, ſtudio Senatus laudata & confirmata, transactio autem de portorio cum Commiſſariis inita penitùs in odium damnumque Gedani inverſa: Mortuo intereà Rege, Gedanenſes in ſpem erecti fuerint, hæc & alia gravamina ſua â futuro dominante corrigi poſſe & debere.

Porrò ſub interregno & ſequuto Henrici breviſſimo imperio, ob diffidentiam, â Principe Gallo Civitati Germanicæ, tantopere obſtante Regni Senatu ipſo, optimè cupi poſſe, nihil actum. Sed mox interregno poſt Henrici diſceſſum publicato, Gedanum in æſtu ſciſſionis publicæ magis de ſuâ ſalute conſulere, & quod omnibus Ordinibus, imò ſingulis ad electionem Regis in Poloniâ pertinentibus, honeſtum & liberum eſſe conſvevit, cum eâ parte Reip. quæ ad domum

Auſtri-

Digitized by Google

Auſtriacam inclinavit, communicavit, & à futuro regnante abrogationem præjudiciorum ſuorum ſperavit & ſpopondit. Certè hâc ſpe plena Civitas, etiam tunc, cum jam ob tarditatem Aulæ Cæſareæ pars, quæ cum Stephano Bathoreo, montibus Tranſſylvaniæ celeriter ſuperatis, Coronam ferè citius præoccupaverat, quàm Viennæ ſub lentis maxillis Electio Cæſaris trutinata & acceptata, viciſſet, ſeſe non deſeruit, ſed ab Auſtriacis magnis erecta conſiliis, quæ plus reverentiæ quàm virium habuere, tanquam è ſpeculâ eventum proſpexit.

Deindè videns Gedanum, quò res inclinarent, in Conventibus Pruſſiæ Polonicæ, præprimis in Conventu Mevenſi, die 16. Auguſti Anno 1576. querelas de convulſis juribus, privilegiis, & libertatibus ſuis & totius Provinciæ, repetiit, ac ut communi Conſilio, antequàm regnanti futuro (qui in Juramento, quod Regno Poloniæ præſtiterat, plus ſuſpicionis quàm ſecuritatis juribus Pruſſiæ ſignificarat) homagium præſtarent, pro correctione gravaminum univerſorum inſtarent, hortabatur.

Quemadmodùm Anno 1493. iidem Status Pruſiæ Johanni Alberto, Regi, homagium unanimi conſenſu negarant, donec gravamina omnia ſuſtuliſſet, & vulnera provinciæ ſanaſſet. (Schuzius fol. 396. & 398.) Imo Sigismundus I. Rex duobus diplomatibus Anno 1530. & 1537. (quæ inter Jura municipalia Pruſſiæ Polonicæ exhibentur) Statibus Pruſſiæ ſolenniter cavit: Ne filio Sigiſmundo Auguſto, Regi, ullam obedientiam præſtare debeant, antequam Juramentum ſuper conſervatione libertatum Prutenicarum præſtiterit, & poſteà Diploma confirmatorum privilegiorum Pruſſiæ Statibus tradiderit.

Ini-

Digitized by Google

Initio quidem Status Pruſſiæ ſententiam eam Gedanenſium approbarunt, ſed prout fieri ſolet, mox nemo in præcapienda gratiâ novi Regis volens eſſe ultimus, ſeparatim ſinguli Regi promptitudinem, tandem omnes puram ſubjectionem, ſolâ tantùm in literis ad Regem factâ præcuſtoditione Jurium contenti, nullâ â Rege acceptâ cautione fecerunt, eoque ultimum vulnus lethale libertatibus ſuis inflixerunt.

Ita in bonâ & juſtâ cauſa deſerti Gedanenſes, hinc Cæſaris Candidati ſui teporem; mox & mortem, illinc pro amicis & ſociis, pleroſque apud Regem Novum infenſos Conſultores & invidioſos delatores, denique univerſos in aulâ Regiâ irarum incentores, & negotium pacificandæ Civitatis magis faſtu ſuo implicantes, quibus omnibus facem ſuam ſubdidit hoſtilis in eam Civitatem animus Karnkovii, experti. In illas denique prolapſi ſunt anguſtias, ut quoniam ſpe abolendorum omnium gravaminum & præjudiciorum ſuorum exciderant, tamdiu tamen Conſiliis & armis cauſam ſuam tuerentur, donec Rex & Senatus moræ, impenſarum, & damnorum pertæſi, interceſſioni Electorum & Principum vicinorum auſcultarent, & in illum denique Tractatum quem â totius negotii principio Portorii appellant, conſentirent.

Quo pacto quidem multa graviſſima præjudicia civitatis Gedanenſis abolita, commiſſio Karnekoviana, tantoperè inviſa, ſublata, & Jura atque privilegia Secularia & Eccleſiaſtica confirmata: Nihilominùs ipſis Ordinibus Pruſſiæ, & quod mirere civitatibus majoribus cæteris, aut invidiæ ſuæ conſilio, aut metu irarum Regis & Senatus Regni, conniventibus, lethale vulnus libertatibus cardinalibus, præſertim teloniorum, & independentiæ â ſancitis comitialibus Regni, inflictum eſt.

Ab illo etenim tempore, Ordo equeſtris à Civitatibus ſeparatam viam palàm ingreſſus, conſiliis Regni (quod ab anterioribus Regibus ſedulò tentatum, à nullo plenè obtentum erat) jam apertè immiſceri, & Pruſſiam ſuam, Provinciam merè Polonicam ultrò facere cœpit. Indè ſancita Comitiorum, decreta Tribunalitia, Ducum exercitus, & Commiſſionum generalium Regni placita, revereri equeſtris Ordo cogitur. Utque civitates majores, adhuc priſco Status ſui axiomati inhærentes, ad idem redigantur jugum, connivet, imò multi peroptant. Certè proteſtationes, ſupplicationes, lauda Ordinum, ſua mala ſerò ſentientium, adverſus præjudicia ſemper aucta, parùm hactenùs valuere, cum ipſo facto conjunctio Equeſtris Ordinis cum Comitiis & Tribunali Regni, contrarium omnibus juribus & privilegiis antiquis produxerit effectum, cui tollendo jam voces & ſcripta gravamina non ſufficiunt.

Quicquid autem invidia & inductus Poloniſmus, converſionis tantæ cauſa, adverſus civitates, præſertim Gedanenſem, de faſtu Magiſtratus, ad abſolutam poteſtatem poſt exactos Cruciferos aſpirantis, item de avaritiâ civium, quâ cum injuriâ Polonorum Nobilium locupletantur, verè an falſo olim, nunc certè poſt tot mala quibus exhauſti ſunt, ineptè obiecerit, hoc nihilominùs, qui ſapiunt fateri coguntur; nec à principio ullam civitatem, imò nec omnes Status ſimul, ad Pruſſiæ hujus libertatem cum Poloniæ Regno conſtruendam, plus contuliſſe, neque adhucdùm ad ſuſtinendum ſimulacrum libertatis plus facere poſſe & velle, quàm unicum Gedanum (de quo nonnulla in Cromeri lib. 24. pag. 354. 357. 362. & 395. legi poſſunt) & poſt illud Elbingam.

Quas civitates propterea Reges Poloniæ, regno ſuo benè cupientes, unico hoc facto Stephani, violentis infenſorum

non-

Digitized by Google

nonnullorum, præſertim Epiſcopi Karnkovii conſiliis abrepti, excepto, admodùm adverſus inimicos quosvis protexerunt, & beneficiis ſuis foverunt, ne internis vexationibus debilitata Gedanenſis civitas, aliquàndò externo hoſti facilè ſuccumbat providentes, magnam Regni ruinam ſecum tractura. Quod omnes prudentes Poloni, quos innata adverſus benè ordinatas civitates non excœcat invidia, benè intelligunt & profitentur.

XII. GASPARUS HENNEBERGER, Miniſter tunc Eccleſiæ in Mülhauſen Natangiæ vico, primus ille diligens collector Scriptorum Hiſtoriæ Prutenicæ (qui utut non eousque pertigit quò Hartknochius, glaciem tamen ſuâ diligentiâ fregit) ex Dusburgio, ſeu potius ipſius translatore Jeroſchino, Chronico Magiſtrorum, & Grunavio, collectanea ſua, maximè circà deſcriptionem & diviſionem provinciarum Pruſſiæ, item mores & ritus antiquorum incolarum Anno 1584. Regiomonti typis edidit tali titulo: **Kurtze und wahrhafftige Beſchreibung des Landes zu Preuſſen.** Cui adjunxit libellum. **Kurtze und einfältige Beſchreibung aller Hoemeiſter deutſchen Ordens.**

In quo Daubmanni & aliorum Chronica, admodum in Chronologiâ falſa, feliciter correxit, prout illud in Præfatione hujus poſterioris libelli profeſſus eſt. Et ante finem dum Magiſtros provinciales recenſet, diligentiam Pauli Pole, Diaconi Regiomontani (cujus Chronicon MSptum in curiâ Palæopolitanâ adhuc aſſervatum viſitur) quâ multum profecit, luculenter laudat.

In cæteris erroribus Chronicis, Magiſtrorum Generalium annos, ab anterioribus neglectos reſtituit; & Sudaviæ antiquæ potentisque olim Provinciæ Prutenicæ, verum ſitum invenit. In eo lapſus, quod Grunovii Monachi oſcitanter & ſine judicio



Digitized by Google

ex quiſquiliis vulgi corraſas fabulas, ſequutus, ſæpiſſimè lectorem offendat.

XIII. MATTHÆI WAISELII, Bartenſteinenſis, Eccleſiaſtæ Langheimenſis, *Chronica* Alter Preuſcher / Lifländiſcher und Curländiſcher Hiſtorien / Regiom. typis Anno 1599. impreſſa.

Hartknochius hunc Authorem arguit, quod verbotenùs Chronicon Ordinis exſcripſerit, & ex aliis quædam absque Judicio interſparſerit. Debuit dicere non Ordinis ſed Magiſtrorum Chronicon, quæ Hartknochius confundit, diverſa tamen eſſe ſuprà in folio No. 1. deductum eſt. Verum quidem eſt, Waiſſelium ipſa verba der Hoemeiſter-*Chronica* in multis locis retinuiſſe, & ex aliis quædam adjeciſſe, ſed in nonnullis quoque interpolaſſe, & tempora non ſemper aptè correxiſſe. Nihilominùs in farragine ineptiſſimorum exſcriptorum noſtrorum, Waiſſelius mihi laudandus non corripiendus videtur, quod rariſſimis jam exemplaribus Manuſcriptis, antiquorum Chronicorum reliquiis, ea quorum copiam habuit, nobis typis expreſſa conſervare curam ſumpſerit.

Præthereà hoc ipſum quod fecit, in Præfatione faſſus eſt: So habe ich aus etlichen / ſo ich für die beſten angeſehen / ſo viel möglich / das fürnemſte und nöthigſte herausgezogen / in Ordnung gebracht / und faſt dieſelben Worte / oder den alten ſtylum, wie ichs gefunden / behalten / und nichts von dem meinen dazu geſetzet / der Hoffnung / es ſolle vielen damit gedienet ſeyn.

Juſtius eundem hunc Waiſſelium arguo, quod nomina Chronicorum quæ exſcripſit (exceptis quæ in Præfat. & quod ex Prologo Paderbornenſi allegavit, usque ad fol. 27.) planè ſilentio prætereierit, quod ſummæ negligentiæ notam, & lectori antiqua teſtimonia cupienti, deſiderium facit.

Quod

Digitized by Google

Quod autem eidem Hartknochius exprobrat: *melius feciſſet, ſi Chronicon antiquum illud quod concidit, continuo opere typis publicaſſet, & ex aliis aut ſua quæ habuit, continuatione adjeciſſet.* Hoc juſtè non Waiſſelio ſolùm, ſed omnibus hujusmodi exſcriptoribus compendiatoribus objiciendum & ægrè habendum eſt. Ita enim vetera MSpta non intercideſent, & nova ſimul hiſtoriam ſupplerent.

Laudo tamen Waiſſelium, quod Leges & Ordinationes Magiſtrorum Pruſſiæ antiquas, plures quàm alii omnes, excepto Schützio, nobis conſervarit, imò nonnullas pleniùs & exactiùs quam ipſe Schützius deſcripſerit.

Sed iterùm arguo, quod tam amplo rubro, **Alter Preuſchen-Lieff-und Curländiſcher** *Hiſtorien*, in nigro multum detraxerit fidei. Prutenica ſiquidem ſatis compendioſè, Livonica parcè enarrat, Curonica planè vix attigit. In originibus quoque Pruſſicis, judicium & Hiſtoriæ extraneæ, ad convenientiam Chronologicam tantopere neceſſariæ, notitia deſideratur Waiſſelii, imò ipſius memoria. Namque fol. 14. b. cum Eraſmo Stellâ, Schwezam Caſtrum, à Suecis contrà Pruſſos, Germanis auxiliantibus, antiquiſſimis ſeculis exſtructum fuiſſe, fingit. Sed fol. 70. ex Chronicis noſtris veriùs narrat, Ducem Pomerelliæ, Sventopelcum, arcem hanc contra Cruciferos (quod Anno 1242. accidit) condidiſſe.

In poſitione temporum cum errantibus fortitèr erravit, pauca feliciter correxit, in nonnullis fœdè oſcitavit e. g. In Catalogo Magiſtrorum Generalium, ad calcem libri annexo No. 12. poſuit: Anno. 1302. **Ward Siffried von Feüchtwangen gekoren** (de quo Schutzius & alii multum dubitant, ſed ſecundum Dusburgium Anno 1303. electum fuiſſe cum Hartknochio credo) **hielt das Ampt** 10. **Jahre.** Mox oblitus numerare,



Digitized by Google

pergit: Anno 1309. ward *Carl* Beſſart von Trier gekoren / hielt das Ampt 13. jahre. *Porrò Anno* 1332. ward *Werner* von Urſeln gekoren ꝛc. Nihilominus hoc errore calculi totum Ordinem Magiſtrorum confudit: Additis enim 10. Annis No. 1302, ſequitur, Carolum demùm Anno 1312. electum. His adde 13. Annos, & ſic Werneri electio ad Annum 1325. pervenit, quod & verum eſt, eundemque non (prout Waiſſelius errorem errore alio corrigere voluit) imperaſſe ins dritte / *ſed* ins ſechſte Jahr /, nempe usque ad electionem Luderi.

Ita fol. 105. Principales dignitates & officia Ordinis enarrans, cum Hennebergero, pag. 281. uterque à Simone Grunau ſeductus, craſſè erravit, quod Trapiarium rei monetariæ præponat; Treslerum verò ſeu Theſaurarium illi ſubordinet, ita ut ad Monetarii juſſum è theſauro pecunias expenderit. Quod conſvetudinibus Ordinis, & ipſi ſignificationi Officialium horum, atque moribus gentium adverſatur: Nam Theſaurarii ubique rem monetariam quoque curant. Trapiarius itaque rei veſtiariæ præpoſitus fuit, quod etiam Hartknoch in Notis ad Dusburgium, pag. 361. rectè obſervavit. Dictæ autem Conſvetudines Art. 31. ita diſertis ſcribunt verbis: In des Trappires Ambete geborent di Trapperie / Wapenrocke / Spaldenire / Knilinge / Banen / Wapenhuben / Wapenhenſchen / Gultele / unde ander Kleidere ꝛc.

XIV. JUS CULMENSE ex latinâ Correcturâ Neomarkenſi de Anno 1579. (de quâ ſuprà in fol. No. 19. circa Juris Culmenſis varias editiones & correcturas ſatis dictum eſt) à Paulò Kuszewicz Culmenſi, in Polonicam lingvam translatum & Poſnaniæ Anno 1623. typis editum.

Multum hæc Correctura Juris Culmenſis à cæteris omnibus differt in Ordine Capitum, & definitionibus caſuum ipſis. Nihil-

Digitized by Google

Nihilominùs in oppidis Epiſcopatûs Culmenſis, & aliis civibus Polonicis repletis, propter linguæ cognitionem, ſecundum hoc exemplar hodienùm judicatur.

XV. TRACTATUS ET EPISTOLÆ VARIÆ DE TELONIO MARITIMO, Annis 1637. 1638. & 1639. pro & contra Gedanenſes typis excuſæ. Quæ hoc Ordine in Volumine hoc compactæ (1) *Eliſei Aurimontani ad Dantiscanos, bella & arma circumſpicientes, epiſtola Anno* 1638. (2) *Ad Eliſei Aurimontani epiſtolam reſponſoria*, quæ vanitatem ejus peculiarem exhibet, Anno 1638. (3) *Juſti Patricii ad Eliſei Aurimontani in Dantiscanos epiſtolam brevis reſponſio.* (4) *Zdanie iednego Milosnika Oyczyzney Przyacielowi ſwemu liſtem nie udzielone, o cel Morskich fundacyi, od iakis oſoby w Koronie ſwie zo przez liſt zaleconey.* (5) *Eliseus Aurimontanus defenſus, auctore Johanne Antonio Carniolo*, Anno 1639. (6) *De telonio affectato cujusdam patriæ amantis diſſertatio* Anno 1637. (7) *Rationes contra Telonii marini exactionem, noviter affectatam* Anno 1637. (cujus Author fuiſſe fertur Henricus Frederus Syndicus tunc Gedanenſis) (7) *Informatio de juribus terrarum Pruſſiæ, & Civitatis Gedanenſis, adverſus novam Telonii affectationem*, edita Gedani Anno 1637. (8) *Diſcurſus Neceſſarius, de utilitate Reip. & Regni Poloniæ ex capiendo telonio maritimo* (9) *Refutatio Diſcurſus Neceſſarii, qui Dantiſcanos conviciis laceſſit.* Anno 1638. (10) *Baltiſche* Meer *i. e.* welchem unter beyden Königen/ zu Dennemarck oder Pohlen/ das *Baltiſche* Meer unterworffen iſt/ dem *tractat*, *Diſcurſus neceſſarius* entgegen geſetzet. Anno 1638. (11) *Antimare Balticum, pro Poloniæ Regno aſſertum* Anno 1639. (12) *Information* wegen der Bürger Zulage in Dantzig (13) *Liſt Szlachcica Pruskiego do Obyvvatela W. X. Litevvskiego.* Derſelbe Brieff teutſch. Wegen der Stadt Dan-

Dantzig Bürger-Zulage (14) *Extractum ex actis publicis, de ſigillatione panni Gedanenſium;* Quæ inter Cancellarium Regni Sueciæ, & Status Poloniæ atque Conſulatum Gedanenſem, juxta tenorem pactorum Armiſtitii Anno 1629. intuitu liberi Commercii & defluitationis per Viſtulam; Item pannorum Anglicorum ſignationis (quam ex privilegio durante bello Gedanenſes à Poloniæ Rege obtento præcipuè adverſus Elbingenſes, à Suecis poſſeſſos, urgebant) hinc inde acta fuere.

De quibus omnibus notandum eſt, in Schedis, Epiſtolis & Diſcurſibus hiſce, non omnem materiam teloniorum univerſim tractari, niſi quod ex fervore controvertentium, multa de origine hujus & aliarum libertatum Prutenicarum, interſparſa occurant; ſed occaſione litis, quam Vladislaus IV. Rex Poloniæ, ex ſuſurronum aulicorum conſiliis, Gedanenſibus de libero uſu maris & portus, Anno 1637. movit, & Caſtro Pucenſi munito naves armatas applicuit, quæ ex ſinu illo vicino, ſubeuntia cum mercibus navigia portum Gedanenſem, ad telonium novum cogere cœperunt, unicam hanc præcipuam quæſtionem diſcuſſam eſſe: Scilicet, utrum Rex Poloniæ, obtentu ſummæ juriſdictionis ſuæ in mare, litora & portum Gedanenſem, novum telonium ibi inſtituere, & mercimonia in-vel evecta, præter ea quæ in Civitate, ſecundum Tractatum Portorii â Rege Stephano Anno 1585. pactum pendunt, novis exactionibus onerare poſſit? Quod Gedanenſes tenore generalium Privilegiorum totius Pruſſiæ, & ſpecialium ſuæ Civitati â longiſſimo imò antiquo tempore competentium, jure optimo pernegarunt. Mox à Regibus Daniæ & Sueciæ, Maris Baltici protectionem â multis ſeculis ſibi aſſerentibus, adiuti, rem ad antiquam libertatem commerciorum reduxerunt; præſertim, cum Dani naves armatas Regis Vladislai, ſvaſu

Digitized by Google

ſvaſu & curâ Spiringorum fratrum in ſinu Pucenſi collocatas, ſubmerſiſſent, cæteras ſecum in Daniam abduxiſſent.

Tunc demùm Rex Vladislaus, & qui compendia ſua non jura Pruſſiæ promoverant, â motibus quibus Gedanenſes graviſſimè vexarant, deſiſtere, & civitati, quæ vexas has denique redemerat, ſua jura & libertatem Commerciorum, civilesque collationes pecuniarum in uſum publicum, expreſſis Privilegiis juſtificatas, relinquere coacti ſunt.

XVI. FRIDERICI ZAMELII, Coſ. Elbingenſis, Poëtæ Clariſſimi, *Epigrammatum, Carminum, & Odarum collecti manipuli*, ab Anno 1635. Sequenti decendio partiatim typis editi.

In his copioſam ingenii poëtici elegantiam vir iſte probavit, ſed verbis non rebus utilem. Et licet hiſtoriæ ac antiquitatis Prutenicæ ſtudioſiſſimus fuerit, rariſſimè tamen in hiſce verſibus ſuis veſtigia illius ſtudii impreſſit, ſed gratulationibus Magnatum, & jocis, ac hujusmodi adulatoriis vanitatibus, Poëtarum morem ſervavit. De gemmis tamen circà Elbingam, quam à lacu proximo Druſeno aſſumpto vocabulo, Druſidem ſæpè appellat, non adeò vana cecinit. Ipſe enim adamantes & rubinos, ê rivo agri Elbingenſis extractos & politos ab hæredibus Zamelii accepi, qui proximè Orientales mentiuntur.

In proſâ, quam ſæpè intermiſcuit, obſcurus & propè ineptus eſt: Sicut eundem Zamelium patrem & Gotofredum filium, præter Poëſin, ad nullum negotium publicum natos fuiſſe, hi qui adhuc memoriam ipſorum conſervant, teſtantur. Quod ita ferè amœnis & jocoſis, poëticisque ingeniis accidere ſolet, quaſi ad utramque vitam & ſermonem, qui eſt flumen animi, naturæ vires vix concurrant.



Digitized by Google

XVII. ACTA CONVENTUS ET COLLOQUII CHARITATIVI THORUNIENSIS, Anno 1645. celebrati, ex mandato Regio Varſaviæ Anno 1646. typis edita. Quibus annexa eſt Generalis Confeſſio doctrinæ Eccleſiarum reformatarum, in Regno Poloniæ, M. D. Lituaniæ, & annexis Regno provinciis, in eodem Colloquio exhibita.

Zelus quidem Regis Vladislai IV. ad componenda diſſidia in Religione per Regnum Poloniæ, omni laude dignus fuit: ſed quàm ſterilem operam huic ſaluberrimæ rei navaverit, & quo animo, quibusve obſtinatiſſimè reſervatis, Pontificii Doctores ad Colloquia talia accedant, eventus & acta hujus & tot aliorum conventuum docuerunt. Donec enim Pontifex Romanus, Theologos & Epiſcopos ſuos, à juramento ſubjectionis non abſolvet, Regulamque credendi unicam & ſolam S. Scripturam, ſui ipſius interpretem, non agnoſcet, nulla ſincera cum fidelibus concordia ſperari, nedùm inſcio Papa, ſupremo Romanarum Eccleſiarum omnium arbitro, ab unius Regni Theologis tentari poteſt.

A parte Evangelicorum Anno eodem 1646. Berolini, item alia à Georgio Calixto D. typis edita, acta & relationes hujus Colloqvii Thorunienſis, multa referunt, quæ Theologorum Pontificiorum intentionem, & culpam ſoluti hujus conventus, evidenter arguunt.

XVIII. JUS TERRESTRE NOBILITATIS PRUSSIÆ, Anno 1598. correctum, typis Gedanenſibus, curâ Danielis Patterſonii Latinè, Germanicè, & Polonicè editum Anno 1657. Dictum eſt ſuperiùs in fol. No. 19. quod correcturas Juris Culmenſis Ordines Pruſſiæ Polonicæ Seculo XVI. ſæpius tentarint, ſed impedientibus Nobilibus, qui quotannis

Digitized by Google

tannis ê Poloniâ in Pruſsiam migrantes. (antiquis familiis Germanicis, forte ſpeciali Dei judicio decreſcentibus, multis quoque communem Polonorum ſocietatem fugientibus) nauſeam Juris Germanici, & deſiderium Jurium Polonicorum oſtenderant, unanimi conſenſu Equeſtris & Civitatum Ordinis, Corpus aliquod commune Juris Prutenici, componere nequiverint.

Cum igitur Equeſtris ille Ordo, Anno 1694. in ultimo Conventu Thorunienſi, circa negotium correcturæ Juris Culmenſis palam ſeceſſionem à Civitatibus, & conjunctionem cum Tribunali Regni oſtendiſſet: Civitates quidem primariæ Heſianam, ultimam nempe correcturam receperunt; Nobiles verò omnes aliud ſibi Jus conflarunt, quod in favorabilibus libertates Pruſſiæ retinuit, in cæteris forenſibus quæſtionibus, penè ſemper Polonorum juribus & Conſvetudinibus refertum fuit.

Hoc igitur illud eſt, quod ſub titulo: Juris Terreſtris Nobilitatis Pruſſiæ correcti Sigismundus III. Rex Anno 1598. ad petitionem Ordinis Equeſtris Pruſsiæ Polonicæ, ex Comitiis Generalibus Regni diplomate ſuo confirmavit, additâ clauſulâ hâc ſingulari: *Ut ſecundùm leges, in eâ correcturâ deſcriptas, omnia Equeſtris Ordinis negotia, in quibuscunque judiciorum ſubſelliis, ubivis tam intra quam extra Pruſſiam, poſthàc judicentur & decidantur, in perpetuum ſancimus. Eo ſpecialiter eidem Pruſſiæ Nobilitati reſervato, ut in poſterùm etiam Jura ejusmodi ad praxin duntaxàt judicialem pertinentia, modò id omnium arbitrio, atque imprimis noſtro permiſſu fiat, corrigendi, addendi, vel immutandi, liberam ſemper habeant facultatem.*

Sed pauciſſimis pagellis, ſeptem tantum titulis juris, hoc compendium conſtat (1) nempè de ſucceſſionibus (2) de

 Do-

Digitized by Google

Donationibus & Teſtamentis (3) Tutelis (4) Præſcriptionibus (5) Magiſtratibus & Judiciis (6) Proceſſu in cauſis Civilibus (7) Finibus regundis. Proindè optimam Judicibus, advocatis, & procuratoribus, ſcribisque forenſibus, occaſionem fingendi & interpretandi arctiſſimum textum ex opinionibus ſuis, præbet. Adeò ut in totâ Europâ nullibi magis, ab incertis advocatorum ac ſcribarum opinionibus practicis tractetur juſtitia. More Poloniæ univerſæ, in quâ extrà Cracoviam, Profeſſores Juris ſoli Advocati & Scribæ Cancellariorum ſunt, à quorum oraculo Judices, partes litigantes, & illi, qui jura patriæ addiſcere volunt, pendent. Votumque irritum fuit, quod in Volumine Statutorum Sigismundi I. Regis, Formulæ proceſſus Anni 1523. appenſum legitur: *Sumite nunc laqueum rabulæ; Jam ſcribere dicas, Et cauſas poterit dicere quisque ſuas.* Ipſi autem Nobiles Pruſſiæ Polonicæ de hâc obſcurâ brevitate Juris hujus correcti queruntur. vid. infra in Tract. de Indigenatu, §. 3. ubi Adami Baijerskii ſententia, quâ defectus aliquot Juris hujus perſtrinxit, relegi poteſt.

Simul compactum hìc prætereà recenſeo, JUS MUNICIPALE TERRARUM PRUSSIÆ Anno 1657. Gedani typis Hunefeldianis recuſum. Collectio hæc, ſub titulo tàm amplo, continet tantum Privilegia, Ordinationem generalem, & Confirmationes Jurium & libertatum univerſæ, aut ſoli Polonicæ Pruſſiæ competentia; Videlicet Culmenſe, & à Regibus, Caſimiro III. primo hujus Partis Pruſſiæ Conqueſtore, Johanne Alberto, Sigiſmundo Primo, & Sigiſmundo Auguſto, data vel approbata. Quàm incompleta & manca hæc quoque collectio Jurium ſit, & hiſtoriæ patriæ gnari habent cognitum, & ex ſuprà dictis conſtare poteſt.

XIX.

Digitized by Google

XIX. TRACTATUS ALIQUOT DE JURE INDIGENATUS PRUSSORUM, Latinè vel Polonicè editi, ſcilicet:

(1) *Indigenat Ziemi Pruskiey, przez Jana Werde, Pod-Komòrzego Pomorskiego, Nowskiego Staroſte, novo wydany we Gdanſku* 1647. Quod ſcriptum plerumque in folio expreſſum Thoruuii Anno 1645. viſitur. Sed hoc in 4. auctum eſt objectionum reſolutionibus. Collegit ille Privilegia, Reſcripta, & Reverſales Regum, atque Polonorum Magnatum, qui contra Jus Indigenatûs â Regibus in Pruſſiâ dignitates adepti, & ab Ordinibus Pruſſiæ tandem recepti fuere, incipiens â Privilegio Incorporationis Caſimiri III. Anni 1454. (altiùs enim Jus hoc Indigenatus repetere neſcivit, quod jàm in Cruciferorum Ordinationibus Provincialibus fundatum fuit) usque ad Annum 1637. In ſecundâ parte, ad objectiones Polonorum infenſorum Indigenatui Prutenico, amplè & juſtè reſpondit.

Præfationes quoque hujus Authoris ad lectorem, & præcipuè illa ad Regem Vladislaum IV. notatu digna habent. Appellat Indigenatum auream libertatis portam, quâ indigenis clauſa, Equeſtris Ordo, pane per alienigenas intercepto, inops & ad ſumma Reipubl. negotia in aulâ & in exercitu, invalidus factus, amorem patriæ in propellendo hoſte, vel ſuſtinendis provinciæ oneribus, exercere nequit: Unde tandem, alienigenis malorum Pruſſiæ è longinquo incurioſis, provincia hæc hoſti qualicunque ſuccumbet. Ob abſentiam enim poſſeſſorum opiniorum præfecturaram, cæteros Nobiles cum arendatoribus & paucis illorum famulis, numerum luſtrationis non ſubituros. Item: *Majores*, inquit, *noſtri poſt incorporationem cum Regno, zeloſius indemnitati jurium ſuorum proſpiciendo, ſpecialibus juribus ſuis inſiſtentes, & omnes conſultationes in cauſis Pruſſiæ* ex-



Digitized by Google

*extrà provinciam tractatas irritas facientes, nullatenùs cum Senatu & Conſiliariis Regni juncti conſidere voluerunt, donec acceptâ cautione totius Reipubl. Polonæ, conjunctionem eam Juribus & Immunitatibus terrarum Pruſſiæ nullatenùs præjudicio vel damno futuram, tunc demùm in Comitiis Regni Lublinenſibus Anno* 1570. *ad eam conjunctionem ſeſe adduci paſſi ſunt.*

Porrò opinionem eorum, qui per tot præjudicia â Polonis facta, Jus Indigenatus plane jam amiſſum eſſe Pruſſis objiciunt, refellens, fortiter urget: Cautiones & Reverſales Regum, & eorum Polonorum qui præfecturas aut dignitates in Pruſſiâ Polonicâ indigenis præripuere, fraudi Juri Prutenico non fore. Maximè cum benevolentia Ordinum Pruſſiæ quâ extraneos illos propter eorum merita, ad Epiſcopatus & præfecturas admiſerunt, ipſis præjudicium Jurium creare non debeat. In quem finem Ordines toties Manifeſtationibus ſuis Juri ſuo proſpicientes, ſalvam & integram libertatem ſuam conſervaſſe cenſendi. *Quodſi*, inquit, *Polonis hoc Jus Indigenatus Prutenis, contra tot Privilegia, pacta, cautiones, & promiſſiones Regum, violenter tollere & evertere animus ſit, verendum ne, ſi accaſio pluribus vicinis gentibus & Provinciis, ad Corpus Regni accedendi ſeſe offerret, talis fidei publicæ violatio illis metum & faſtidium Polonæ gentis incuſſura ſit: Et cæteras jam nunc Regno unitas Provincias, præcipuè Lituaniam, dubio procul eandem Juris ſui convulſionem exemplo Pruſſiæ experturas, modò vires regnicolis vim ſuam exequendi adſint.*

Sed ante ea omnia quibus hic Author viriliter pro Jure Indigenatus, in Præfatione ſua ad Regem, depugnat, illud notari quàm maximè meretur, quod ipſe ad Jus Indigenatus, vi etymologicâ, tantùm tales pertinere viros exiſtimet, *qui in & de gente Prutenicâ nati, Officia & Conſilia Provinciæ gerant, & ad*

Digitized by Google

*ad ſubitas neceſſitates Patriæ intra Pruſſiam præſentes degant.* Quæ definitio ſicut mihi videtur veriſſima, ita ab Authore, Johanne Werde, qui ex primæva Prutenicâ Nobilitate forte rariſſimum germen reliquum fuit, de ſe & quàm pauciſſimis aliis prædicari poteſt. Cæteri autem multo plurimi, ex Polonorum gente in Pruſſiam Occidentalem tranſlati, veteribus familiis Nobilibus Germanicæ Originis (quibus Jus illud Indigenatûs antiquitùs â Cruciferis, poſteà â Regibus Poloniæ conceſſum, & pactis juratis firmatum fuit) variis prætextibus exſtirpatis, ſibi hanc definitionem Juris Indigenatûs inique applicant. Eam autem mentem Regum Poloniæ circà hoc Jus fuiſſe, vel una cautio Sigiſmundi I. Anno 1519. in caſu Balinskii docet. Nam ibi exprimitur: *ideò Balinskium illegitimè Caſtellanatu Gedanenſi proviſum eſſe, quod idem non eſſet Indigena neque linguæ Prutenicæ i. e. Germanicæ gnarus.* Niſi quatenus conſenſu & benevolentia antiquæ Nobilitatis, Majores horum (ſed in perniciem provinciæ) admiſſi fuerint. De quæſtione autem hâc alibi, nempe inter Jura Pruſſiæ cardinalia, eorundemque uſum modernum, ex fundamento tractandum erit. Cæterùm hoc ſcriptum Werdæ, bono omine ſequuta eſt eodem Anno 1647. Conſtitutio Comitiorum Regni. Quâ pag. 36. Rex obligatur, ſecundùm Privilegium Incorporationis, vacantia in Pruſſiâ beneficia & dignitates diſtribuere indigenis, ſed proh! pari hactenùs effectu quo tot alia jura & Privilegia, h. e. nullo.

(2) DE INDIGENATU, *ſincera collatio Jurium & Privilegiorum Poloniæ & Pruſſiæ Regiæ Pol. ad ſopienda Statuum diſſidia, Mente bonâ Concordiæ Gratiâ ſcripta*, Anno 1669. Cujus Author ſecundum ultimorum verborum literas initiales, dicitur fuiſſe Michael Behm Cos. Gedanenſis. Hic Polonos Prutenis Occidentalibus Jus Indigenatus invidentes, maximè hoc argu-

Digitized by Google

argumento urget, quod ſimile Jus ſingulis Palatinatibus univerſæ Poloniæ, â tempore Regis Ludovici, Privilegio Anno 1374. magno ſingulorum Palatinatuum commodo, conceſſum & donatum fuerit, nunc autem negligenter habitum â Polonis & Lituanis, (quibus idem competebat) Pruſſos propterea ad ſimilem prodigalitatem & negligentiam jurium, nec allicere, nedùm cogere poſſint. Deindè ſingula Statuta & Pacta Conventa Regum, quorum tenore Poloni in Regni Palatinatibus Jus Indigenatus obtinuerunt, usque ad Michaelis Regis Pacta Conventa Anni 1669. Porrò Privilegia & Diplomata Regum, ſuper Jure Indigenatus Pruſſiæ incolis usque ad ſua tempora conceſſa, enumerat. Et Reverſales Polonorum, dignitates in Pruſſiâ, cum benevolâ admisſione & conſenſu Ordinum, adeptorum, Jus Indigenatûs Prusſis in cæteris caſibus firmare, fulcit verbis Vladislai Jagellonis Anno 1433. ex Herburti Statuto, voce Libertas fol. 266. quibus Rex ipſe, Statibus Regni jura & privilegia, quibus ſubindè in Regis gratiam derogarant, in priorem Statum reducere, redintegrare, confirmare, & reſtaurare in perpetuum voluit.

(3) *Z dotrzimanego Indigenatu Pruskiego dobro poſpolite, z niedotrzymanego uſzczerbek y ruina Provincyi. przez Indigene. Pruskiego Svviatu vvyvviedzona* Anno 1696. i. e. Ex conſervatione Indigenatûs Prutenici, bonum publicum, ex ejusdem Juris imminutione, damnum & ruina provinciæ, mundo deducta, per Indigenam Prutenicum. Author ſcripti eſt Adamus Baijerski Nobilis in Palatinatu Culmenſi. Hic Juris Indigenatus dignitate & utilitate, ab antiquo Romanorum, Anglorum, Hiſpanorum, ipſorumque Polonorum, uſu Pruſſorum denique, principalibus privilegiis brevisſimè deductâ,

Ne-

Digitized by Google

Neceſſitatem juris talis in uſum revocandi, & accuratè huic Provinciæ conſervandi, ex multiplici damno ejus probat.

Quod enim arces, caſtra munita, oppida, Capitaneatus & pagi ruant, civitates etiam Majores deficiant opibus, Conventus Ordinum provinciales, cum ſummo damno Reipubl. irriti toties diſſolvantur, Juſtitiæ adminiſtratio in Palatinatibus & Terreſtribus judiciis rara, indè voces clamantium in cœlum læſarum viduarum, orphanorum, pupillorum, & injuriatorum crebræ, denique ruina Provinciæ adeò evidens ſit, ut non ſolùm hoſti transmarino, ſed qualicunque in Regnum irrupturo (ſicut olìm etiam potentiſſimis hoſtibus potuit) obſiſtere jam non valeat. Hæc mala publica non niſi erepto Juri Indigenatûs tribui poſſe. Nam dùm Senatoriæ dignitates, & præfecturæ ſive Capitaneatus opimiores, aut planè non indigenis, aut non degentibus in Provincia conferuntur, hi de reſtaurandis ſuis arcibus, de fovendis circà libertates commerciorum & braxationum Cereviſiæ oppidorum incolis, de judicandis diebus juridicis caſtrenſibus atque terreſtribus cauſis, de uniendis diſcordium Nobilium animis, ad obtinendas ſicut olìm concordes concluſiones conventuum Provincialium, à Comitiolis diſtrictus ſui abſentes, planè incurioſi tanquam alienigenæ, non publicam ſalutem, ſed privata ſua compendia quærunt, avarè rapiendo proventus, oppidis præjudicando, & miſeros cives atque agricolas ad incitas redigendo.

In quibus præjudiciis eminere, ait, Eccleſiaſticos, qui paſſim in fundis ſuis tabernas & braxatoria erigunt, opifices & negotiatores pro cenſu aliquo fovent, ſic Thorunienſibus & Gedanenſibus, atque cæteris minoribus Civitatibus, commerciorum, braxationis, & opificiorum lucrum, ærario vero publico Acciſas, cum ſummo præjudicio Jurium & Privilegio-



Digitized by Google

rum civium intervertunt. Quibus violentis Eccleſiaſticorum injuſtitiis Epiſcopi non medentur, quia non indigenæ, & Pruſſiæ mala non curant, neque Jura Provinciæ intelligunt.

Ad Polonorum objectiones denique: quod ſicut Prutenis acceſſus pateat ad dignitates & præfecturas Regni, ita Polonis, ex Jure æqualitatis, idem concedere oporteat in Pruſſiâ, reſpondet: Modo Poloni caveant, ſe nulla officia & præfecturas in Pruſſiâ ambire velle, quod de Jure debent; Pruſſos certè libentiſſime Regni terreſtribus officiis & præfecturis renunciaturos. Neque tamen argui poſſe Pruſſos, quaſi Polonos, benè de ſuâ Provinciâ meritos planè excluſerint, contrarium enim tot gentes Nobiles, è Poloniâ in Pruſſiam transplantatas docere.

Enimverò hoc Pruſſos exigere, ut Poloni opes ſuas in Prusſiam inferant; bona malaque cum Prusſis communia experiantur, tunc demùm filiis, benè de Patriâ meritis, Jus Indigenatus relinquant: Indigenas enim non eſſe poſſe laudatos & patriæ acceptos, niſi ex ipſorum Incolatu. Nam ſi quibus Magnatibus, per lauda publica Pruſſorum, Jus Indigenatûs honorarium collatum fuerit, hoc niſi filii per merita paria, acquiſitionem bonorum dignitati ſuæ parium, & habitationem in Prusſia continuarint, iterùm amiſſum eſſe cenſendum: reſpectu enim ſingulari datum hoc Jus, non proprios & veros indigenas, ſed diſpenſatos tantùm, ſub tacitâ conditione migrandi in Provinciam cum familiâ & opibus, facere.

Siquidem naturam Provinciæ hujus, Regni â Maris latere limitaneæ exigere, ut dignitates, officia, & præfecturæ ejus ſemper degentes & præſentes viros habeant. Quodſi Prusſia Regni dextera, â viris magnis Polonis rerum gnaris appellatur, Conſervatio ejus cordi ſit Regnicolis, nec detur oblivioni dextra ipſorum.

Ma-

Digitized by Google

Magnam verò inæqualitatem in eo fore, ſi Regnicolæ Poloni pari cum Pruſſis paſſu ambulent: Quia in Regno ampliſſima & opulentiſſima bona hæreditaria ſunt, quibus Nobiles lautè aluntur; In Pruſſiâ verò præfecturas amplas, hæreditaria bona parva eſſe, proindè ad ſuſtinenda onera patriæ, Indigenis Jure collationis præfecturarum proſpectum eſſe. Non dubitandum vero, Regnicolas tempore belli præfecturas ſuas in Pruſſiâ oblivisci & derelinquere malle, quàm bona ſua hæreditaria in Regno, undè Provincia â Defenſoribus nudata facile hoſti prolabi cogitur.

Quoad igitur Reges indigenis opulentas præfecturas in Pruſſiâ contulerint, conſilia publica ex Authoritate Senatorum optimè concluſa, tenuiorum Nobilium liberos in aulis illorum educatos, ad Regis & Reipubl. miniſteria eruditos, nunc ereptis opimis præfecturis & pane indigenarum per alienigenas, non familias antiquas, non viros aptos ad Rempubl. tractandam, ſed ſubſidia commorandi in Aulâ & in exercitu ad latus Regium (ubi blaterones illi, aſſentationibus ſuis lucrum captant, non meritum habent) deeſſe Pruſſis, qui adhucdum non ſupplantationem in Juribus & libertatibus, ſed reſpectum & conſervationem merentur; Quos magnis præmiis refertos, facile foret magnis animis induiſſe. Et concludit verſu hoc:

*Infelix patria externos ubi purpura veſtit.*
*Atque ubi præcedit dives honore bonum.*

Appendicem idem Author ſcripto huic ſubjunxit Latinam, Juris correcti terrarum Pruſſiæ, de ſucceſſionibus inter fratres & ſorores defenſionem, eodem Anno 1696. impreſſam. Per Jus correctum intelligit, Jus Terreſtre Nobilitatis Pruſſiæ Poloniсæ, de quo proximè antecedente No. 18. dictum eſt. Ex hoc ſcripto præcipuè notandum, quod in principio & in



Digitized by Google

ſine, de interpretatione diverſa Juris correcti queritur Author: *Sententias nimirùm diverſas in Judiciis ex hoc Jure provenire, culpâ Compoſitoris, qui brevitati nimiùm ſtudens, obſcurus factus ſit & perplexus. Propterea unicum & ſaluberrimum remedium, ſi qui ſe gravatos ſentiant, ut ejusdem Juris correcti novam explicationem & correcturam, Authoritate Comitiorum Regni procurent, per quam non ſolùm in Regulis ſucceſſionum, ſed ſimul in omnibus defectibus & perplexitatibus ſatisfiat omnibus: In quibus non poſtremò Titulum de præſcriptionibus augendum putem.*

Deindè quod idem Author proxime ante finem fateatur: Ubi Jus Prutenicum expreſſum deeſſet, tunc demùm ad Jura & praxin Regni Poloniæ Nobilitati recurrendum eſſe. Quo ipſo concedit, Nobilitatem Pruſſiæ Occidentalis totam in mores & Jura Polonorum tranſiiſſe. Secundùm antiqua enim Jura & Privilegia totius Pruſſiæ, ubi defectus fuerit in lege aliquâ, ſi voluerint indigenæ Pruteni non Poloni eſſe, non ad Polonicas (plane à Prutenicis peregrinas) ſed ad Magdeburgenſes, undè Prutenicæ leges originaliter excerptæ ſunt, recurrere deberent.

(4) *Reſpons Indigenie Pruskiemu &c. Kazdemu ſzlachcycowi Polskiemu wiare y prawde Kochajacemu, do przeczytania potrzebny.* h. e. Reſponſum indigenæ Pruſſo &c. Nobilibus Polonis fidem & veritatem amantibus lectu neceſſarium.

Bonus ille & ſapiens Bayerskius, cujus gens antiqua in Pruſſiâ ſub Cruciferis vixiſſe, appellatione de Bayerſee in Chronicis ſæpè legitur, in præcedente ſcripto ſuo nihil inconditi aut vani, de violatione Juris Indigenatûs Pruſſorum aſſeruerat, quinimò ultra poſſeſſionem bonorum, & communionem cæterorum onerum Provinciæ atque habitationem, Polonis ad acquiſitionem Indigenatus, præterea nihil, quod tamen de anti-

Digitized by Google

antiquâ hujus Juris explicatione, à principio genti & lingvæ Prutenicæ h. e. Germanicæ proprii, potuiſſet, objecerat.

Nihilominùs quia Eccleſiaſticorum evidentes abuſus & præjudicia, in exinanitionem Civitatum & Onerum publicorum vergentia, ſimul cum cæteris alienigenarum damnis ſatis modeſtè taxaſſet, delicatum & virulentum vulnus attrectavit, propterea mox ex ordine Cleri Catholici acerbum hunc cenſorem ſenſit. Qui in hoc Scripto, præteritis imo conceſſis, quæ ille de Jure Indigenatus attulerat, tamen damna ea, quæ alienigenis etiam Eccleſiaſticis imputarat Bayerski, magno fervore in Indigenas retorſit.

Quod autem Nobiles indigenæ agros ruſticorum ſuorum, prædiis ſuis addentes, agricolas reliquos tantundèm tributi quàm antea omnes ſolvebant, pendere cogant; quod nobiles non ut olìm, Senatorum Authoritati in Conſultationibus publicis cedere, ſed ſuo ebrio ſenſu luxuriare ſueti, Conventus petulanter miſceant; Quod extrà Pruſſiam juventus Nobilis rarò educari velit, etiam apud non degentes Pruſſiæ Senatores; Quod alienigenas nunquàm absque laudo conſentiente (niſi quod factionibus & impudenti ambitu circumventi Ordines, coacti magis quàm perſuaſi ſæpè dicendi ſint) ipſimet Pruteni indigenæ admittant; Quod per braxationes, & negotiatorum atque opificum habitationes in fundis æque Nobilium atque Eccleſiaſticorum, Civitates & oppida non ſola damna ſentiant, quin etiam à Civium impietate & luxuriâ, ſicut & Nobiliùm inopia paribus vitiis invecta ſit; Quod oppreſſiones denique pauperum, injuſtitiæ judiciorum, & alia peccata dominantia, multorum malorum & enervationis totius provinciæ cauſæ quoque ſint, ſanè non vanè affirmavit.



Digitized by Google

Sed quod pagos Schottland, Stolzenberg, Montem Epiſcopalem, & alios, qui magno præjudicio Civitatis omni commerciorum, opificiorum, braxationum genere repleti ſunt, ante Civitatis Gedanenſis fundationem, eâdem libertate quâ nunc habitatos fuiſſe, paremque libertatem unicuique Nobili in fundo ſuo, tales modos acquirendi & vicos erigendi aſſeruit; item perſecutiones fidelium adverſus Romano-Catholicos in Civitatibus & pagis Pruſſiæ, talia ſine omni veritatis ſpecie protervè effinxit. Et ut ægrè faceret Civitatibus, magno encomio in exemplum propoſuit librum Caſimiri Zawadskii, Caſtellani Culmenſis, qui tamen decreto Loci ordinarii Cracovienſis publicè vendi vel diſtrahi prohibitus fuit, quod vitia Cleri Pontificii audactèr denudaſſet: Proindè ſi anonymo huic Zawadſkius, in conviciis Civitatum & aliorum Ordinum tantoperè placuit, eidem in verioribus de abuſibus Cleri relationibus diſplicere non debuit.

(5) *Replica Indigeny Pruskiego na reſpons gruby, in veritate & Juſtitia blendzacy &c. pod roſſondek podana.* A. B. Anno 1697. In hoc ſcripto Adamus Bajerskius, ad ſingulas objectiones Cenſoris ſui, cum rationibus & juribus atque actis publicis reſpondet, & adverſarium prudentèr convincit, à pag. 16. præjudicia Juribus & Privilegiis Pruſſorum, mox ab incorporatione cum Regno Poloniæ, per Reges, ſeu eorum malevolos in Regno ſuſurrones, inflicta, ad hanc ætatem usque enumerat, ſimùl quo zelo ferventiori, donec indigenæ adhuc dignitates, officia & præfecturas potiſſimas obtinuere, tepidiori, & nunc ferè remiſſo, cum opes provinciæ, Epiſcopatus, & præfecturæ pingviores, ad alienigenas creberrimè conferuntur, contrà eadem præjudicia ab indigenis actum ſit, breviter enarrat.

No-

Digitized by Google

Notari obitèr merentur verba, quæ pag. 29. ex Scripto Poloni Nobilis Anonymi, ſub titulo: *Diſquiſitia praw niektorych Pruskich, przez Szlachcica Koronnego na Seym podana &c.* Anno 1652. typis expreſſo, excerpſit Author: *Veritati & Juri obloqui erubeſco, neque nego verba Privilegii, à D. Caſimiro Pruſſis dati, Caſtra tenutas &c. Sed aſſero, per unionem Pruſſorum cum Regno Jus hoc eorum exſpiraſſe, adeò ut illi qui ante acceſſum hunc* (videlicet Nobilium ad Comitia & Tribunal Regni) *ipſis fuere extranei & forenſes, per eam conjunctionem factiſint Pruſſorum fratres & Indigenæ.* Licet quidem juſtè Bayerskius reponat, Pruſſiæ Nobiles ad Comitia Regni ſalvis ſuis juribus acceſiſſe; Nihilominùs ex his verbis, ingenuè per Polonum regnicolam effuſis, intelligant Nobiles verè Pruteni, quid damni in Cardinalibus Juribus ſuis, per præcipitatam Conjunctionem ſuam cum Conſiliis & Judiciis Regni retulerint, nimirùm de quo, (prout Werda & Bayerskius aliique deduxere) ſalus totius Provinciæ periclitatur.

Porrò Bayerskius præjudicia & damna Civitatibus & oppidis, per Eccleſiaſticos & Nobiles, cum interitu ipſorum quotidiè illata, fuſe demonſtrat, & præteritis tot Privilegiis & Juribus Prutenicis, ex ipſorum Polonorum legibus, ſpecialitèr Conſtitutionibus Anni 1611. pag. 27. & 1659. pag. 26. & Concilii Tridentini Seſſ. 25. reform. c. 3. convincit. Transactionem quoque Civitatum Pruſſiæ cum Nobilibus Anno 1542. circa conceſſam his braxationem cereviſiæ in uſum propriarum tantum tabernarum, ex proprio hordeo non aliundè empto, cæteras braxationes cum omni negotiatione Nobilibus ſub pœnâ 50. marcarum interdicentem, pag. 41. allegat.

Immunitatem Eccleſiaſticam ad officium Regni Chriſti rectè reſtringit, quæ tamen bona terreſtria â ſeculari Statu Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiis ad bonum & pium uſum adſcripta, â collatione virium & opum, pro patriæ defenſione, ex doctrinâ & exemplo Chriſti ac Apoſtolorum non abſolvit. Atqui verò nec Nobilitatis terreſtria bona (quo jure & libertate Cenſor ille aſſeruit ab Epiſcopis villas & pagos poſſideri) neque Regia ulla olim jus braxandi cereviſias in proprias tabernas, jure Prutenico habuere, donec tranſactione Anno 1542. publicâ Authoritate Ordinum in Conventu Marienburgenſi approbatâ (quam exhibet Lengnich inter acta Prutenica ſub Sigismundo Primo pag. 242) Civitates hoc ipſis Jus conceſſerint. Sed ad hanc usque diem Nobilibus Jus non eſt, negotiatoribus & opificibus pagos & fundos ſuos implere, imò nec frumenta ſua aut quascunque merces extrà fora Civitatum diſtrahere. Quæ res, ob conſervationem Civitatum, etiam in Poloniæ Regno Conſtit. Anni 1507. Cracoviæ â Sigismundo I. Rege ordinata eſt.

Si igitur Schotland, & cæteri fundi Epiſcopales, ſunt pagi, quo igitur jure tantum commercium, braxationes liquorum, & opificia artesve exercent? Atqui Nobilis, nundinas unâ vel duabus vicibus per annum, in pago ſuo celebrari volens, absque Privilegio ſpeciali Regis illud non audet; Iſti verò pagi Epiſcopales, nullo jure, ſed violentâ uſurpatione Eccleſiaſtica, quotidiè immenſa commercia & nundinas habent.

Quàm acerbum verò affectum in animis Civium, hujusmodi præjudicia & damna cum pernicie Reipublicæ gignant, Rigenſis Civitatis exemplum edocuit, cujus per immanes Eccleſiaſticorum lites & perſecutiones preſſæ, digreſſio ad Svecos, omnem Provinciam Livonienſem ſecum traxit, & unà immunitates Eccleſiaſticas ſimul cum reditibus Reipublicæ æternum devoravit: Cujus tanti damni culpam Piaſecius Epiſcopus in Chron. fol. 413. ad An. 1621. Eccleſiaſticorum petulantibus vexa-

vexationibus palam imputat. Proindè, niſi fortè gemina fata hæc Provincia experiri debeat, cui multi inhiant leones, licet nullibi Major ei libertas qvàm apud Poloniæ Regnum inveniri poſſit, nihilominùs tot damnis & injuriis Privilegiorum ſuorum exacerbati animi Nobilium & Civitatum, facilè occaſionem flammæ quaqua excitatæ concipere poſſent. Quod periculum non alienigenæ, dignitatum Secularium & Eccleſiaſticarum occupatores, non quisquam, niſi verus indigena & degens incola atque civis, verâ ſollicitudine curat, nec percurare poteſt.

Denique pag. 40. Bajerskius, vir ſapiens & patriæ amans, Statusque gnarus, bonam cæteris Nobilibus expoſuit animadverſionem, dicens: *In Pruſſiâ planè alia jura & conjunctiones inter Equeſtrem & Civilem Ordines ſunt, quàm in Poloniâ. Hìc enim ſicut Civitatibus Equeſtris Ordinis ordinata poteſtas agendi & conſulendi utilis, ita viciſſim Equeſtris Ordinis in ſecuritate & præſidio Civitatum maximè intereſt, ideò alter alterius onera invicem portare debent. Namque Civilis Ordo cum Majoribus noſtris, in unione ſuâ, Jura & libertates has ſangvine ſuo acquiſivere: ideò alter alterum, per conſcientiæ & ſalutis Provinciæ hujus vinculum, deſerere non poteſt. Quicunque aliter dicit vel opinatur, iſte Statum Pruſſiæ non intelligit.*

(6) DISCURS SZLACHECKI O POBORCACH Y PISARZU SKARBU ZIEM PRUSKICH Anno 1650. typis impreſſus. Hoc Scripto Author anonymus abuſus Collectorum contributionum publicarum, & Notarii theſauri Prutenici taxat; Et ad correctionem eorum, *cum publicis privata creſcant æraria damnis*, vult ut ſecundum conſtitutiones Regni, Collectores non ſint ſimul deputati, ſive Nuntii ad conventus, tenore Conſtit. 1631, fol. 34. Neque ſint de toto Palatinatu, ſed de ſingulis ejus diſtrictibus ſinguli; Ratiocinia ſua ſtatim â quicta-

 tio-

Digitized by Google

tione Theſaurarii originaliter ad acta Caſtrenſia offerre pœnaliter adigantur, juxta Conſtit. 1616. Regeſtra verò eadem, ſecundum Conſtit. 1565. fol. 122. componant, groſſos autem ſuos â quolibet floreno cum Notario theſauri æqualiter dividere cogantur. Denique ſint jurati, ſecundum fere formam univerſalium Anni 1628. De Notario denique theſauri Pruſſici vult: Ut tenore Conſtit. Anni 1616. fol. 6. â Theſaurario ſalarium habeat, non ab ærario publico quicquam expectet, neque licentiam habeat expenſas ullas ratiociniis publicis inſcribere, ſed pro dietis & itineribus habeat cum omnibus Collectoribus partem ſuam de groſſis. Pro quietatiónibus nihil extorqueat, denique non admittatur ad reddenda ratiocinia, neque toleretur niſi juratus.

(7) *Diſſertatio Juridica de Jure Indigenatus*, in Academiâ Regiomontanâ, Præſide Carolo Friderico Lau, D. & Prof. reſpondente Johanne Treuge, nunc Pro-Conſule Mariæburgenſi Anno 1685. In quâ methodo ex regulis Academicis conſvetâ, de Indigenatus origine, etymologiâ, ſignificatione variâ, definitione, diviſione, effectibus, commodis & incommodis, ſecundùm Europæarum gentium mores, modis denique acquirendi Juris iſtius, & rurſùs amittendi, Jure Juſtinianeo perpetuò, Polonicis & Prutenicis parcè allegatis, ſcholaſtice magis quam politice, theoreticè quàm practicè, ex fundamentis & praxi Jurium Prutenicorum verò, atquè de actis circà hæc Jura Publicis, penitùs non tractatur. Ideò ad Illuſtrandum Jus Indigenatùs Prutenicum nihil omninò facit.

XX. *Diſcurſus de re monetariâ Regni Poloniæ*, oſtendens damna enormiſſima ex vilioribus monetis novis, argenteis & cupreis, eorumque remedia ad trutinam Sereniſſimæ Reipubl. Polonæ, mente bonâ ſincerâque conſcriptus Anno 1665.

ty-

Digitized by Google

typiſque editus: Idem diſcurſus lingvâ Germanicâ Anno eodem impreſſus.

Authorem hujus quoque Scripti, Michaelem Behm Sileſium, Coſ. Ged. agnoſcit Schediaſma Hoppii pag. 101. Qui zelans immenſa damna, ex imminutione monetæ, fraude Monetariorum, & avaritia paucorum Miniſtrorum ærarii publici, honeſto neceſſitatum Reipubl. prætextu, introducta, in tabulis evidenti calculo demonſtravit: Privatos quidem incolas, per *Orthones Lituanicos*, No. 16. *per Bidgeſtienſes* No. 20. *per ſex groſſales* No. 23. *per florenos dictos Tymphones* No. 60. *& per ſolidos cupreos in Poloniâ cuſos* No. 85. *pro centum perdere.* Publicum autem ærarium in vectigalibus & tributis, pro portione ſummarum magnarum inde provenientium, ante omnes privatos maximoperè, vilitate monetæ ſe ipſum defraudare, commercia aliò averti, denique pretia rerum immensùm augeri.

Primam autem cauſam tantorum damnorum Author rectè imputat Regibus & Principibus, Statibusve illis, qui lucro apparente ineſcati, perpetua damna innumerabilia, per corruptionem talem Monetæ, ſubditis, & poſteritatis ſuæ ærario infligunt: Cum tamen character Principum nummis impreſſus ad excludendas fraudes privatorum inventus ſit, non ut inde lucrum capiant; hoc enim ubi fit, non poteſt niſi magis magisque deterior fieri moneta, unde rerum pretia & commercia turbantur, & paupertas univerſalis introducitur. Certe infelix illa mixtura & corruptio monetæ argenteæ, quæ cum initiis Seculi XIV. demùm cœpit, ac litium forenſium tricæ, occulta ſunt Regnorum flagella, quibus pro peccatis incolarum, tanquam continuis belli plagis, depaſcuntur.

Celeber ille Copernicus in conſilio ſuo ſcripto, de melioratione monetæ, quod Ordinibus Pruſſiæ Polonicæ, in con-



Digitized by Google

ventu Graudentinenſii Anno 1522. obtulit, omnem culpam tot immenſorum damnorum, lucro illi apparenti Principum vel Statuum veris argumentis imputavit. Iniquo tamen errore Civitatibus Prutenicis imputavit, infra valorem ordinatum ab illis monetam factam fuiſſe, ideò privilegiis monetandi privandas, contendit. Et Schützius Chron. fol. 480. bonum ac juſtum concluſum Ordinum iſtius Conventus refert: *Pro fundamento in negotio monetario ſupponendum eſſe: Quod in cudendâ monetâ, ſiquidem patriæ ſalus, non interitus obtineri debeat, penitus nullum lucrum reſpiciendum fore. Quo igitur magis valor monetæ intrinſecus ad valorem metalli, quo emitur, propius accedit, eo juſtior moneta, pretia rerum æqua, & immutabilia, commercia cum exteris & indigenis facilia atque florentia eſſe oportet.* Ad quem Statum reducendi corruptam monetam Regni Poloniæ, Author hujus Scripti, bona remedia propoſuit. Sed quomodo hominum corrupta natura maximè ex illa ratione in quævis peccata ruit, quod ſenſuum voluptas, per bonum præſens, voluntatem ad conſentiendum inclinet, invalido intellectu, ad bonum verius ſed futurum tantum æſtimandum: Ita habendi vel neceſſitas vel voluptas Principes & Status facilè inclinat, ut præſens qualecunque lucrum â fraudulentis monetarum conductoribus, obtentu magni quaſi tributi â populo unâ vice extorti, acceptare, quàm incolas & ſubditos ſuos perpetuò opulentos, & ad tributa ſucceſſive expendenda idoneos, conſervare malint. Cum tamen imminutio monetæ majori damno Provincias flagellet, quàm aut graviſſima tributa aut quodvis bellum. Quod Author hic prudenter probavit: Utinam Reges & Principes terræ, Statuumve Archontes, talia audirent & attenderent, neque in moneta cudendâ ad damnoſiſſimum illud Signoraggio



Digitized by Google

gio ſeu lucrum regale, deprædatoribus publicis aurem accommodarent!

(2) CONSIDERATIO QVÆSTIONUM, IN REGNO POLONIÆ MOTARUM SUPER RE MONETARIA (1) Unde pernicioſa valoris monetæ extrinſeca auctio orta, & quâ ratione ea antehàc ex parte ſit cohibita? (2) An reductio majoris monetæ Reip. conducat an noceat? (3) Quomodò imposterùm ejusmodi auctio cohiberi poſſit? (4) An nova moneta, & qualis cudi debeat? Item appendix, quâ (5) quæſtio diſcuſſa, an Reip. Poloniæ proficuum, & ſine damno Provinciarum fiat, ut præter intertrimentum & ſumptus monetarios, inſuper notabiles obventiones ærario Reſp. lucrari poſſit? modò vilior moneta, quàm Anno 1663. lege comitiali juſſum, cudatur?

Hoc Scriptum circa Annum 1640. tempore Vladislai IV. Regis vulgatum, & â fautore monetariorum compoſitum fuiſſe, ex circumſtantiis, & vel ex eo patet; quod damna ex auctione Monetæ, non Officinis Monetariis, ſed Mercatoribus, qui lucri ſui cauſâ deteriorem monetam aliunde invehunt. e. g. taleros Leoninos, florenos & ſolidos Campenſes, item Ortones, & Argenteos Sileſios, proque iis meliorem evehunt. Undè hic patronos monetariorum inconſideratè concludit: Minorem monetam adeò vilem, cum lucro aliquo ærarii publici cudendam eſſe, ut extraneis vileſcat, neque appetitum lucri evectionis moveat. Quod per appendicis appendicem, adverſus epiſtolam Nobilis Pruteni ad Equitem Lituanum tunc vulgatam, feriò defendit. Quæ &ſi injuſtè & ineptè dicta ſint, nihilominus pernicioſo Conſilio, quod Anno 1659. & ſequenti 1663. Ordines Poloniæ, vel potius eorum Commiſſarii, prætextu neceſſitatis publicæ, privato Magnatum



Digitized by Google

quorundam lucro, invito licet Rege, ad cudendos ſolidos Cupreos iniere, viam præſtruxerunt.

(3) *Brevis & perſpicua Deductio damni, ex varia Moneta, quæ nunc in Regno Poloniæ cuditur, præprimis ex ſolidis illis cupreis dati, cum refutatione Scripti Polonici de ſolidis, edita* Anno 1661. Et hocce ſcriptum ſimpliciſſimis ſed evidentibus rationibus immenſa damna, privatorum paucorum magis quam Reip. lucra, nequitias fraudulentas Officinarum Monetariarum Conductorum exponit, & ſophismata atque falſa ipſorum præſuppoſita reſolvit. Unde pretia rerum omnium, item Monetæ aureæ atque argenteæ exoticæ valorem auctum, meliorem verò vetuſtiorem monetam Polonicam & Prutenicam, penitus perditum iri veraciter prædixit.

Neque enim demonſtrationes ſapientes bonorum virorum quicquam effecerunt, quin adhuc pejor hactenùs moneta cuſa, aut aliundè invecta, miſeros incolas in damno valoris monetæ & pretiis rerum tantopere auctis, emungat, ut inde univerſalis egeſtatis cauſa proxima, juſtius quam à cæteris omnibus peti poſſit. Probat enim Author hujus Scripti, quod in ſexgroſſalibus No. 28. in Trigroſſalibus No. 57. jam illis temporibus cuſis (qui hodienùm adhùc pejores cuduntur) in cupreis autem ſolidis Polonicis, quibus & Prutenici vilitate jam proximè accedunt, No 85. pro centum damnum inſit.

XXI. REINHOLDI KURIKE *Secretarii Gedanenſis Jus maritimum Hanſeaticum* Hamburgi Anno 1667. editum. Nempè Jus maritimum à Syſtemate Civitatum Hanſeaticarum Anno 1614. Lubecæ (antiquiori Ordinatione navali ſuâ reviſa & correctâ) pluribus titulis & articulis auctum & editum, Kurike perpetuo commentario illuſtravit, & ad uſum Juris peritorum, rationibus ac deciſionibus Juris Civilis Romani, &

non-

Digitized by Google

nonnullorum populorum maritimorum additis, aptavit. Quo labore negotiis maritimis, in Civitatibus per maria mercantibus ſæpiſſimè occurentibus, profuit.

Licet Jus hoc, ab eò tempore quo Syſtema illud Civitatum Hanſeaticarum, per potentiam Regum & Belgii, quibus olim Societas hæc emporiorum mari formidabilis facta fuit, atque per decrementa præcipuarum Civitatum, Lubecæ, Stralſundi, Bergæ, & Narvæ, uno fere abhinc Seculo reſolvi & ceſſare cœpit, non plus authoritatis, in decidendis cauſis maritimis jàm obtineat, quàm Civitas quælibet illi tribuere velit.

XXII. JOHANNES CASPARUS VENATOR, D. Conſiliarius & Sacerdos Ordinis Teutonici Margentheimenſis, Anno 1680. typis Noribergenſibus *Hiſtoriam Ordinis illius Mariani*, lingvâ vernaculâ edidit. Author ipſe in præfatione ſuâ ingenuè faſſus, ſe hiſtoriam hanc ex Scriptoribus Prutenicis tantùm collegiſſe, nihilominùs imperfectam, nec ſatis elaboratam eſſe.

Cui utut in titulo ſecundo multa ſingularia, & antehàc nunquàm publicata documenta, ex celebrioribus bibliothecis & archivis acceſſiſſe glorietur: Nihilominus hujusmodi magnalia, præter relationes aliquot ceremoniarum, aut actorum pro Ordine illo in Comitiis Imperii, nusquàm in libro apparent. Imò præter Librum Ordinis, nulla antiqua Scripta Ordinis Teutonici, neu ipſum Dusburgium ſedulò legiſſe Venatorem, aliquot loca, quibus in hunc Scriptorem impegit, perſuadent.

Jus verò Ordinis illius ad Pruſſiam argumentis adeò obſoletis & frigidis evincit, ut plus ad recuperanda bona Templariorum vel Johannitarum Ordinibus, adverſus Reges

Eu-

Digitized by Google

Europæ; aut Turcarum Sultanum, quàm Teutonico, ad reſtitutionem Pruſſiæ contra Poloniæ & Pruſſiæ Reges, allegari mereantur.

Porrò conciſa illa narratio nihil præter vulgo ubique nota affert, omiſſâ omni inquiſitione veritatis; unico loco de Henrico Comite ab Hoënlöe, Magiſtro Generali excepto, in quo Hartknochium frigidiuſcule refutare conatur. Nusquàm facundior quàm perſuadendis ſuperſtitionibus & prodigiis Ordinis, quæ ipſis ſapientioribus Catholicis faſtidium movent. Idem in aſſerendis virtutibus & juſtitiâ ſui Ordinis nimius eſt; Polonis iniquior, ſed Cromeri & Sarnicii mordacitate provocatus.

Dum autem adulationi ſuorum litat, ſæpè contrariis rationibus ſeipſum deſtruit. Sic Alberto & Gothardo Magiſtris ultimis Pruſſiæ ac Livoniæ, ab Imperio grandia auxilia contra Polonos & Moſcovitas oblata fuiſſe aſſerit: Nihilominùs affirmare cogitur, auxilia hæc nusquam apparuiſſe, neque decreta Comitialia ad ullum effectum deducta eſſe. Item Albertum Magiſtrum, ait, mox ab ingreſſu in Pruſſiam, conſilium acquirendi Ducatus Pruſſiæ jure hæreditario, cum Sigismundo Rege avunculo ſuo clàm miſcuiſſe: Sed iterum ſui oblitus, Albertum promiſſum à fratre ſuo Anno 1512. Regi homagium, tanquàm ſe inſcio conceſſum, rejeciſſe, cauſatum, ſe duobus Dominis Cæſari & Regi jurare non poſſe, fatetur. Denique poſt narrationem belli, contrà Polonos fortitèr ab Alberto geſti, ſubdit: *Regem* (à quo omni dubio procul conſilium Pruſſiæ, per ſeculariſationem ab inquieto illo ſacro Ordine pacandæ, inſcio & plane invito Alberto provenit) *niſi Albertus hæreditarium Ducatus Prutenici feudum acceptaret, nullam rationem compoſitionis audire voluiſſe.*

Ni-

Digitized by Google

Nihilominùs injuſtiſſimam ex infenſo animo tandèm promit ſententiam: *Pruſſiam, poſteá quoque Livoniam, nefariè & ſacrilegè Ordini ereptas fuiſſe.* Quæ concluſio cum relatione neceſſitatum, quibus Magiſtri illi Ordinis diu luctati ſunt, peſſimè cohæret. Neque enim ſanctius inter homines bellorum & pacis Jus eſt, quàm Neceſſitate inevitabili extortum. *Neceſſitas*, inquit Seneca, *maximum humanæ imbecillitatis patrocinium, omnem legem humanam frangit, & quicquid facere cogit, juſto & æquo defendit.* Lib. 4. Controv. 27. & ibid. excerptis. Ideò ab ipſo Venatore confeſſa Cæſaris & Imperii derelictio, & in præſtandis auxiliis negligentia, Alberti ſubmiſſionem voluntati victoris Regis Sigiſmundi factam, coram Deo & hominibus juſtificavit.

Quàm indiligens quoque fuerit Hiſtoricus Venator, ſpiſſi errores Geogrophici arguunt: qui pag. 66. & 82. oppidum Brandeburgum, ad Oderam collocat; & Albim cum Viſtulâ & Nogato fluviis in Pruſſiâ, aggeribus â Mangoldo de Querfurt circumductos fuiſſe aſſerit. Quodſi non Albim Germaniæ, ſed Elbingum rivum intellexit, etiam falſus eſt. Nam aggeres ad Elbingum nulli unquam congeſti fuere; ſed neque die Elbe/ verum der Elbing ſcribere debuiſſet.

Proinde non fictâ modeſtia, in ipſo initio, ſed imbecillitatis ſuæ conſcientiâ faſſus, ſe virum in Hiſtoriâ ſeculari parùm, in Coſmographia minus, in rebus Politicis penitus nihil verſatum & expertum eſſe; ſic maluit culpam deprecari quàm culpâ vacare; & venia, quam illa ſuâ confeſſione petiit, omninò ei danda, ſi decreto Amphyctionum coactus ſcripſiſſet: Quemadmodùm Cato Albinum Hiſtoricum ſalſe riſit, Macrobio in Præfat. L. I. Saturnal. Gellius Noct. Att. lib. 2. cap. 8. &



Digitized by Google

Plutarcho in Catone referentibus. Ecquis verò hunc, vitii ſui confeſſum, ad ſcribendum perpulit?

Cæterùm hiſtoriam hanc (quam Compendium aliquod ex Annalibus ſuis, quos Latinè usque ad Annum 1414. Venatorem collegiſſe, ſed nunquam edidiſſe, Hartknochius in Catálogo Scriptorum Vet. & Novæ Pruſſiæ præfixo, ipſius teſtimonio probat, excerptum eſſe conjicio, quia lectorem ubique ad annales ſuos nunquam editos remittit) cum Alberto ultimo Pruſſiæ Magiſtro, finit, ſed ſuccedentes in Germaniâ Magiſtros breviter usque ad Annum 1595. enumerat, ſequentes usque ad ætatem ſuam omittit.

Res Livonicas prolixiùs ex Ruſſovio & Bredenbachio exſcripſit, adjectis legationibus, quibus Magiſtri Germanici, pro recuperandis Pruſſiæ & Livoniæ Provinciis irrito ſucceſſu laborarunt. Vir cætera bonus, & in Religione ſuâ pius hic Venator apparet fuiſſe; ſed inter Hiſtoricos ignobiles & infimi Ordinis numerandus.

XXIII. JOHANNIS CHRISTOPHORI HARTKNOCH *Hiſtoria Eccleſiaſtica Pruſſiæ.* Preuſche Kirchen-*Hiſtorie*, vernaculà VI. Libris Thorunii typis Anno 1686. edita. Opus hoc iterùm de magnâ Hartknochii induſtria & judicio optimo teſtatur: Tanto majori deſiderio eruditorum exceptum, quod ante illum, univerſim circà geſta in Pruſſiâ Eccleſiaſtica, plenam hiſtoriam nemo meditari auſus fuerit. Utinam tali & tanto viro corporis vires animo pares fuiſſent, & vita longior! Omni enim dubio procul, cum annis, quos poſt finitum hocce opus mox finivit, & hoc Corpus Eccleſiaſticæ hiſtoriæ noſtræ, & plura alia omnibus numeris abſoluta, reviſione diligenti perpolita reliquiſſet. Sed ſic quoque hoc, &

Digitized by Google

& cætera Hartknochii opera lucem hiſtoriæ Prutenicæ magnam affundunt, nec ullum doctum lectorem refugiunt.

XXIV. JOHANNES GOTSCHED, Med. D. & Prof. Regiom. ſecundum Catalogum olim à Johanne Lœſelio, Med. D. editum *Floram Pruſſicam, ſeu Hiſtoriam plantarum in Regno Pruſſiæ, ſpontè naſcentium* Anno 1703. typis cum iconibus publicavit. De hoc libello, quia ad hiſtoriam Pruſſiæ naturalem pertinet, nemo dubitabit huic quoque Catalogo inſerendum fuiſſe.

Sed cum in hoc genere experimentali nemo ſolus ſapiat, & à Botanices amatoribus quotidie plures plantæ exquirantur, neceſſariò huic opuſculo annectendum eſt Scriptum à Georgio Andreâ Helvingio, Paſtore Eccleſiæ Angerburgenſis in Pruſſiâ, titulo *Floræ Quaſimodogenitæ*, cum præfatione eruditâ, & ad notitiam Hiſtoricorum naturalium Poloniæ admodum utili, Johannis Philippi Breynii, D. & Medici Gedanenſis, typis Gedani Anno 1712. editum. In quo præfatus Helvingius & Breynius, omiſſas in Florâ Pruſſicâ plantas, item errores nonnullos enumerarunt, correxerunt, & Florilegium ad clima Prutenicum accomodatum annexuerunt, itaque Floram hanc ſedulitate ſuâ illuſtrarunt. Cujus operæ Judicium penes artis gnaros eſto.

XXV. JACOBUS HENRICUS ZERNIKE, Scabinus Thorunienſis, ibidem Anno 1711. typis publicavit *Hiſtoriæ Thorunienſis naufragas tabulas*, quas lingvâ patriâ *Nucleum Chronici Thorunienſis* appellavit. Cui præmiſerat enumerationem plagæ peſtilentialis quoties Thorunium paſſum eſt, ab ipſis ſuis initiis. Anno 1710. Item *Obſidiones ejus quatuor Sveticas*, ibidem Anno 1712. Denique eodem Anno addidit,



Digitized by Google

Catalogum Literatorum & Magiſtratuum Thorunienſium, Das gelehrte und geehrte Thoren.

Author in præfatione prudenter faſſus, ſe non præſumpſiſſe hiſtoriam plenam patriæ ſuæ, ſed indicem tantùm rerum memorabilium publicare, quod rebus dignis & indignis una mixtis, prout Schediaſmata collecta ipſi ſuppeditarunt, præſtitit. Equidem ab Origine Thorunii usque ad finem Seculi XVI. res Thorunienſis Civitatis publicas perpetuò ex Schützio & ejus Continuatore, atque Hartknochio non indignas lectu, collegit.

Abhinc privatas Schedulas civium ſuorum ſequutus, præter eventus bellorum, vocationes & obitus Eccleſiæ atque Curiæ Miniſtrorum, vix quicquam digni breviter attigit; Interſparſis, ad complendum volumen vulgaribus aut ridiculis caſibus e. g. de carnifice, caput bigami ineptè amputante; de ancillâ, è puteo proſpere extractâ; de ſponſo nuptiarum die ſubitò mortuo; de veneno viduæ aurifabri imprudenter hauſto; de Lanione barbam prolixam Polono duobus bobus vendente; de ſolenni pompâ fabrorum patibulum Civitatis reficientium; de ſue pro crimine vivâ defoſſa, & hoc genus multa. Quorum loco vir, omnibus qui eum norunt, ſapiens & literarum amans prædicatus, ſi cum Ephoro Cumæo Æolico, deficientibus Annalibus, non inveniens quod in laudem patriæ hiſtoriæ ſuæ innecteret, hæc tamen verba, in gratiam ejus: *Ea tempeſtate Cumani quietem agebant*, prout Strabo lib. 13. de eo refert, intercalaſſet, idem præſtitiſſet. Aut ſi ordinationes pias & utiles Magiſtratûs Thorunienſis, quas ſæpè laudat, inſeruiſſet, operam utilem absque nauſeâ impendiſſet. Usque adeò non omnia contingentia apta ſunt materia ad hiſtoriam. Interìm in hâc penuriâ Hiſtoricorum, qualemcunque diligentiam, quâ

res

Digitized by Google

res patriæ, præſertim illuſtris & antiquæ, qualis hæc Civitas Thorunienſis eſt, poſteris conſervare viri boni aggrediuntur, laudandam, & ex ſpinis â Scriptoribus ſedulò collectis, flores colligendos eſſe cenſeo.

XXVI. NICOLAUS COPERNICUS, Thorunienſis, Canonicus Varmienſis, â docto Johanne Regiomontano Boruſſo moriente ſibi traditâ reſtaurandæ Aſtronomiæ lampade, Matheſeos alumnus, tandèm circa Annum 1543. ætatis ſeptuagenarius, Opus hoc multarum obſervationum & laborum, quod ASTRONOMIAM INSTAURATAM appellavit, enixus; ſed eodem anno mox fato functus, editionem diſcipulo quidèm ſedulo, Joachimo Rhetico, ſed hic Typographo & Correctori Noribergæ ineptis, reliquerat. Nec in univerſa patriâ, præſertim in illuſtri Collegio Canonicorum Varmienſium, talem theſauri hujus habuit æſtimatorem, qualem ſeſe, 74. annis poſt, Nicolaus Mulerius, Matheſeos Profeſſor Groningenſis, immenſo labore â mendis & erroribus, præprimis numerorum, purgatum opus, typis Amſtelodamenſibus Anno 1617. perfectè & nitidè Orbi literario exhibens, præſtitit.

Communi antiquâ lyrâ oberrans chorus Mathematicorum diu Copernicum poſt fata objurgavit, quod Sphæræ cœleſtis diſpoſitionem ab antiquis Philoſophis & Aſtronomis, præſertim Ptolomæo traditam, invertere, ſoli centrum univerſi, & terræ non ſoli motum diurnum aſſerere, obſcuras & abſurdas unius vel duorum ex Philoſophis opiniones amplecti, & ipſius Sacræ Scripturæ oraculis contradicere auſus fuerit. Enimverò ipſe Copernicus in præfatione ad Paulum III. Pontificem, & in Præmonitione ad Lectorem, hanc de revolutionibus Sphæ-

 rarum

rarum mundi, etſi à multitudine doctorum multis ſeculis oppreſſam opinionem, egregiè tuitus eſt.

Quod ſcilicet Mathematicis cæteris omnibus ratio ſubducendorum motuum non conſtet, unde nec de ſolis & lunæ motu certi, anni perpetuam magnitudinem demonſtrare, nec excogitatis homocentris vel eccentris & epicyclis quæſita aſſequuti, tandem primis principiis de motus æqualitate contraria admittere coacti fuerint: Denique, quod primarium eſt, Univerſi formam & partium ejus ſymmetriam, ex conceſſis ſuis non potuerint colligere. Similes ei, qui membra quædam corporis humani aliundè, optimè quidem, ſed non unius corporis comparatione ſymmetricâ, depicta ſumit, nullatenùs ſibi cohærentia, ut monſtrum quàm homo magis ex illarum compage exhiberetur.

Quæ difficultates Copernici poſitione motus terræ, & ad eum collatione motûs reliquorum ſiderum, atque ſupputatione pro cujusque ſideris revolutione, egregiè tandem ſublatæ ſunt: usque adeò, ut non modò illorum phænomena inde ſequantur, ſed & orbium omnium Ordines, magnitudines, & cœlum ipſum hæc opinio ità connectat, ut in nullâ ſui parte poſſit tranſponi aliquid, ſine reliquarum partium ac totius univerſitatis confuſione.

Porrò hæc quoque Copernici ratiocinatio apprimè oppugnatoribus doctrinæ ejus notanda eſt: Quod, cum Aſtronomo competat, hiſtoriam motuum cœleſtium diligenti obſervatione colligere, ſed quia cauſas earundem veras immenſum à ſenſuum judiciis remotas, nullâ ratione aſſequi poſſit, qualescunque excogitare & effingere cogitur, quibus ſuppoſitis, iidem motus ex Geometriæ principiis, tàm in futurum quàm in præteritum, rectè poſſint calculari. Neque enim neceſſe eſt eas hypo-

Digitized by Google

hypotheſes eſſe veras, imò ne vero ſimiles quidem: ſed hoc unum ſufficit, ſi calculum obſervationibus congruentem exhibeant. Satis autem omnium conceſſione doctorum pateat; apparentium inæqualium motuum cauſas Aſtronomiam penitùs & ſimpliciter ignorare, & ſi quas fingendo excogitet, nequaquàm in id excogitat, ut ita eſſe cuiquam perſuadeat, ſed tantùm ut calculum rectè inſtituat. Hinc ſequitur, quod & ipſe Copernicus fatetur, hypoteſes tàm in hanc ſuam de terræ motu, quàm veterem opinionem contrariam, non ſubjiciendas eſſe Philoſophorum, vero ſimilia quærentium, diſputationi (quæ veritas in hâc diſciplinâ nulla ab homine, niſi revelatione Dei ſolius expectanda eſt) ſed ideò ab Aſtronomo arripiendam, quod comprehenſu facillima, & ad calculum de apparentiis & motibus ſiderum, præ omnibus aliis, hactenus excogitatis, optima, imò admirabilis ſit. Qui vera & certa ab Aſtronomiâ, abſque ſuppoſitis talibus, expectat, cum ea nihil hujuſmodi præſtare poſſit, hic ſi in alium uſum ficta pro veris arripiat, ſtultior, inquit, ab hâc diſciplinâ diſcedit, quàm acceſſit.

Hæc ego ipſius Copernici argumentis præmonere volui, ne glorioſa tanti viri memoria, apud ignaros principiorum Aſtronomicorum, ſine culpâ ejus vexetur. Altius in hæc docta Mathemata, artis ejus rudis, non deſcendo, ut quæ Copernicus Mathematicis ſcripſit, eorumque judicio & experientiæ decidenda ſubmiſit.

Cæterùm hic tantus Vir, quem Tycho ille magnus Aſtronomus, incomparabilis viri elogio honoravit, quo doctus Nicolaus Mulerius, poſt Ptolomæi tempora, nullum excellentiorem extitiſſe judicavit, à quo Aſtrorum ſcientiæ major facta ſit acceſſio, nullo honoris monumento, à Venerabili Capitulo

Digitized by Google

pitulo Varmienſi poſteritati commendatus, â nemine vitæ & mortis parentatione laudatus, adeò ut nec locum ſepulchri Domini Varmienſes ſciant, & niſi vir privatus, nomini huic famigeratiſſimo apud exteros, Thorunii tabellam cum effigie in Templo ſuſpendiſſet, nihil in Pruſſiâ memoriam ejus conſervaviſſet. Quam ingratitudinem Hartknochius Vet. & Nov. Pruſſiæ pag. 370. jàm exprobravit. Licet enim Copernicus, vir pius juxtà ac doctus, ſuâ ſcientiâ non fuerit inflatus, humilis & gloriæ non appetens, quod in brevi vitæ ejus deſcriptione Mulerius laudat: nihilominùs vel propterea ipſius conterranei culpandi, quod modeſtiam viri optimi ſuis officiis privaverint.

XXVII. JOHANNIS REGIOMONTANI *tabulæ directionum & profectionum, totam rationem primi motûs continentes &c.* Wittebergæ denuò Anno 1606. editæ. Fuit hic Regiomontanus Boruſſus, in arte Aſtronomicâ celeberrimus, quam in Academia Viennenſi docuit, tandèm ab Archi-Epiſcopo Strigonienſi patrono ſuo, cui hoc opus quoque dedicavit, in Hungariam evocatus, laborem componendi tabulas haſce, quas horrendum Aſtrologorum ſcopulum vocat, & retia talia, quibus nemo omnium ſeſe ſatis expedire poſſit, perfecit.

Nimirum quousque obſervationes Aſtronomorum ad ſuum usque ævum, abſque teleſcopiis nondum inventis, pertingere potuerunt, ſuis & antiquorum excogitatis hypotheſibus, Regiomontanus progreſſus, opus ſuum ſuperſtruxit. Cujus perfectionem, Anno 1477. mortuus, Copernico, tunc jàm quadrimulo, populari ſuo, tanquam clarisſimo ſucceſſori reliquit.

XXVIII. ERASMI REINHOLDI, *Salfeldenſis Boruſſi, Prutenicæ tabulæ cœleſtium motuum*, Wittebergæ Anno 1585. editæ. Quod Regiomontanus, ante Copernicum, circa

mo-

Digitized by Google

motum primum machinæ univerſitatis, ab ortu ad occaſum tentaverat, hoc Reinholdus jam hypoteſibus Copernici innixus, collatis tamen cum Ptolomæi & Hyparchi obſervationibus, quoad alteram Aſtronomiæ partem, ſecundum nempe motum ſiderum & orbium cœleſtium, quo primo obnituntur, & ab occaſu ad ortum feruntur, propterea aggreſſus fuit, quod numerorum Sphalmata in illâ primâ editione Copernici, quam demùm Mulerius in ſecundâ editione correxit, perpetuam offenſionem arithmeticam facerent.

Proindè omnes Canones revolutionum orbium cœleſtium ſub calculum revocans, quia Aſtronomiæ perfectio, non tam exquiſitis hypotheſibus excogitatis, quàm calculi certitudine innititur, Opus tandem perfecit: et quia Profeſſor Matheſeos in Academiâ Regiomontanâ fuit, Domino ac Nutritio ſuo, Alberto I. Duci Boruſſiæ cum epiſtolâ dedicatoria, die 18. Julii Anno 1551. ſubſcriptâ, obtulit. Meminit quoque in præfatione ad lectorem Commentarii ſui in opus revolutionum Copernici, quem non habeo, & cujus ſit utilitatis ſimul cum hiſce tabulis, Aſtronomis judicandum relinquo.

# PRUTENICI SCRIPTORES
## IN OCTAVO ET MINORI FORMA.

### I.

PAULI SCALICHII, Comitis & Dynaſtæ Huniorum, Marchionis Veronæ, Beneventi, Samnitum Ducatûs, & Viroviticæ hæredis, Likæ, Zagoriæ, Biſtriciæ, Peilſtenii, Zkradini &c, tum & Creutzburgi in Pruſſiâ Domini,



Digitized by Google

*Satyra Philoſophica, ſive Miſcellanea Phyſica & Metaphyſica*, Regiomonti Anno 1563. impreſſa. Quibus *Apologia ejus* acceſſit, in qua ex literis Cæſaris, Regum, Principum, & doctorum virorum teſtimoniis, tum vitæ ſuæ ab incunabulis narratione, evincere voluit, genus ſuum à Scaligeris illis famoſis, per matrimonia Regibus & Principibus pluribus Europæ cognatis, deſcendere.

Namque ex hiſtoriâ Prutenicâ illius temporis conſtat, Albertum Ducem I. ætatis imbecillitate, ab hoc præcipuè Scalichio, homine Italicis artibus imbuto, deceptum, ultimis vitæ ſuæ annis, multa iniqua & Privilegiis indigenarum contraria, juſſiſſe. Adeò ut ad querelas Ordinum Pruſſiæ Orientalis, Commiſſarii Regis Poloniæ Anno 1566. ut motus civiles inter Ducem & Ordines ſedarent, tribus Scalichii aſſeclis, Funccio, Horſtio & Snellio, criminis Statûs publici turbati reis, capita amputari, & omnia vitia regiminis in priſtinam orbitam reducentes, mandata regia exequi curarent; Scalichium verò abſentem publico diplomate Regio proſcriberent. Ille enim paulo ante, poſt tot inter Ducem & Ordines Pruſſiæ excitatas diſcordias, atque apologiâ ſuâ Nobilibus Prutenis apud Regem (quâ genus ſuum & cauſam probaſſe ſibi viſus) relictâ, obtentu legationis in Galliam, tanquam filiam Regis Duci juveni, Alberto Friderico, procaturus, ſeceſſerat.

Hic Scalichius tandem in Pruſſiam redux, Romano-Catholicis iterùm reconciliatus, â quibus olim ſeceſſerat, Gedani Anno 1577. exul mortuus, & apud Dominicanos ſepultus eſt. Vid Hartknoch. Hiſt. Eccleſ. L. 2. C. 4. §. 10. Verſipel-

Digitized by Google

pellem fuiſſe ſycophantam, ſcripta piorum virorum illi oppoſita, tituliqne ſubreptitiè, ad oſtentationem ſicut criſta verſicolor ſibi aſſuti, docent.

II. MANUALE PRUTENICUM, *ſive repetitio Corporis doctrinæ Eccleſiarum Prutenicarum, commentario explicata*: præmiſſâ diſſertatione procemiali hiſtoricâ, de *Statu Religionis in Pruſſiâ*, ab ipſis primordiis idololatricis incolarum, usque ad Annum 1626. a COELESTINO MISLENTA, D. & Prof. Theologiæ Regiomontano, ibidem typis Anno eodem editum.

In hoc libello Mislenta cauſam puræ doctrinæ, Auguſtanæ Confeſſionis, zeloſe egit, ſtatum & pericula religionis ac Eccleſiarum Prutenicarum cordatè explicavit: Ordines autem Prusſiæ, quibus opuſculum hoc dedicavit, de curatiori ſolicitudine & vigilantiâ, circà conſervationem unius veræ & privilegiatæ religionis, liberè monuit.

Corpus autem doctrinæ Prutenicæ Anno 1567. â D. Morlino & D. Chemnitio repetitum, in hoc Manuali, tantùm quoad generalia prolegomena, didacticè illuſtravit. Commentarium ſpecialem, ad articulos ejusdem repetitionis Corporis doctrinæ, poſtea in publico Collegio Studioſis Theologiæ prolixius explicavit. Diſſertatio autem procemialis, quia multa de Pruſſorum idololatrico cultu, cæteraque antiquitatis Prutenicæ ſpicilegia, ex Chronicis contexuit, præcipuam cauſam habendi hunc librum Doctis præbet.



Digitized by Google

III. Magiſter PHILIPPUS HARTMANN, *de Succino Prutenico*, Phyſicam & Civilem Hiſtoriam, typis Francofurtenſibus Anno 1677. edidit. In quâ qvicquid de loco & materiâ generationis, modo piſcandi aut effodiendi, copiâ, pretio, naturâ, & qualitatibus ſuccini; peculiaris illius gemmæ Prutenicæ, apud vetuſtiores Scriptores, Medicos & Hiſtoricos, nempè Aurifabrum, Gœbelium, Wigandum, & alios legit, aut ipſe inſpectione locorum, atque experimentis Phyſicis indagavit, congeſſit, & cum orbe erudito communicavit.

Ad commendationem hujus operis ſufficit elogium, quod ipſi vir eruditus, & judicio in Hiſtoriâ Naturali acri, Johannes Philippus Breynius, Doctor & Medicus Gedanenſis, in Præfat. ad Floram Prutenicam Quaſimodogenitam Helvingii, poſuit: *In hâc Hiſtoriâ, dicens, ſi Hartmannus veram ſuccini originem & generationem (rem in mundo ſubterraneo, cum tot aliis â naturâ occultè præparatam) non exhauſerit, certè omnium vero ſimillimam & maximè plauſibilem de eâ fovet opinionem.* Proindè quæ nunc ab aliis de ſuccino diſputantur & ſcribuntur, ferè ex Hartmanno excerpta, novis tantùm verbis vel experimentis illuſtrantur. Nec quantum ſcio, quidquam meliùs rationibus Hartmanni â quoquam acceſſit.

IV. *Nænia Pontificis, de Jure Reges appellandi, auctore Johanne Franciſco Albani* (qui fuit Johannes Petrus Ludewig, D. & Prof. Hallenſis Academiæ) Liber Diplomati Papæ Clementis XI. (potius Brevi ſive Epiſtolæ ad Regem Galliæ ſcriptæ) quo Anno 1701. Regum ſupremam dignitatem in Rege Pruſſiæ oppugnavit, oppoſitus, & Anno 1706. typis editus.

Con-

Digitized by Google

Conſtat libellus hic quatuor capitibus; Nimirùm Pontifices ſemper jacturam feciſſe, quoties titulos dignitatemque Principibus diſputaverint. Regales honores â Pontifice nec peti néc impertiri poſſe. Rationes ſcriptorum Pontificiorum, quibus Jus Reges appellandi Pontifici Romano vindicare ſatagunt. Denique in ipſum hoc Diploma, ſive Breve Pontificis articulatim inquiritur, & oſtenditur: Omnes Reges Catholicos imprimis hoc faſtu Pontificis vehementer offendi. In quibus ex hiſtoriâ omnium Seculorum, ex Jure divino, publico Regnorum Europæ, ex ſententiis Cæſarum, Regum, Principum, & doctorum virorum, Romano-Catholicorum, denique rationibus congruis deduxit: Regias & alias dignitates â Deo & ſummâ poteſtate cujusvis Regnantis, conſenſu populi, cui imperat, parari, nec ab ullo alio homine conferri. Ad Imperatores tamen pertinere, tanquàm prima capita Chriſtianorum, exemplum cæteris Regibus præbendi, & novum Regem agnoſcendi, idque ſocietatis, quæ inter ſummos Principes eſt, poſtulare rationem, non verò Majeſtatis alicujus ſuperioris in Reges prærogativam, ut qui ob ſupremam poteſtatem, quâ pollent omnes, pares ſunt. Quam ſententiam quàm plurimis exemplis probavit. In fine, Illuſtris cujusdam viri brevis refutatio ejusdem Diplomatis Papalis adjecta eſt.

V. GASPARUS ABEL, Lipſiæ Annis 1710. & 1711. typis excudi curavit: Preuſche und Brandenburgiſche Staats-Hiſtorie und Staats-Geographie: Quæ ex amplioribus Hiſtoricis ad Statum publicum potentiſſimæ Domus Brandeburgicæ nunc regnantis, tum ad cognitionem ſitûs & opum Pruſſiæ, cæterarumque ejus Imperii Provinciarum pertinentia, ſelectu



Digitized by Google

& compendio exhibent. Idcircò liber hic, pro bono indice potiſſimarum rerum, ad Pruſſiam & alias Provincias Brandeburgicas, in aliis fuſiùs & ſpecialius pertractatarum ſervire poteſt.

Equidem nihil de Statûs & Provinciarum Brandeburgicarum ratione, præterquàm ex hoc libello haurire, viro negotiis publicis miniſtranti nequicquam ſufficit. Ampliora ei adeunda ſunt volumina Hiſtoricorum & actorum publicorum, præprimis poſt vetuſtiores, ad hanc periodum temporis ſummopere pertinens Samuelis Puffendorffii, viri in orbe laudatiſſimi, vita & res geſtæ Friderici Wilhelmi, Magni Domus Brandeburgicæ Inſtauratoris. Cæterùm pro memoriâ ſublevandâ hocce compendium ſuccurrit: quodſi in nonnullis fallat, ex aliis facile ſuppletur. Iſtis verò delicatis aut otioſis, qui laborioſam lectionem vitantes, ſicut canis Nilum lambendo hiſtoriam prætercurrunt, & talis libellus ad ſuperficialem notitiam, doctamque rerum fundamentalium ignorantiam, ſufficiet.

VI. REINHOLDI CURIKE, Secretarii Gedanenſis, *de Privilegiis Commentarius*, Gedani Anno 1652. typis editus. Non, quod res Prutenicas hic libellus elucidet, ſed quia Author Boruſſus fuit, hìc recenſetur. Prætereà nihil de Prutenicis Privilegiis in eo lector expectet, ſed mera ex Jure Civili Romano, & Doctoribus ejusdem Juris Civilis excerpta theoremata, nullis planè ex Prutenorum Privilegiis, pauciſſimis quoque extraneorum formatis caſibus & eorum deciſionibus. Idcircò neque ad uſum fori adaptatum, nedum ad cognitionem jurium Boruſſiæ, vel aliarum gentium utilem judicabit.

VII.

Digitized by Google

VII. JACOBI LYDICII, Boruſſi, *Notitiæ Pruſſiæ Orientalis delineatio*, Wittebergæ Anno 1677. Exhibet hic libellus brevem Magiſtratuum majorum minorumque, Judiciorum & eorum Officialium enarrationem. Quæ ab eo tempore multùm immutata, tantùm ad comparationem vetuſtioris Politici Statûs cum recentiori hujus Pruſſiæ, aliquando ſcrutanti Ordinationes Magiſtratuum & Ordinum valere poſſunt. Nihilominùs & hæc notitia admodùm illi macra & famelica erit. Quid enim ab homine adeò timido expectes? qui in concluſione plenam de Statu patriæ relationem, arcana Principum & non propalanda aulæ ſacra appellat, eoque prætextu torporem ſuum vel ignorantiam velat. Qui ſatiùs feciſſet, ſi plane â Scriptione abſtinuiſſet, dum palàm in omnium conſpectu efformatam faciem Reipublicæ, tanquàm periculoſos & occultos ſcopulos exhorruit. Quaſi non eo ipſo inter maxillas admorſo & mox abrupto ſermone ſuo, in magnanimum illum & bonum iſtius ævi Principem, injurioſus, non venerabundus fuerit. Usque adeò Hiſtoricus timidus, nec præſentis nec futuræ ætatis laudem præmiumque laboris meretur. Quod de Raphaële Volaterrano Jovii judicium eſt.

VIII. Beſchreibung des Preuſſen Landes / durch GERMANUM Adlerhold / (quo ficto nomine, nationem & affectum ſuum ad Principes Germanos Pruſſiæ Dominos, lectores ſcire voluit) Francofurti & Lipſiæ Anno 1704.

Eſt recens Pruſſiæ univerſæ Geographica, Politica, & breviuſcula Hiſtorica Deſcriptio, quam, ſicut in præfatione fatetur, ex Cellarii deſcriptione Poloniæ ac Pruſſiæ, ſatis mutilâ & falſa tum

Digitized by Google

tum ex Hartknochii Pruſſiâ Veteri & Novâ hauſit : adjectis rebus in Pruſſiâ, tempore ultimi belli Svetici, atque evectæ Orientalis Pruſſiæ in Regnum, geſtis. In quâ narratione nonnulla craſſè errata, quædam non ſatis explorata poſuit : ſed homini exotico facilè remittenda.

Hìc B. L. finem operis hujus critici facio, plura ad cognitionem Jurium publicorum Pruſſiæ univerſæ, ex collectis ſchĕdis, imò & nonnulla rariſſima MSpta, aut nunquam edita, aut vix pauciſſimis poſſeſſa, juvandi talium rerum Studioſos cupidine, daturus : ſi ex venditione libellorum jam præmiſſorum, ſumptuum Typographicorum ſine diſpendio recipiendorum, erogator bonum fecerit experimentum. Quod ſi fallat, meliori ævo, magisque gratis hujusmodi ſeveri, ſed in publicum utiliſſimi ſtudii, atque laborum æſtimatoribus poſteris relinquenda.

Digitized by Google

Digitized by Google